A716Br

ARISTOPHANIS
COMŒDIÆ

IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ.

TOMUS IV.

ARGENTORATI
apud Socios Bibliopolas BAUER & TREUTTEL.
MDCCLXXXI.

276
1 | 12 | 90
Vols I to IV

ARISTOPHANIS
LYSISTRATA.

DRAMATIS PERSONÆ.

LYSISTRATA.
CALONICE.
MYRRHINA.
LAMPITO.
CHORUS SENUM.
CHORUS MULIERUM.
STRATYLLIS.
PROVISOR.
MULIERES QUÆDAM.
CINESIAS.
PUER.
CADUCEATOR LACEDÆMONIORUM.
LEGATI LACEDÆMONIORUM.
POLYCHARIDES.
CIRCUMFORANEI QUIDAM.
FAMULUS.
ATHENIENSIS QUIDAM.

LYSISTRATA, CALONICE, MYRRHINA, LAMPITO.

LYSISTRATA. AT ſi quis in ædem Bacchi vocaſſet eas, aut Panos, aut Coliadis, aut Genetyllidis, ne tranſire quidem liceret præ multitudine tympanorum: nunc autem nulla adeſt hic mulier. Verumtamen hæc vicina mea foras exit. Salve, ô Calonice.

CALONICE. Et tu mecaſtor ſalve, Lyſiſtrata. Sed quid conturbata es? exporge frontem, cariſſima: non enim te decent contracta ſupercilia.

LYSISTRATA. Sed, ô Calonice, uritur mihi cor, & valde me piget ſexus noſtri, quoniam viri exiſtumant nos eſſe nequam.

CALONICE. Quippe tales pol ſumus.

LYSISTRATA. Quumque edictum illis fuerit huc convenire, deliberaturis de re non levi, dormiunt, nec veniunt.

CALONICE. Sed, ô cariſſima, venient. Mulieribus domo prodire non ita facile eſt. Alia enim marito operam dat: alia famulum excitat: alia puerum in lecto collocat, alia lavat, alia cibo in os indito placat.

LYSISTRATA. Sed erant magis neceſſaria curanda ipſis.

CALONICE. Quid autem eſt, mea Lyſiſtrata, cur nos mulieres convocas? Quænam illa res eſt aut quanta?

LYSISTRATA. Magna.

CALONICE. Num etiam craſſa?

LYSISTRATA. Ita me ſervet Jupiter, craſſa.

CALONICE. Quî fit ergo, ut non veniamus?

LYSISTRATA. Nihil tale eſt: cito enim conveniſſemus. Sed eſt quiddam a me quæſitum, multis vigiliis in omnes partes verſatum.

CALONICE. Mirabor, ni ſubtile quid ſit verſatum iſtud in omnes partes.

LYSISTRATA. Adeo ſubtile, ut univerſæ Græciæ ſalus ſita ſit in mulieribus.

CALONICE. In mulieribus? Parum ergo abeſt, quin nulla ſit.

LYSISTRATA. Ita ut arbitri noſtri ſit, ſalvam eſſe rempublicam, aut nullos ſupereſſe, nec Peloponneſios —

CALONICE. Nullos ſupereſſe edepol optumum eſt.

LYSISTRATA. Bœotiosque omnes perire funditus.

CALONICE. Non omnes, quæſo; ſed anguillas excipe.

LYSISTRATA. De Athenis autem nil tale ominabor: tu ipſa conjecturam facias. Si vero convenerint huc mulieres ex Bœotia ſimul & Peloponneſo, noſque Atticæ, communiter ſervabimus Græciam.

CALONICE. Sed quid poſſent mulieres prudenter agere & præclare? noſne, quæ ſedemus pigmentis nitentes, ornamentis excultæ, crocotas geſtantes, & Cimbericas rectas, & peribaridas?

LYSISTRATA. Immo enimvero hæc ipſa ſunt, a quibus ſalutem ſpero; crocotulæ, & unguenta, & peribarides, & anchuſa, & pellucidæ tunicæ.

CALONICE. Quo tandem modo?

LYSISTRATA. Ita ut illorum, qui nunc vivunt, virorum contra alium haſtam nemo tollat.

CALONICE. Crocotam ergo, ita me Ceres amet & Proſerpina, mihi tingendam curabo.

LYSISTRATA. Nec clypeum ſumat.

CALONICE. Cimbericam induam.

LYSISTRATA. Nec gladiolum.

CALONICE. Peribaridas emam.

LYSISTRATA. Annon ergo adeſſe mulieres oportebat?

CALONICE. Quin pol volando veniſſe oportuit dudum.

LYSISTRATA. Sed, pro dolor! videbis eas eſſe nimis Atticas, dum omnia faciunt juſto tardius. At nec ex maritimis ulla mulier adeſt, nec ex Salamine.

CALONICE. Sed has ſcio in celocibus trajeciſſe matutinas.

LYSISTRATA. Nec, quas ſperabam & confidebam ego primas hîc adfore, Acharnenſes mulieres veniunt.

CALONICE. Attamen Theagenis uxor, tanquam horſum venire cupiens, Hecatæ ſimulacrum conſuluit. Sed ecce accedunt quædam: item aliæ etiam. Hem, hem! undenam ſunt?

LYSISTRATA. Ex Anagyro.

CALONICE. Edepol ut dicis. Anagyrus ergo mihi videtur commotus.

MYRRHINA. Num tardius advenimus, ô Lyſiſtrata? quid ais? cur taces?

LYSISTRATA. Non laudo, Myrrhina, modo advenientem in re tanta.

MYRRHINA. Vix enim in tenebris cingulum inveni, ſed, ſi res urget, fare præſentibus nobis.

LYSISTRATA. Immo potius opperiamur pauliſper, dum Bœotiæ & Peloponneſiæ mulieres veniant.

MYRRHINA. Multo tu rectius dicis: & ecce jam hæc Lampito accedit.

LYSISTRATA. O cariſſima Lacæna, ſalve Lampito. Quam formoſa videris, ô dulciſſima! quam pulchro colore, quam vegeto es corpore! vel taurum ſtrangulare poſſis.

LAMPITO. Næ iſtuc ecaſtor credo, ſiquidem corpus exerceo, & ſubſultans pede podicem ferio.

LYSISTRATA. Quam bellas habes papillas!

LAMPITO. Tanquam victimam pertractatis me.

LYSISTRATA. Hæc autem adoleſcentula altera, cujas eſt?

LAMPITO. Primaria ecaſtor femina Bœotia venit ad vos.

LYSISTRATA. Pol Bœotia eſt, pulchrumque habens campum.

CALONICE. Et pol mundum, vulſo pulegio.

LYSISTRATA. Quænam vero eſt illa altera puella?

LAMPITO. Bona quidem ecaſtor, ſed Corinthia.

LYSISTRATA. Bona edepol videtur, ut illic eſſe ſolent.

LAMPITO. Jam vero quis congregavit mulierum hunc cœtum?

LYSISTRATA. Ipſa ego.

LAMPITO. Dic igitur nobis, quid velis.

LYSISTRATA. Ita ſane, cariſſima.

MYRRHINA. Dic tandem quodnam ſit ſerium illud negotium.

LYSISTRATA. Jam dicam. Sed priusquam dicam, vos hoc interrogabo pauxillum quidpiam.

MYRRHINA. Quidquid voles.

LYSISTRATA. Liberorum veſtrorum patres nonne deſideratis abſentes in militia? Sat enim ſcio unicuique voſtrûm peregre abeſſe virum.

CALONICE. Meus quidem vir jam quinque menſes, ô miſer, abeſt in Thracia obſervans Eucratem.

LYSISTRATA. Meus vero totos ſex menſes ad Pylum.

LAMPITO. Meus autem, ſi quando ab exercitu redeat, mox adnexo ſibi clypeo evolat.

LYSISTRATA. Sed nec mœchi relicta eſt ſcintilla. Ex quo enim nos prodiderunt Mileſii, ne olisbum quidem vidi octo digitos longum, qui nobis eſſet coriaceum auxilium. Velletisne ergo, ſi quam ego fabricam invenero, bello mecum finem imponere?

MYRRHINA. Per Deas juro me velle, ſi me oporteat vel encyclum hocce opponere pignori, ſumtamque pecuniam hoc ipſo die ebibere.

CALONICE. Ego vero mihi videor vel rhombi inſtar meipſam diſſectura, & dimidium mei datura.

LAMPITO. Ego vero vel ad Taygetum aſcenderem, ſi ibi Pacem ſim viſura.

LYSISTRATA. Dicam ergo; ſiquidem res celanda non eſt. Nobis enim, ó mulieres, ſi volumus cogere viros ad colendam pacem, abſtinendum eſt --

MYRRHINA. Quo? dic.

LYSISTRATA. Facietisne ergo?

MYRRHINA. Faciemus, ſi vel nos mori oporteat.

LYSISTRATA. Abſtinendum igitur nobis eſt a pene. Quid mihi averſamini? quorſum itis? Vos inquam, cur labra diſtorquetis, &

renuitis? cur color mutatur? cur lacrima fluit? facietisne, an non facietis? aut quid cogitatis?

MYRRHINA. Non fecerim, ſed bellum ſerpat.

CALONICE. Nec edepol ego, ſed bellum ſerpat.

LYSISTRATA. Hoccine dicis tu, rhombe? atqui modo aiebas te vel dimidium tui abſciſſuram.

CALONICE. Aliud, aliud quidquid voles. Vel per ignem, ſi oporteat, incedere volo. Hoc potius, quam quod de pene dicebas, ad quem nihil eſt quod compares, ô cara Lyſiſtrata.

LYSISTRATA. Tu vero, quid?

LAMPITO. Et ego volo per ignem.

LYSISTRATA. O libidinoſum ſexum omnem noſtrum! non temere eſt, quod de nobis fiunt Tragœdiæ: nihil enim ſumus, niſi *Neptunus & ſcapha.* Sed, ô cara Lacæna (tu enim ſi fueris ſola mecum, perditam rem adhuc reſtituere poterimus) adſentire mihi.

LAMPITO. Per ecaſtor difficile eſt feminas dormire ſolas ſine mentula. Hoc tamen perpeti oportet: nam pacem fieri oportet maxime.

LYSISTRATA. O cariſſima & ſola harum femina.

MYRRHINA. Si autem, quod abſit, quam maxime abſtineamus a quo tu dicis, magisne eapropter fiet pax?

LYSISTRATA. Multo magis, ita me ament Divæ. Si enim domi ſederemus pigmentis oblitæ & in amorginis ſubuculis nudæ incederemus glabro cunno, arrigerent viri, & coire cuperent: nos autem ſi non accederemus, at nos contineremus, ſat ſcio mox pacem eos facturos.

LAMPITO. Sane Menelaus olim conſpectis, ut puto, Helenæ nudis papillis, enſem abjecit.

MYRRHINA. Quid vero, ô miſella, ſi nos omiſerint viri?

LYSISTRATA. Tum iſtud Pherecratis adhibe, *Canem excoriatum excoriare.*

MYRRHINA. Nugæ ſunt iſta ſimulacra. Si vero comprehenſas in cubiculum vi traxerint nos?

LYSISTRATA. Renitere apprehenſis foribus.

MYRRHINA. At si verberent?

LYSISTRATA. Tum præbe, sed maligne. Nulla enim his inest voluptas, si per vim fiant. Aliisque modis molestia eos afficere oportet. Nec dubites, quin ocius defatigentur: nunquam enim ex eo voluptatem vir capiet, ni mulieri simul jucundum sit.

MYRRHINA. Si vobis hoc videtur, nobis itidem videtur.

LAMPITO. Et nos quidem nostris viris persuadebimus, ut ubique sine dolo malo pacem colant. Sed Athenienſium colluviem quomodo quis adducere possit, ut ne rursus delicias faciat?

LYSISTRATA. Ne sis sollicita: nos, quod in nobis erit, nostratibus persuadebimus.

LAMPITO. Nequicquam, quamdiu in triremes conferentur studia, & in Divæ æde adservabitur immensa illa pecuniæ vis.

LYSISTRATA. Sed & hoc etiam bene provisum & præcautum est: occupabimus enim arcem hodie. Nam provectioribus ætate mulieribus hoc mandatum est negotium, ut, dum nos hæc constituimus, sub specie sacrificandi occupent arcem.

LAMPITO. Omnino fieri possit: etenim sic bene autumas.

LYSISTRATA. Cur ergo non hæc quamprimum, ô Lampito, jurejurando confirmamus, ut irrupta sint?

LAMPITO. Jusjurandum modo concipito, ut juremus.

LYSISTRATA. Recte autumas. Ubi est Scythæna? quo spectas? Pone in conspectu clypeum supinum: & mihi det hostias aliquis.

MYRRHINA. Lysistrata, quo sacramento nos adstringes?

LYSISTRATA. Quonam? In clypeum, ut Æschylum aiunt fecisse quondam, ove mactata —

MYRRHINA. Ne, quæso, mea Lysistrata, juraveris in clypeum quicquam super pace.

LYSISTRATA. Quodnam erit ergo jusjurandum?

MYRRHINA. Si sumtum alicunde album equum immolemus, & super eo juremus.

LYSISTRATA. Quorsum album equum?

MYRRHINA. Sed quomodo jurabimus nos?

LYSISTRATA. Edepol tibi dicam, si velis. Collocato supino grandi calice nigro, in eum immolemus Thasii vini urceum, & juremus aquam in calicem nos non infusuras.

LAMPITO. Dii boni, quale juramentum! dicere nequeam quantum illum probem. Intus efferat aliquis foras calicem & urceum.

LYSISTRATA. O carissimæ mulieres, quanta vis fictilium! hoc sumto calice statim quis hilarabitur: eum depone, & hostiam mihi prehende. O Suada domina, & amicitiæ phiala, propitia mulieribus accipe hæc sacra.

MYRRHINA. Boni coloris est sanguis & pulchre profluit.

LAMPITO. Quin etiam, ita me Castor amet, suave olet.

LYSISTRATA. Sinite primam me, ô mulieres, jurare.

MYRRHINA. Non, per Venerem; nisi sortita fueris.

LYSISTRATA. Prehendite omnes calicem, ô Lampito, dicatque pro vobis una, quæcunque ego dixero; vos vero in eadem jurabitis & rata habebitis: *Nec adulter, nec vir ullus est* —

MYRRHINA. *Nec adulter, nec vir ullus est.*

LYSISTRATA. *Qui ad me accedet rigente nervo.* Dic.

MYRRHINA. *Qui ad me accedet rigente nervo.* Papæ! labant genua mea, ô Lysistrata.

LYSISTRATA. *Domi casta degam ætatem* —

MYRRHINA. *Domi casta degam ætatem.*

LYSISTRATA. *Crocotam gestans & comta* —

MYRRHINA. *Crocotam gestans & comta.*

LYSISTRATA. *Ut meus vir quam maxime incendatur* —

MYRRHINA. *Ut meus vir quam maxime incendatur.*

LYSISTRATA. *Nec unquam sponte viro meo morem geram* —

MYRRHINA. *Nec unquam sponte viro meo morem geram.*

LYSISTRATA. *Si vero me invitam vi cogat* —

MYRRHINA. *Si vero me invitam vi cogat.*

LYSISTRATA. *Maligne ei præbebo & motus non addam.*

MYRRHINA. *Maligne ei præbebo & motus non addam.*

LYSISTRATA. *Non tollam calceos sursum ad lacunar.*

MYRRHINA. *Non tollam calceos ſurſum ad lacunar.*

LYSISTRATA. *Non conquiniſcam inſtar leænæ in cultri manubrio.*

MYRRHINA. *Non conquiniſcam inſtar leænæ in cultri manubrio.*

LYSISTRATA. *Hæc ſi rata habeam, liceat mihi hinc bibere.*

MYRRHINA. *Hæc ſi rata habeam, liceat mihi hinc bibere.*

LYSISTRATA. *Si vero transgrediar, aqua impleatur calix.*

MYRRHINA. *Si vero transgrediar, aqua impleatur calix.*

LYSISTRATA. Vosne omnes jurejurando hæc firmatis?

CALONICE. Ita, per Jovem.

LYSISTRATA. Age, ego ſacruficabo hanc hoſtiam.

MYRRHINA. Partem modo, ô cara, ut ſtatim ab initio amicæ inter nos ſimus.

LAMPITO. Quis ille clamor?

LYSISTRATA. Hoc illud eſt, quod dicebam. Nam mulieres arcem Deæ jam occuparunt. Sed, ó Lampito, tu quidem abi, & res veſtras compone: has autem relinque nobis hîc obſides. Nos vero cum ceteris, quæ ſunt in arce, mulieribus, una occludamus ingreſſæ oſtium repagulis.

MYRRHINA. Nonne putatis contra nos ſuppetias venturos mox viros?

LYSISTRATA. Flocci eos non facio. Non enim tantas minas, nec tantum ignem ferentes venient, ut clauſtra hæc reſerare poſſint, niſi ea, qua diximus, conditione.

MYRRHINA. Nunquam certe, ita me Venus amet. Fruſtra enim nos mulieres vocaremur invictæ & ſceleſtæ.

CHORUS SENUM, CHORUS MULIERUM, STRATYLLIS, PROVISOR, MULIERES QUÆDAM.

CHORUS SENUM. Perge, Draces; præi pedetentim, etsi dolet tibi humerus, ferenti tantum onus virentis olivæ.

SEMICHORUS. Profecto multa præter spem eveniunt in longa ætate. Vah! quis enim unquam speraſſet, ô Stymmodore, se auditurum, ut mulieres, quas pavimus domi, malum manifestum, obtinerent sacrum simulacrum, & occuparent arcem meam, pessulisque & clauſtris vestibulum occluderent?

SEMICHORUS. Sed quàm citiſſime properemus ad arcem ire, ô Philurge, ut circumponentes hos caudices ipsis, quotquot hoc facinus instituerunt & aggreſſæ sunt, pyra una aggesta, incendamus noſtris manibus omnes, uno animo: inprimis autem Lyconis uxorem. Non enim, ita mihi Ceres propitia sit, quoad ego vixero, nobis illudent. Nam nec Cleomenes, qui arcem prius occupavit, abivit sine malo suo: sed is, licet Laconicos spiritus gerens, abscesſit, armis mihi traditis, exiguam plane & detritam habens lacernam, squalidus, sordidatus, hirsutus, inde a sex annis illotus. Ita oppugnavi ego virum illum tamen, per sedecim ordines disposito exercitu, dormiens ad portas. Harum vero, quæ Euripidi & diis omnibus inviſæ sunt, ego non reprimam præsens audaciam tantam? Ne ergo amplius in Tetrapoli meum sit tropæum. Sed enim hoc mihi viæ conficiendum supereſt, acclive iſtud spatium, ad arcem, quo propero; & danda opera, ut protelo ducamus hæc ligna sine jumento; nam mihi bajularii vectes humerum comprimunt. Attamen ire oportet, & sufflare ignem, ne forte extinctus imprudentem me deficiat, quum ad finem viæ pervenero. Fu, fu. Dii boni, qui fumus! Quam vehemens, ô dive Hercules, adoriens me ex olla, uti rabio-

fus canis, mordet mihi oculos! Et est Lemnius ignis iste omnino: non enim alioqui morsu sic læsisset gramias meas. Festina ad arcem & fer opem Divæ: quando enim ei magis quam nunc succurremus? Fu, fu. Dii boni, qui fumus! Istic quidem ignis deûm favore vigilat & vivit. Quidni ergo, depositis hic vectibus, viream facem in ollam immittimus, accendimus, & in januam arietamus? Et nisi, quum eas vocabimus, arcis claustra laxent mulieres, incendere oportet fores, & fumo premere. Deponamus jam onus. Vah! quantus fumus! papæ! Quis e Samiæ expeditionis ducibus nobis opitulabitur, manumque vectibus admovebit? Desierunt tandem illi dorsum meum premere. At tuum est, olla, carbones excitare: fac tædam incensam quamprimum mihi feras. Diva Victoria ades, daque nobis, ut mulierum, quæ arcem tenent, præsentem istam audaciam reprimamus, & tropæum erigamus.

CHORUS MULIERUM. Flammam & fumum videor mihi cernere, ô mulieres, tanquam ardentis ignis: festinandum est ocius.

SEMICHORUS. Vola, vola, Nicodice, priusquam incendantur Calyca & Critylla, flatu undique oppressæ, a legibus durissimis & perditis senibus.

SEMICHORUS. At hoc timeo: num tardiore gradu succurro? nam, postquam primo diluculo urnam e fonte ægre implevi, ob turbam & tumultum & strepitum ollarum, inter ancillas stigmatiasque servos pulsata, raptim sublata urna, popularibus meis adustis nunc demum aquam ferens succurro. Audivi enim capulares senes, stipites ferentes, tanquam balneum calefacturos, trium circiter talentum pondere, impetu ad arcem ire, atrocissimis verbis minaciter dicentes, comburendas esse sceleratas mulieres: quas, ô Diva, ne videam ego ambustas unquam, sed Græciam & cives nostros earum opera bello & furore liberatos. Eapropter, aurea galea fulgens urbis Præses, tuas sedes occuparunt: teque voco adjutricem, si quis illas vir incenderit, ut feras nobiscum aquam.

STRATYLLIS. Omitte, oh! quid hoc est, viri improbissimi? Nunquam enim probi, aut pii hoc feciissent viri.

CHORUS SENUM. Hanc rem inexpectatam cernimus nobis evenire: mulierum examen foribus succurrit.

CHORUS MULIERUM. Quid nos formidatis? numquid multæ videmur esse? atqui partem nostrûm decem-millesimam nondum videtis.

CHORUS SENUM. O Phædria, hasce garrire tam multa sinemus? nonne oportet aliquem nostrûm has verberando baculum frangere?

CHORUS MULIERUM. Deponamus jam urnas nos etiam humi, ut ne impedimento mihi sit, si quis manum admoverit.

CHORUS SENUM. Næ hercle, si quis jam maxillas istarum, tanquam Bupali, bis aut ter tutudisset, vocem non haberent.

CHORUS MULIERUM. Atqui en, tundat aliquis: stans ego os præbebo, & nunquam alia canis testiculis te prehendet.

CHORUS SENUM. Ni taces, verberando te senectutis meæ vires exhauriam.

CHORUS MULIERUM. Accede modo, & digito tange Stratyllida.

CHORUS SENUM. Quid, si contundam eam pugnis? quid mihi facies mali?

CHORUS MULIERUM. Mordicus tibi pulmones & intestina extraham.

CHORUS SENUM. Non est Euripide poëta sapientior. Nullum enim animal æque impudens est, atque mulieres.

CHORUS MULIERUM. Tollamus nos aquæ urnam, ô Rhodippe.

CHORUS SENUM. Cur tu, ô diis invisa, huc venisti cum aqua?

CHORUS MULIERUM. Tu vero cur cum igne, senex Acheruntice? an ut teipsum combusturus?

CHORUS SENUM. Ego, ut aggesta pyra incendam tuas amicas.

CHORUS MULIERUM. Ego vero, ut tuam pyram ista restinguam aqua.

CHORUS SENUM. Tu meum ignem restinguas?

CHORUS MULIERUM. Res ipsa mox indicabit.

CHORUS SENUM. Neſcis, an iſta lampade mox te uſtulem?

CHORUS MULIERUM. Si forte ſordes habes, balneum tibi præbebo.

CHORUS SENUM. Tu mihi balneum, obſoleta?

CHORUS MULIERUM. Et quidem nuptiale.

CHORUS SENUM. Audiſtin' ejus audaciam?

CHORUS MULIERUM. Enimvero libera ſum.

CHORUS SENUM. Reprimam ego tibi hunc clamorem.

CHORUS MULIERUM. Sed non amplius judex in Heliæa ſedebis.

CHORUS SENUM. Incende comas ejus.

CHORUS MULIERUM. Tuæ ſunt partes, ô Acheloë.

CHORUS SENUM. Væ miſero mihi!

CHORUS MULIERUM. Num calida erat?

CHORUS SENUM. Quid calida? nonne deſines? quid facis?

CHORUS MULIERUM. Irrigo te, ut regermines.

CHORUS SENUM. Sed aridus jam ſum & tremulus.

CHORUS MULIERUM. Itaque, quum ignem habeas, teipſum tepefacies.

PROVISOR. Satin' emicuit mulierum luxuria, & tympanorum pulſatio, & frequentes Bacchationes, & illa in ædium tectis Adonia celebrantium lamenta, quæ ego, quum eſſem in concione, audiebam. Demoſtratus enim, dignus ille hercle qui male pereat, dicebat navigandum eſſe in Siciliam: mulier autem tripudians, *hei*, *hei*, *Adoni*, inquit. Porro Demoſtratus dicebat milites gravis armaturæ eſſe conſcribendos e Zacyntho: mulier autem in tecto temulenta, *Plangite Adonin*, ait. Contra omni ſtudio enitebatur diis inviſus ille & ſceleſtus Cholozyges. Tales earum ſunt obſcenæ cantilenæ.

CHORUS SENUM. Quid, ſi audias harum inſolentiam? quæ tum aliis contumeliis nos adfecerunt, tum etiam effuſis urnis nos lavarunt, ita ut veſtes nobis quatiendæ ſint, tanquam ſi imminxiſſemus.

PROVISOR. Merito ſane, ita me Neptunus amet marinus. Quum enim

enim nos adjutores simus nequitiæ mulierum, easque luxuriam doceamus, hujusmodi nascuntur ab illis consilia. Qui talia dicimus in officinis opificum: *O aurifex, monili, quod fabricaveras uxori meæ, dum ea vesperi saltabat, glans excidit ex foramine; mihi quidem navigandum est in Salaminem: tu autem, si vacat, quovis pacto circa vesperam veni, & ei glandem inseras.* Porro alius quispiam hæc ad sutorem dicit, juvenem, & qui penem habet haudquaquam puerilem: *O sutor, uxoris meæ pedis digitulum premit corrigia, utpote tenellum: hanc itaque tu meridie veniens, laxa, ut latior fiat.* Talia ex istis evenire solent, siquidem ego, qui Provisor sum, quum nunc, scriptis remigibus, pecunia opus sit, portis excludor a mulieribus. Sed nihil proderit ad hunc modum stetisse: cedo vectes, ut illarum contumeliam retundam. Quid obstupescis, miser? Tu etiam, quo respicis, qui nihil præter cauponam spectas, nonne admotis ad portas vectibus eas istinc revellitis? hinc ego etiam simul vellam.

LYSISTRATA. Ne revellite: ultro enim ipsa exeo. Quid vectibus est opus? non enim tam vectibus opus est, quam sana mente.

PROVISOR. Siccine vero impurissima? ubi est Sagittarius? comprehende istam, & manus ei post tergum liga.

LYSISTRATA. Per Dianam juro, extremam mihi si manum admoverit, publicus sit licet minister, flebit.

PROVISOR. Heus tu, pavesne? nonne corripies mediam, tuque cum isto una, & properabitis ligare?

STRATYLLIS. Per Pandroson juro, si huic tantum manum injicies, mox cacabis calcatus.

PROVISOR. Ecce vero *cacabis!* Ubi est alter sagittarius? Hanc primam constringe, quia occepit loqui.

LYSISTRATA. Per Luciferam Dianam juro, si hanc digito attigeris, cyathum mox petes.

PROVISOR. Quid hoc est? ubi sagittarius? hanc retine. Faxo ego, ut desinatis huc exire.

STRATYLLIS. Per Tauricam Dianam juro, ſi ad hanc acceſſeris, evellam tibi capillos cum largo tuo fletu.

PROVISOR. Heu me miſerum! deſeruit me ſagittarius, ſed mulieribus cedere prorſus nos dedecet. Quin inſtructa acie obviam eis eamus, ô Scythæ.

LYSISTRATA. Edepol ergo experiemini & apud nos intus eſſe quatuor cohortes pugnacium mulierum armis inſtructarum.

PROVISOR. Retorquete manus earum, ô Scythæ.

LYSISTRATA. O ſociæ mulieres, procurrite foras: ô quæ in foro ſemina, ova & olera venditis: ô cauponæ, quæ allia & panes venditis, nonne trahetis, nonne ferietis, nonne propulſabitis, nonne conviciabimini, nonne impudenter agetis? deſinite, recedite, ſpolia ne detrahite.

PROVISOR. Hei mihi! quam male res ſucceſſit meis ſagittariis!

LYSISTRATA. Sed quidnam arbitrabaris? an ancillas aggredi te putaſti? aut mulieribus bilem ineſſe non exiſtimas?

PROVISOR. Immo hercle perquam multam, ſi prope ſit caupo.

CHORUS SENUM. O qui multa incaſſum verba effudiſti, Proviſor hujus urbis, cur cum hiſce beſtiis verbis velitationi te committis? neſcis quali balneo iſtæ nos modo laverint indutos veſtibus, idque ſine lixivio?

CHORUS MULIERUM. Sed, ô bone, non oportet aliis temere admovere manum: ſin hoc feceris, omnino tibi tumebunt oculi. Modeſte enim ego, tanquam virgo, ſedere volo, nemini hic moleſtiam adferens, ne feſtucam quidem loco movens, dum ne quis me premat & irritet tanquam crabrones.

CHORUS SENUM. O Jupiter! quid faciemus iſtis beſtiis? hæc enim ſunt intolerabilia. Sed inquirendum tibi mecum eſt in hoc malum, quid volentes Cranaam occupaverint, curque petricoſam inacceſſam arcem, ſacrum templum. Sed interroga & ne crede, & adhibe omnia argumenta. Turpe enim nobis inexploratam rem ejusmodi ſinere noſtra neglegentia.

PROVISOR. Equidem hercle hoc primum cupio ex ipſis quæ-

rere: quid volentes arcem noſtram repagulis occluſiſtis?

LYSISTRATA. Ut pecuniam ſalvam præſtaremus, nec propter eam bellaretis.

PROVISOR. Propter pecuniam ergo bellamus?

LYSISTRATA. Quin cetera omnia turbata ſunt. Piſander enim, & qui magiſtratus ambiunt, ut habeant quod depeculentur, ſemper aliquas turbas concitare ſolent. Jam vero faciant quidquid libuerit: nam ex iſta pecunia nihil amplius deprement.

PROVISOR. Quid facies ergo?

LYSISTRATA. Rogas? Nos eam diſpenſabimus.

PROVISOR. Vosne pecuniam diſpenſabitis?

LYSISTRATA. Quid mirum tibi videtur? nonne utique domi penum omnem vobis diſpenſamus?

PROVISOR. Sed non eadem res eſt.

LYSISTRATA. Quomodo non eadem?

PROVISOR. Hinc bellum gerendum eſt.

LYSISTRATA. At primum nihil opus eſt belligerare.

PROVISOR. Quonam ergo alio modo ſervabimur?

LYSISTRATA. Nos ſervabimus vos.

PROVISOR. Vosne?

LYSISTRATA. Nos vero.

PROVISOR. Indignum hoc quidem.

LYSISTRATA. Servaberis tamen, etiamſi nolis.

PROVISOR. Rem atrocem dicis.

LYSISTRATA. Stomacharis: attamen hoc tibi faciendum eſt.

PROVISOR. Per Cererem, iniquum eſt.

LYSISTRATA. Habenda ſalus eſt, ô bone.

PROVISOR. Et ſi non opus mihi ſit ea?

LYSISTRATA. Eapropter multo magis.

PROVISOR. Sed vobis unde in mentem venit, ut bellum & pacem curaretis?

LYSISTRATA. Id vobis dicemus.

PROVISOR. Dic igitur ocius, ne plores.

LYSISTRATA. Auſculta jam, & conator manus comprimere.

PROVISOR. Sed non poſſum: mihi enim præ iracundia difficile eſt eas cohibere.

LYSISTRATA. Ergo multo magis plorabis.

PROVISOR. Iſtuc quidem, ô vetula, tuo capiti crocitaveris: tu vero mihi quæ ad rem ſint dicito.

LYSISTRATA. Hoc agam. Superiore quidem bello & tempore tulimus patienter modeſtia noſtra vos viros, quidquid ageretis; non enim ſinebatis nos mutire, poſtea non placebatis nobis: ſed ſentiebamus ſatis quid ageretis: domique ſæpe audivimus vos magnis de rebus mala conſilia cepiſſe. Deinde interno dolore ægræ cum riſu interrogabamus vos: *Quid vobis hodie in concione conſtitutum eſt columnæ inſcribere de pace?* Tum vir, *Quid hoc ad te*, aiebat, *nonne tacebis?* Et ego tacebam.

MULIER QUÆDAM. At ego nunquam tacuiſſem.

PROVISOR. At ploraſſes, niſi tacuiſſes.

LYSISTRATA. Ego vero domi tacebam. Audito forte alio quo deteriori conſilio veſtro, quærere ſolebamus: *Mi vir, quî fit, ut hæc tam ſtulte agatis?* At ille ſtatim limis me intuens dicebat: *Niſi ſubtemen neveris, dolebit tibi caput diu: bellum autem curabunt viri.*

PROVISOR. Recte quidem ille hercle dicebat.

LYSISTRATA. Quonam modo *recte*, ô perdite, ſi nobis nec ſubmonere vos licuit, prava conſilia agitantes? ſed quum jam vos audiremus per compita palam dicentes: *Non eſt vir in urbe, non hercle quisquam eſt alius;* poſthæc ſtatim Græciam ſervare communiter viſum eſt mulieribus congregatis: cur enim fuiſſet diutius expectandum? Si igitur nobis meliora ſuadentibus viciſſim volueritis auſcultare & viciſſim tacere, ut nos tunc, fieri poſſit, ut vos reſtituamus.

PROVISOR. Vosne nos reſtituatis? ſane acerbum dictu & intolerabile.

LYSISTRATA. Tace.

PROVISOR. Tuone juſſu, ô ſceleſta, taceam ego? idque præſertim quum flammeo caput obtectum habeas? emori me malim.

LYSISTRATA. Sed ſi iſtuc ſolum tibi eſt impedimento, flammeum hocce a me acceptum circumpone capiti tuo, deinde tace. Hunc etiam ſume calathum, & ſuccinctus lanam carpe, fabas eſitans: *bellum autem curabunt mulieres.*

CHORUS MULIERUM. Recedite, ô mulieres, ab urnis, ut & nos viciſſim amicis noſtris opitulemur. Ego enim nunquam defeticar ſaltando, neque laſſitudo moleſta capiet genua mea: voloque adire omne periculum cum iſtis, virtutis cauſa, quibus ineſt ingenium, ineſt gratia, ineſt audacia, ineſt & ſapientia, ineſt addicta reipublicæ virtus cum prudentia conjuncta. Sed ô fortiſſimarum aviarum, & tactu urentium matercularum progenies, ite animo ardenti & ne miteſcite: nam adhuc ſecundo vento curritis.

LYSISTRATA. Sed ſi Cupido ille dulcis, & Cypria Venus, amorem vobis in ſinum & in femina inſpiraverit; deinde vero ſi viris tentiginem jucundam ingeneraverit, ut quaſi baculos penes erigant, ſpero fore aliquando, ut *Lyſimachæ* a Græcis vocitemur.

PROVISOR. Quodnam ob facinus?

LYSISTRATA. Si effecerimus, ut deſinant cum armis in foro verſari & inſanire.

MULIER QUÆDAM. Maxume, ita me Paphia Venus amet.

LYSISTRATA. Nunc enim & qua ollæ, & qua venduntur olera, obambulant per forum cum armis, quaſi Corybantes.

PROVISOR. Ita hercle: ſic enim fortes decet.

LYSISTRATA. Profecto res eſt ridicula, ſi quis clypeum Gorgonis capite inſignitum tenens, emat coracinos.

MULIER QUÆDAM. Vidi equidem ecaſtor comatum quemdam equitum tribunum, qui equo inſidens in æreum pileum injiciebat ovum a vetula ſumtum. Thrax vero alius peltam quatiens & jaculum, uti Tereus, terrefaciebat caricarum venditricem, & ficus maturas deglutiebat.

PROVISOR. Quomodo igitur poteritis vos turbatas res multas ſedare, & diſſol iveren regionibus?

LYSISTRATA. Perfacile.

PROVISOR. Quomodo? oſtende.

LYSISTRATA. Sicuti fila, quum nobis ſunt turbata, ſic prehendimus, & ſubducimus fuſis hac & illac; ita & bellum iſtud diſſolvemus, ſi quis ſinat, diducentes id per legationes hac & illac.

PROVISOR. Ex lana ergo & filis & fuſis res periculoſas, ô fatuæ, vos putatis ſedaturas?

LYSISTRATA. Et vos, ſi vobis aliquid ineſſet ſanæ mentis, ex noſtro lanificio ſumto exemplo rempublicam adminiſtraretis.

PROVISOR. Quidum? fac videam.

LYSISTRATA. Primum quidem oportebat vos, tanquam lanam in balneo, eluentes ſordes, homines nequam præcipites ex urbe virgis expellere, & tribulos ſeligere; & iſtos qui inter ſe cohærent, & ſeſe trudunt, magiſtratus affectantes, diſtrahere, eorumque capita defloccare: deinde omnes in calathum carminare communem benevolentiam, immiſcendo & inquilinos, & ſi quis hoſpes aut amicus ſit vobis; & ſi quis debeat ærario, hos quoque immiſcendo. Quin etiam urbes, quas deducti ex hac terra coloni tenent, ſcire vos oportebat veluti glomeres quosdam nobis jacere, ſeorſum ſingulas: deinde ab iſtis omnibus ſumere oportebat filum, hucque adducere, & omnia in unum cogere, deinde facere glomerem magnum, & ex eo texere Populo lænam.

PROVISOR. Nonne indignum eſt hæc iſtas lanæ inſtar purgare & glomerare, quæ belli minime participes ſunt?

LYSISTRATA. Atqui, ô ſceleratiſſime, plusquam duplum id ferimus, quæ primum quidem peperimus filios, & armatos emiſimus.

PROVISOR. Tace; noli meminiſſe malorum.

LYSISTRATA. Deinde, quando oportet nos oblectari, & flore ætatis frui, ſolæ cubamus ob militiam. At quod noſtra interſit mittite: diſcrucior vero propter virgines in thalamis conſeneſcentes.

PROVISOR. Non ergo & viri ſeneſcunt?

LYSISTRATA. Edepol longe diverſum eſt quod dicis. Vir enim peregre adveniens, etiamſi canus ſit, cito puellam ducit virginem:

mulieris autem brevis eſt opportunitas, quam niſi apprehendat, nemo vult eam ducere: ſedet autem omina captans.

PROVISOR. Sed quicunque ſenex penem adhuc arrigere valet —

LYSISTRATA. Tu ergo cur non moreris? morti tempeſtivus es. Sandapilam emes: utique mellitam tibi placentam pinſam. Sume hanc corollam & cinge caput.

MULIER I. Et iſtas vittas accipe a me.

MULIER II. Et hanc cape coronam.

LYSISTRATA. Quid tibi deeſt? quid deſideras? Vade in navem; te Charon vocat: in mora es, quominus in altum provehatur.

PROVISOR. Nonne acerbum eſt hoc me pati? ſed mehercle certum eſt ad collegas ire cum iſto ornatu, & meipſum iis oſtendere.

LYSISTRATA. Num expoſtulas, quod te non collocavimus? ſed poſt tertium diem a nobis venient tibi ſummo mane tridualia parata.

CHORUS SENUM. Non amplius decet dormire, quicunque eſt liber; ſed accingamus nos, viri, ad hoc negotium. Jam enim hæc res plura & majora olere facinora mihi videtur: & præcipue odoror Hippiæ tyrannidem; metuoque valde, ne Lacones aliqui viri huc convenerint in Cliſthenis domum, & has diis inviſas mulieres dolo incitent, ut occupent opes noſtras, & mercedem, unde ego victitabam. Indignum enim eſt ab iſtis admoneri cives, easque, mulieres quum ſint, loqui de æreo clypeo, & inſuper nobiscum agere de pace cum Laconibus, quibus non plus ineſt fidei, quam hianti lupo. Sed, ô viri, hæc illæ texuerunt ad tyrannidem occupandam. At enim nunquam mihi dominabuntur, ſiquidem cavebo, & *geſtabo gladium deinceps in myrti ramo*, & in foro ſtabo armatus prope Ariſtogitonem. Hoc modo autem ſtabo juxta ipſum: ipſe enim mihi auctor eſt, ut hujus diis inviſæ vetulæ percutiam maxillam.

CHORUS MULIERUM. At vos domum ingreſſos ne mater ipſa agnoverit. Sed, ô cariſſimæ vetulæ, primum hæc humi deponamus. Nos enim, ô cives, orationem exordimur civitati utilem; atque adeo merito: nam illa in deliciis ſplendide educavit me. Septem

annos nata ſtatim arcana in Minervæ pompa geſtavi: deinde molitrix fui: tum decennis, Dianæ dominæ, fluenti crocota amicta, Brauroniis conſecrata fui: demum adulta virgo caniſtrum geſtavi, habens caricarum catenam. Numquid ego debeo civitati ſuadere utilia? licet autem femina nata ſim, abſit invidia, ſi meliora præſentibus adferam: nam ſymbolæ etiam ego particeps ſum, quippe quæ viros in commune adfero: vobis autem miſeris ſenibus nulla hujus pars eſt. Nam ſymbolam avorum, quæ dicitur, collatam ex Medorum ſpoliis, quum conſumſeritis, non viciſſim adfertis tributa: ſed inſuper etiam periculum eſt, ne a vobis perdamur. Num ergo mutire licet vobis? Si autem moleſtus mihi eris, crudo hoc cothurno buccam tibi percutiam.

CHORUS SENUM. Annon hæc contumelia eſt magna? quin & incrementum res captura mihi videtur magis. Sed obviam ire oportet huic malo, quicunque coleatus eſt vir. Sed exomidem exuamus. Nam vir debet olere ſtatim virum, nec decet veſtibus involutum eſſe. Sed agite lupipedes, quicunque ad Lipſydrium convenimus, quum adhuc eſſemus: nunc oportet, nunc adſumere rurſus juvenile robur, & extollere totum corpus, & decutere ſenium hocce. Si enim quis noſtrûm hiſce vel exiguam anſam dederit, nihil remittent illæ ab adſiduo labore; verum & naves fabricabunt, & adhuc conabuntur navalibus præliis decertare, & contra nos navigare, ut Artemiſia: ſin ad equitandum ſe convertant, deleo dehinc equites noſtros ex catalogo. Nam equo maxume gaudet, eique firmiter invehit mulier; nec currente facile deciderit: ſpecta ſis Amazonas, quas Micon pinxit in equis pugnantes cum viris. Sed iſtarum omnium in numellam indere hoc collum oportet.

CHORUS MULIERUM. Ecaſtor, ſi me irritaſſis, ſuem meam laxabo jam, & faxo hodie, ut vellicatus populares tuos inclames. Sed & nos, ô mulieres, ocius exuamur, ut oleamus feminas pertinaciter iratas. Nunc ad me veniat aliquis, ut ne amplius comedat allia neque fabas nigras. Nam ſi dixeris tantum male, ſum enim valde irata, *aquilæ parienti ſcarabæus tibi ero obſtetrix.*

MULIER QUÆDAM. Vos enim nihili faciam, si mihi vivat Lampito, & Thebana amica nobilis Ismenia. Non enim potis eris, nec si septies decreta facias, qui odio es, ô perdite, omnibus & vicinis. Nam & heri, quum Hecatæ festum ludicrum instituerem, liberis meis amicam arcessivi ex vicinia, puellam bonam & amabilem, Bœotiam anguillam: illi autem negarunt se missuros propter tua decreta. Nec unquam hujuscemodi decreta facere desinetis, priusquam vos aliquis crure arreptos in præceps dejiciat.

CHORUS MULIERUM, LYSISTRATA, MULIERES QUÆDAM, CHORUS SENUM, SENEX QUIDAM.

CHORUS MULIERUM. Dux facinoris hujus & consili, cur mihi tristis exivisti ex ædibus?

LYSISTRATA. Malarum feminarum facta & muliebris animus anxiam me reddunt, & sursum deorsum agunt.

CHORUS MULIERUM. Quid ais? quid ais?

LYSISTRATA. Vera, vera.

CHORUS MULIERUM. Quid mali est? dic nobis, quæ amicæ tuæ sumus.

LYSISTRATA. Sed turpe est dicere, & difficile reticere.

CHORUS MULIERUM. Ne me celes, quid nobis evenerit male.

LYSISTRATA. Prurimus libidine, ut brevissime dicam.

CHORUS MULIERUM. Io Jupiter!

LYSISTRATA. Quid Jovem inclamas? hæc sane ita habent. Equidem eas abstinere non amplius possum a viris: aufugiunt enim. Primam quidem deprehendi foramen pertundentem, ubi Panos est sacellum: aliam e trochlea sese devolventem: aliam vero transfugium parantem: porro unam passeri insidentem, jam volare cogitantem deorsum in domum Orsilochi, crinibus prehensam heri retraxi: omnesque prætextus extundunt domum abeundi. Jam quædam earum venit. Heus tu, quorsum curris?

MULIER I. Domum ire volo: domi enim mihi est lana Milesia, quam tineæ rodunt.

LYSISTRATA. Quæ tineæ? nonne ibis retro?

MULIER I. Sed cito revortar, per Divas juro, dummodo in lecto extendero —

LYSISTRATA. Ne extende, neque abeas uſquam.

MULIER I. Sed lanamne perire ſinam?

LYSISTRATA. Ita, ſi neceſſe ſit.

MULIER II. Me miſeram, me miſeram, ob amorgidem, quam reliqui domi non decorticatam!

LYSISTRATA. En alia, ad amorgin non decorticatam quæ egreditur. Redi huc.

MULIER II. At per Luciferam juro, me actutum inde huc redituram, ubi eam decorticavero.

LYSISTRATA. Noli decorticare: nam ſi tu iſtuc inceptaveris, itidem alia mulier facere volet.

MULIER III. O diva Lucina, retine partum, donec in locum profanum ivero.

LYSISTRATA. Quid nugaris ita?

MULIER III. Jamjam pariam.

LYSISTRATA. Atqui heri non eras prægnas.

MULIER III. Verum hodie. Sed domum me ad obſtetricem, ô Lyſiſtrata, dimitte quam primum.

LYSISTRATA. Quam fabulam narras? quid habes hîc duri?

MULIER III. Maſculum infantem.

LYSISTRATA. Non tu ecaſtor. Profecto ahenum habere quoddam videris cavum. Sciam modo. O ridicula! ſacram galeam habes, & prægnatem te eſſe dicis!

MULIER III. Et edepol prægnas ſum.

LYSISTRATA. Cur ergo hanc habebas?

MULIER III. Ut, ſi me occupaſſet partus adhuc in arce, parerem in galeam iſtam ingreſſa, ut columbæ.

LYSISTRATA. Quid dicis? cur manifeſtæ rei verba prætendis? non luſtricum galeæ diem hîc expectabis?

MULIER IV. At non poſſum amplius ne quidem dormire in arce, ex quo ſerpentem illum ædituum vidi.

MULIER V. Ego vero miſera pereo inſomnia ob continuum cacabantium noctuarum clangorem.

LYSISTRATA. O ſceleſtæ, mittite ficta iſta portenta. Fortaſſis viros deſideratis. Nos vero nonne putas illis deſiderio eſſe? ſat ſcio, moleſtas tranſigunt noctes. Sed, ô bonæ, ſuſtinete fortiter, & durate paululum adhuc. Nobis enim editum eſt oràculo, ſuperiores nos futuras, ſi ſeditionem inter nos non fecerimus. Sic autem habet oraculum.

CHORUS MULIERUM. Dic nobis quid dicat.

LYSISTRATA. Tacete jam. *Sed quando hirundines trepidæ in unum locum convenerint epopas fugientes, abſtinebuntque a mentulis, tum finis erit malorum, & ſumma faciet ima Jupiter altifremens.*

CHORUS MULIERUM. Supra jacebimus nos?

LYSISTRATA. *Sin diſſidium fecerint, & avolarint e ſacro templo hirundines, jam non videbitur avis ulla eſſe laſcivior.*

CHORUS MULIERUM. Perſpicuum edepol oraculum: ô Cœlites! ne jam deſpondeamus animum laſſitudine, ſed ingrediamur. Etenim turpe erit, ô cariſſimæ, ſi oraculo defuerimus.

CHORUS SENUM. Fabulam volo narrare quandam vobis, quam olim ipſe puer audivi: ſic autem habet. Erat adoleſcens quidam Melanion, qui fugiens nuptias abiit in deſerta, & in montibus habitabat: deinde lepores venabatur, texens retia, & canem unum habebat. Nec amplius rediit domum, propter odium: adeo mulieres abominatus eſt ille. Nos vero non minus quam Melanion, qui ſumus caſti.

SENEX QUIDAM. Volo te oſculari, vetula.

MULIER QUÆDAM. Non ergo cepam comedes.

SENEX. Et ſublato crure te calce ferire.

MULIER. Silvam multam geris.

SENEX. Nam & Myronides erat hiſpidus illa parte, nigroque podice, timendus hoſtibus omnibus: ſic etiam Phormio.

CHORUS MULIERUM. Et ego volo fabulam quandam vobis narrare Melanioni reſpondentem. Timon quidam erat implacabilis, inacceſſis ſpinis circumſeptus faciem, Furiarum propago. Iſte inquam

Timon fugit propter odium, multa mala imprecatus improbis viris. Sic ille rurſus veſtrûm oderat malos viros ſemper: mulierum autem erat amantiſſimus.

MULIER QUÆDAM. Visne buccam tibi percutiam?

SENEX QUIDAM. Haudquaquam timeo.

MULIER. Sed crure feriam.

SENEX. Cunnum oſtendes.

MULIER. Sed tamen non videbis, licet vetula ſim, eum crinitum, at deglabratum lucernæ flammula.



LYSISTRATA, MULIERES QUÆDAM, MYRRHINA, CINESIAS, PUER, CHORUS SENUM.

LYSISTRATA. Io, io mulieres, venite huc ad me celeriter.

MULIER I. Quid eſt? dic mihi, quis eſt iſte clamor?

LYSISTRATA. Virum, virum video accedere furibundum, Veneris percitum orgiis.

MULIER II. O diva, Cypri, & Cytherorum, & Paphi regina, perge recta via, quam inſtitiſti.

MULIER I. Ubi eſt, quisquis eſt?

LYSISTRATA. Apud Cereris.

MULIER I. Ecaſtor næ eſt aliquis. Nam quis eſſe poſſit?

LYSISTRATA. Videte. Novitne aliqua veſtrûm?

MYRRHINA. Pol equidem novi: & eſt meus vir Cineſias.

LYSISTRATA. Tuum ſit munus torrere & verſare illum, & decipere amando & non amando, & omnia præbere, præter illa, quorum conſcius eſt calix.

MYRRHINA. Ne ſollicita ſis: faciam iſta ego.

LYSISTRATA. Quin & ego hîc manens una tecum decipiam & uram iſtum. Vos autem abite.

CINESIAS. Hei mihi miſero! quanta diſcrucior convulſione & tentigine, non ſecus ac ſi in rota torquear!

LYSISTRATA. Quis eſt iſte, qui ſtat cis cuſtodes?

CINESIAS. Ego.

LYSISTRATA. Vir?

CINESIAS. Vir utique.

LYSISTRATA. Nonne ergo hinc faceſſes?

CINESIAS. Tu vero quænam es, quæ me ejicis?

LYSISTRATA. Diurna ſpeculatrix.

CINESIAS. Per deos ergo obſecro, evoca mihi Myrrhinam.

LYSISTRATA. Ecce vero! egone ut Myrrhinam tibi vocem? Tu autem, quis es?

CINESIAS. Vir illius, Pæonides Cineſias.

LYSISTRATA. O ſalve cariſſime: non enim obſcurum apud nos eſt tuum nomen, nec ignobile; ſemper enim te in ore habet uxor tua, & ſi ovum aut malum ſumat, *Cineſiæ ſit hoc*, inquit.

CINESIAS. Dii voſtram fidem!

LYSISTRATA. Ita eſt, per Venerem juro. Tum ſi de viris incidat ſermo aliquis, ſtatim dicere ſolet uxor tua, *cetera omnia nugas eſſe præ Cineſia.*

CINESIAS. Agedum voca ipſam.

LYSISTRATA. Quid? dabiſne aliquid mihi?

CINESIAS. Equidem hercle illico ſi velis. Habeo autem iſſud: quod itaque habeo, do tibi.

LYSISTRATA. Deſcendam igitur, & vocabo eam tibi.

CINESIAS. Quam citiſſime ergo. Nam prorſus ingrata mihi vita eſt, ex quo exivit illa domo: atque intrare tædet: deſolata mihi videntur omnia: neque unquam quicquam me juvat quod edo: nam riget mihi nervus.

MYRRHINA. Amo equidem, amo illum: ſed non vult a me amari. Proinde ne me ad hunc vocaveris.

CINESIAS. O dulciſſima Myrrhinula, cur iſtæc agis? deſcende huc.

MYRRHINA. Non ecaſtor ego illuc deſcendam.

CINESIAS. Ne quidem me vocante, Myrrhina?

MYRRHINA. Nihil enim mei indigens me vocas.

CINESIAS. Egone nihil indigens? immo perditus.

MYRRHINA. Abeo.

CINESIAS. Noli, quæſo: ſed ſaltem puerulo auſculta. Heus tu, nonne vocas matrem?

PUER. Mater, mater, mater.

CINESIAS. Heus tu, quid agis? nonne te miſeret pueruli ſextum jam diem illoti & mamma carentis?

MYRRHINA. Utique miſeret me: ſed neglegens eſt ei pater.

CINESIAS. Deſcende, inſana, pueruli gratia.

MYRRHINA. Hem! quale eſt peperiſſe! deſcendendum; quid enim agam?

CINESIAS. Mihi quidem junior illa videtur facta eſſe multo, & amabilius intueri: & quod ſe difficilem præbet, meique faſtidit, illud ipſum nimirum eſt, quod me enecat deſiderio.

MYRRHINA. O dulciſſime filiole mali patris, age deoſculabor te dulciſſimum matri tuæ.

CINESIAS. Cur, ô improba, hæc facis, aliisque obſequeris mulieribus? Et me moleſtia, teque ipſam tædio adficis.

MYRRHINA. Potin' es ut abſtineas manum?

CINESIAS. Quæ nobis autem domi ſunt communia bona, perditum is.

MYRRHINA. Parvi pendo illa.

CINESIAS. An parvi pendis, quod tramam differunt gallinæ?

MYRRHINA. Ita ecaſtor.

CINESIAS. Veneris orgia non celebraſti tanto tempore. Nonne redibis?

MYRRHINA. Haud pol ego, niſi pacem faciatis inter vos, & deſinatis belligerare.

CINESIAS. Ergo, ſi tibi ita placet, id etiam faciemus.

MYRRHINA. Ergo, ſi tibi ita placet, domum redibo: nunc autem quin redeam ſacramento teneor.

CINESIAS. Saltem aliquantiſper mecum decumbe.

MYRRHINA. Non ſane: etſi non poſſim negare te a me amari.

CINESIAS. Amas? cur ergo non decumbis, ô Myrrhina?

MYRRHINA. O ridende, num præſente puerulo?

CINESIAS. Non hercle. Sed tu, ô Manes, fer eum domum. Ecce puerulus jam tibi hinc amotus: tu vero non decumbes?

MYRRHINA. Sed, ô perdite, ubi fieri id poteſt?

CINESIAS

CINESIAS. Ad Panos ſacellum percommode.

MYRRHINA. At quomodo in arcem caſta redire potero?

CINESIAS. Facillume, in Clepſydra ſi laveris.

MYRRHINA. Scilicet, ô perdite, jurata pejerabo?

CINESIAS. In caput meum vertat. De jurejurando ne ſis ſollicita.

MYRRHINA. Agedum feram lectulum nobis.

CINESIAS. Nequaquam: ſufficit nobis humi cubare.

MYRRHINA. Ita me Apollo juvet, ut ego te, quamvis turgentem libidine, non reclinaverim humi.

CINESIAS. Amat me valde, ſatis apparet, uxor.

MYRRHINA. En, decumbe properans, & ego exuo veſtes. At, perii! teges efferenda eſt.

CINESIAS. Quæ, malum, teges? haud mihi quidem.

MYRRHINA. Ita mihi Diana propitia ſit: turpe eſt enim ſuper loris cubare.

CINESIAS. Sine deoſculer te.

MYRRHINA. En.

CINESIAS. Papæ! revertere huc ergo quam celerrime.

MYRRHINA. En teges. Decumbe: jam exuo veſtes. Sed, perii! cervical non habes.

CINESIAS. At nihil opus eſt mihi.

MYRRHINA. At ecaſtor mihi.

CINESIAS. Profecto penis hicce uti Hercules hoſpitio excipitur.

MYRRHINA. Surge, ſubſulta.

CINESIAS. Jam omnia habeo.

MYRRHINA. Itane omnia?

CINESIAS. Agedum ô aurea.

MYRRHINA. Jam ſtrophium ſolvo: tu vero memento, ne, quam dediſti de pace ineunda, fidem fallas.

CINESIAS. Peream hercle prius.

MYRRHINA. Sed lodicem non habes.

CINESIAS. Nec hercle opus eſt: ſed futuere volo.

MYRRHINA. Ne ſis ſollicitus, & iſtud facies: cito enim redeo.

CINESIAS. Stragulis perdet me hæc femina.

MYRRHINA. Erigere.

CINESIAS. At iſte jamdudum erectus eſt.

MYRRHINA. Vin' ut te inungam?

CINESIAS. Ne hoc Apollo ſirit.

MYRRHINA. Per Venerem, velis nolis, inungere.

CINESIAS. Utinam, ô ſupreme Jupiter, effuſum fuiſſet iſtuc unguentum!

MYRRHINA. Porrige manum, ſume & inungere.

CINESIAS. Iſtuc hercle unguentum minime eſt ſuave, niſi terendo bonum ſit; nec concubitum olet.

MYRRHINA. Me miſeram! Rhodium unguentum extuli.

CINESIAS. Bonum eſt: hoc mitte, ô fatua.

MYRRHINA. Nugaris.

CINESIAS. Qui illum dii omnes perduint, qui primus coxit unguentum!

MYRRHINA. Cape hoc alabaſtrum.

CINESIAS. Sed aliud habeo. At tu, ô perdita, decumbe, & ne fer mihi quicquam.

MYRRHINA. Iſtuc agam, ita me Diana amabit. Calceos igitur exuo. Sed, ô cariſſime, vide, ut decernas aliquid de pace facienda.

CINESIAS. Conſulam -- Perdidit me & adtrivit mulier tum aliis omnibus, tum quod me excoriatum relinquens abiit. Hei mihi! quid faciam? quem futuam, poſtquam ſpe excidi potiundæ pulcherrimæ? quomodo hancce educabo? ubi Cynalopex? loca mihi mercede nutricem.

CHORUS SENUM. In maxumis malis, ô infelix, & animi angore cruciaris; & me tui miſeret. Heu! heu! Quinam renes poſſint durare? quis animus? qui colei? quis lumbus? quis penis intentus, nec mane permolens aliquam?

CINESIAS. O Jupiter! quam diræ convulſiones!

CHORUS SENUM. Ita de te merita eſt execrabilis & ſceleſta illa.

CINESIAS. Immo hercle cara & dulciſſima.

CHORUS SENUM. Quid, malum, *dulciſſima?* Scelerata, ſcelerata utique. O Jupiter, ô utinam ipſam, velut acervos acerum, magno venti turbine contortam & rotatam auferas, deinde dimittas: illa autem rurſus feratur in terram: deinde repente in mentulam incidat & infigatur!

CADUCEATOR LACEDÆMONIORUM, PROVISOR, CHORUS SENUM, CHORUS MULIERUM.

CADUCEATOR. Ubi Athenarum eſt Senatus, aut ubi ſunt Magiſtratus? Volo aliquid novi dicere.

PROVISOR. Tu vero quis es? utrum homo, an Coniſſalus?

CADUCEATOR. Caduceator ego ſum, ô ſtulte: teſtor deos geminos: veni Sparta, pacis conciliandæ gratia.

PROVISOR. Ergone adveniſti haſtam ſub axilla gerens?

CADUCEATOR. Non ego hercle.

PROVISOR. Quo te verſas? quidve prætendis ſagum? an dolent tibi inguina ex itinere?

CADUCEATOR. Ineptus mecaſtor eſt hic homo.

PROVISOR. Sed arrigis, impuriſſime.

CADUCEATOR. Non ego hercle: noli nugari.

PROVISOR. At quid eſt hoc tibi?

CADUCEATOR. Scytala Laconica.

PROVISOR. Sit modo hæc ſcytala Laconica: ſed mihi, tanquam ſcienti, dic verum; quomodo ſeſe res veſtræ habent Lacedæmone?

CADUCEATOR. Erecta eſt univerſa Lacedæmon, & ſocii omnes arrigunt: Pellena opus eſt.

PROVISOR. Undenam iſtud malum in vos ingruit? num a Panos ira?

CADUCEATOR. Non. Principium quidem ſola Lampito: deinde ceteræ ſimul Spartanæ mulieres uno conſenſu viros a cunnis abegerunt.

PROVISOR. Quomodo ergo habetis?

CADUCEATOR. Ærumnis conficimur: nam per urbem incurvi ambulamus, tanquam lucernas geſtantes: mulieres autem ne tangi quidem ſibi cunnum a nobis patiuntur, priusquam omnes unanimi conſilio pacem faciamus cum Græcia.

PROVISOR. In hanc rem undique conjurarunt mulieres: nunc demum intellego. Sed quamprimum renuntia, ut de pace legatos plena cum poteſtate huc mittant: ego vero Senatui dicam, ut alios hinc lectos mittant legatos, oſtendens hunc penem.

CADUCEATOR. Volabo: nam optime prorſus autumas.

CHORUS SENUM. Nulla eſt beſtia muliere inexpugnabilior, nec ignis; nec ulla pardalis tam impudens.

CHORUS MULIERUM. Hæc vero ita eſſe intellegis, & bellum geris, dic mihi, quum tibi nunc, ô improbe, liceat certam me habere amicam?

CHORUS SENUM. Equidem mulieres odiſſe non deſinam.

CHORUS MULIERUM. Sed quando voles, deſines: nunc autem non patiar te nudum ſic eſſe: video enim, quam ſis ridiculus. Verum accedam, & tibi hanc exomidem induam.

CHORUS SENUM. Iſtuc quidem hercle non perperam facitis: verum præ iracundia illam modo exui.

CHORUS MULIERUM. Primo quidem vir videris: deinde non es ridiculus: & niſi mihi moleſtus fuiſſes, ego tibi hanc beſtiolam, quæ oculo tuo nunc inſidet, prehenſam exemiſſem.

CHORUS SENUM. Hoc nimirum erat, quod me cruciabat, mordaculus ille. Erue id: & ubi detraxeris, oſtende mihi. Nam dudum hercle oculum mihi morſicat.

CHORUS MULIERUM. Sed faciam id, etſi homo ſis moroſus. O Jupiter! ingens utique aſpectu culex ineſt tibi. Nonne vides? annon iſte culex eſt Tricoryſius?

CHORUS SENUM. Edepol me beaſti. Nam dudum me fodiebat, quaſi puteum faceret: itaque, poſtquam exemtus eſt, fluit mihi lacrima largiter.

CHORUS MULIERUM. Sed detergam ego te, etſi valde ſis malus; & oſculabor.

CHORUS SENUM. Ne oſculeris.

CHORUS MULIERUM. Velis nolis, tamen.

CHORUS SENUM. Male pereatis, ut eſtis ingenio ad blandiendum compoſito! & eſt vetus illud verbum vere & non perperam dictum: *Neque cum perniciosissimis, neque sine perniciosissimis.*

CHORUS MULIERUM. Sed nunc tecum paciſcor, me deinceps nec facturam amplius vobis, nec paſſuram a vobis quicquam mali: ſed jam cœtu facto incipiamus una canticum. Ita nos, ô viri comparamus, ut nulli civium ne minimum quidem male dicamus: ſed contra potius omnia bona & dicamus & faciamus: etenim ſufficiunt præſentia hæc mala. Sed profiteatur quicunque vir aut femina pecunia eget, & accipere vult minas duas aut tres: nam plurimum eſt intus, nosque habemus cruminas: & ſi aliquando Pax exoriatur, quicunque nunc mutuabitur, is quæ a nobis acceperit nunquam reddet. Convivio autem excepturæ ſumus hoſpites quoſdam Caryſtios, viros bonos & fortes: & eſt nonnihil pultis: & porcellus erat mihi, quem mactavi: ſicque carnes habebitis teneras & bonas. Venite ergo in domum meam hodie: tempori autem oportet hoc facere lotos, vos ipſos & liberos veſtros; deinde intro ire, nec quemquam interrogare: ſed recta ingredi, tanquam in domos veſtras, ſtrenue. Fortaſſis autem janua erit clauſa.

CHORUS SENUM. Sed e Sparta iſti legati, trahentes barbas, adveniunt, quaſi paxillum, cui porcelli adligantur, circa femora habentes.

CHORUS SENUM, LEGATI LACEDÆMONIORUM, POLYCHARIDES, LYSISTRATA, CHORUS MULIERUM, CIRCUMFORANEI QUIDAM, FAMULUS, ATHENIENSIS QUIDAM.

CHORUS SENUM. Primum quidem, ô Lacones, ſalvete: deinde dicite nobis quo in ſtatu huc veneritis.

LEGATUS. Cur vobis rem multis verbis narremus? cernere licet, quo in ſtatu venerimus.

CHORUS SENUM. Papæ! huic malo intenduntur nervi perquam vehementer; gliſcitque fervor pejorem in modum.

LEGATUS. Res verbis adumbrari nequit: quid verbis opus eſt? ſed veniat quis, & quo tandem pacto voluerit, pacem nobis conſtituat.

CHORUS SENUM. Atqui & iſtos conſpicor indigenas, tanquam luctatores pueros, a ventre rejicientes veſtes, ita ut athleticum quid hic morbus videatur.

POLYCHARIDES. Quis indicet nobis Lyſiſtratam, ubi ſit? nam viri adſumus & nos hujuſcemodi.

CHORUS SENUM. Et alter hic morbus alteri congruit. Numquid mane tentigo vos capit?

POLYCHARIDES. Immo perimus, dum hoc experimur. Quare, niſi pacem quis inter nos ocius conciliet, fieri non poterit, quin Cliſthenem futuamus.

CHORUS SENUM. Si ſapitis, veſtes ſumetis, ut ne quis eorum, qui Hermas truncant, vos videat.

POLYCHARIDES. Recte, ita me Jupiter amet, autumas.

LEGATUS. Ita me Castores, recte omnino. Agedum amiciamur.

POLYCHARIDES. Salvete, ô Lacones: turpe est, quod nobis accidit.

LEGATUS. O Polycharida, male utique nobis fuisset, si vidissent isti viri mentulas nostras erectas.

POLYCHARIDES. Agite, Lacones, aperte profitendum est; quare huc adveniistis?

LEGATUS. De pace legati.

POLYCHARIDES. Recte dicitis; & nos ob eam rem. Quidni ergo vocamus Lysistratam, quæ sola nos conciliare possit?

LEGATUS. Ita edepol, &, si vultis, Lysistratum.

CHORUS SENUM. Sed nihil opus est, ut videtur, a vobis eam evocarier: ipsa enim, re audita, egreditur.

POLYCHARIDES. Salve mulier omnium fortissima: nunc te decet esse formidabilem, probam, simplicem, gravem, mitem, calidam. Nam primarii Græciæ viri, tuis illecebris capti, tibi permiserunt, & communi consilio commiserunt querelas suas.

LYSISTRATA. Sed non difficile negotium est, si quis subantes eos offendat, & mutuo masculæ Veneris usu abstinentes. Sed mox scibo. Ubi est Pax? adduc primum Laconas prehensos manu, sed non dura, nec superba, neque, ut viri nostri solebant, invenuste; sed, ut mulieres decet, familiariter omnino. Si tibi quis manum non dederit, mentula prehensum duc. Age tu etiam Athenienses duc istos, qua concedent parte prehensos. Vos Lacones, state huc prope me: vos autem istinc, & verba mea percipite. Mulier quidem sum: mens tamen inest mihi: & primum quidem a natura mihi inditum fuit, ut recte sentirem: tum, præceptis multis e patre meo & senioribus auditis, erudita sum non male. Volo autem vos communi argumento increpare, idque merito: qui, licet eadem aqua lustrali aras conspergatis, tanquam cognati, Olympiæ, Pylis, Delphis, (Quot alia memorarem loca, si vellem esse prolixior?) quum non desint barbari hostes, tamen infestis exercitibus Græcos

& eorum urbes peſſundatis. Communis quidem iſta oratio hactenus mihi finitur.

POLYCHARIDES. At ego tentigine pereo.

LYSISTRATA. Deinde vos Lacones, nam ad vos me convertam, nonne ſcitis, ut olim huc veniens Periclides Laco, Athenienſibus ſupplex, ad aras ſedit, pallidus, in purpureo amictu, auxiliares copias petens? nam tunc vos urgebat Meſſena, & una Neptunus terram quatiens. At Cimon cum quatuor millibus armatis profectus univerſam ſervavit Lacedæmonem. His ab Athenienſibus acceptis beneficiis, vaſtatis terram, cujus talia ſunt in vos merita.

POLYCHARIDES. Injurii ſunt iſti hercle, ô Lyſiſtrata.

LEGATUS. Injurii ſumus: ſed vix dici poteſt, quam pulcher ſit hujus culus.

LYSISTRATA. At putasne me vos Athenienſes abſoluturam culpa? nonne meminiſtis, ut viciſſim Lacones, quando ſervilibus tunicis induti eratis, venientes armati, multos occiderunt Theſſalos, multosque Hippiæ amicos & ſocios, ſoli ſuppetias vobis ferentes illo die, & reſtituta vobis libertate, pro ſervili tunica populum veſtrum pallio amicierunt denuo?

LEGATUS. Nondum vidi mulierem præſtantiorem.

POLYCHARIDES. At ego cunnum nunquam pulchriorem.

LYSISTRATA. Cur ergo, quum tam multa & præclara merita veſtra exſtent, pugnatis, & non deſiſtitis a malitia? cur non reconciliamini? age, quid obſtat?

LEGATUS. Nos quidem volumus, ſi quis nobis encyclum iſtud reddere velit.

LYSISTRATA. Quodnam, ô bone?

LEGATUS. Pylum, ut dudum eam flagitamus & captamus.

POLYCHARIDES. Illud quidem vobis nunquam eveniet, per Neptunum juro.

LYSISTRATA. Concedite illis, ô boni.

POLYCHARIDES. Poſtea quamnam movebimus?

LYSISTRATA. Aliud repoſcite pro iſto caſtellum.

POLYCHARIDES. Perii! date igitur nobis hunc Echinuntem primo, & Malienſem ſinum pone adjacentem, & Megarica Crura.

LEGATUS. Non edepol omnia, ô inſane.

LYSISTRATA. Sinite, ne contende de Cruribus.

POLYCHARIDES. Jam exuta veſte nudus arare volo.

LEGATUS. At pol ego ſtercus convehere quamprimum.

LYSISTRATA. Ubi pax vobis reconciliata fuerit, iſtuc facietis. Sed ſi de pace vobis conſtat ſententia, deliberate, & ſocios adeuntes rem cum iis communicate.

POLYCHARIDES. Nam quos, ô bona, ſocios? arrigimus. Annon idem noſtris ſociis videbitur, omnibus futuendum eſſe?

LEGATUS. Sic edepol meis.

POLYCHARIDES. Immo hercle Caryſtiis.

LYSISTRATA. Recte dicitis. Nunc curate ut puri ſitis, ut nos mulieres in arce convivio vos excipiamus de illis quæ in ciſtis habemus. Jusjurandum & fidem illic invicem date, deinde uxore ſua accepta, veſtrûm unusquisque abibit.

POLYCHARIDES. Sed eamus quam citiſſime.

LEGATUS. Duc quo tu vis.

POLYCHARIDES. Ita hercle, quam celerrime.

CHORUS MULIERUM. Stragulas veſtes & lænas, & xyſtidas, & aurea vaſa, quidquid eſt mihi, ſine invidia volo omnibus præbere, ut ferant ſuis liberis, ſi quando alicujus filia caniſtrum in ſacris geſtet. Omnibus vobis dico, ut ſumatis nunc de meis opibus e domo mea, & nihil tam bene obſignatum eſſe, quin ceram revellatis, & quæ intus condita ſunt auferatis. Sed qui omnia circumſpexerit, nihil videbit, niſi quis veſtrûm acutius cernit, quam ego. Si vero alicui cibus deeſt, quo vernas & parvulam ſobolem numeroſam paſcat, licet a me ſumere contritas fruges: at eſt panis unius chœnicis, aſpectu valde magnus. Quiſquis igitur vult pauperum, eat in domum meam ſaccos habens & peras, accepturus fru-

ges: Manes autem servus meus eis indet. Verumtamen ad januam meam ne quis accedat, prædico: sed caveat canem.

CIRCUMFORANEUS. Aperi januam.

FAMULUS. Nonne vis loco cedere? Vos, quid sedetis? Num vultis, ut ego lampade hac vos comburam? molesta est hæc statio.

CIRCUMFORANEUS. Non recedam.

FAMULUS. Sed si omnino id faciendum est, ut vobis gratificemur, durabimus.

CIRCUMFORANEUS. Et nos tecum una durabimus.

FAMULUS. Nonne abitis? Male erit vestris capillis & flebitis largiter. Non abitis, ut Lacones ex ædibus quiete abeant rerum omnium saturi?

ATHENIENSIS QUIDAM. Nunquam equidem vidi tale convivium. Faceti utique erant Lacones: nos autem in vino convivæ sapientissimi.

CHORUS SENUM. Recte autumas, quia sobrii insanimus. Quod si Athenienses me audient, madidi semper obibimus legationes ubicunque. Nunc enim si quando Lacedæmonem venimus sicci, statim circumspicimus, ecquid turbare possimus. Itaque quid dicant, non audimus: quæ vero non dicunt, hæc suspicamur perperam: & nuntiamus non eadem de iisdem rebus. At nunc omnia placuerunt, ut si quis cantaret Telamonis, quum cantare debuisset scolion Clitagoræ, tamen laudaremus, & insuper pejeraremus.

FAMULUS. Sed isti rursus huc conveniunt. Nonne facessitis, verberones?

CIRCUMFORANEUS. Ita hercle: jam enim intus egrediuntur convivæ.

LEGATUS. O Polycharida, cape tibias, ut ego tripudiem & canam lepide in Athenienses & nos simul.

POLYCHARIDES. Quin tu cape tibias, per deos obſecro: nam nihil me magis oblectat, quam ſi vos ſaltantes conſpicer.

LEGATUS. Excita, ô Mnemoſyne, juvenes hoſce, & meam Muſam, quæ noſtra & Athenienſium præclara facta novit: quando hi quidem ad Artemiſium, diis ſimiles, impetum fecerunt in naves hoſtiles, & Medos vicerunt. Nos vero Leonidas ducebat, tanquam apros, exacuentes dentem: plurima autem circa ora ſpuma efflorescebat, plurimaque ſimul defluebat cruribus. Erant enim viri Perſæ numero non pauciores, quam arena. Silvarum potens Diana venatrix, huc ades, virgo diva, ad fœdus noſtrum, ut concordiam noſtram diu tuearis, utque jam deinceps amicitia permaneat facilis, inito fœdere; & aſtutiam vulpinam miſſam faciamus: ô huc ades, ô venatrix virgo.

LYSISTRATA. Agite nunc rebus bene peractis ceteris, abducite iſtas, ô Lacones; has autem, vos: vir apud mulierem, & mulier ſtet apud virum. Et deinde ob felicem rerum ſucceſſum, choreis in deorum honorem ductis, caveamus deinceps rurſus peccare.

CHORUS ATHENIENSIUM. Adduc chorum, adduc etiam Gratias: præterea Dianam advoca; advoca etiam geminum Dianæ, chori ducem, Pæanem benignum: advoca Nyſium, cui cum Mænadibus oculi ſunt flagrantes: Jovemque igni coruſcum, & conjugem venerandam advoca beatam: deinde vero deos, quibus teſtibus utemur non obliviosis circa magnanimam pacem, quam fecit diva Cypris. Alalæ io Pæan, tollite vos ſublimes, io! tanquam victoria potiti, io! Euœ, euœ; Euæ, euæ. Lacon, tu jam profer cantilenam novam poſt novam.

CHORUS LACONUM. Taygetum amabilem relinquens, rurſus veni Muſa Lacæna, venerandum nobis celebrans Amyclarum deum, & Chalciœcam Minervam, Tyndaridasque fortes, qui ad Eurotam ludunt. Eia naviter ingredere, levem pallii quatiens inſtitam, ut Spartam celebremus, cui deorum chori ſunt curæ, & pedum ſtrepitus: puellæ vero propter Eurotam, ut pulli equini, ſubſul-

tant, crebro pedum pulsu festinantes, comasque quassant, tanquam Bacchæ thyrsis ludentes. Præit autem Ledæ filia casta, dux chori pulchra. Sed age manu fluxos capillos implica vittæ, & pedibus salta, salta ut cerva: plausum simul fac choreis utilem, & divarum fortissimam Chalciœcam celebra, bellatricem.

FINIS LYSISTRATÆ.

ARISTOPHANIS
THESMOPHORIAZUSÆ.

DRAMATIS PERSONÆ.

MNESILOCHUS Euripidis ſocer.

EURIPIDES.

FAMULUS Agathonis.

AGATHO.

CHORUS Agathonis.

PRÆCO.

CHORUS Mulierum Theſmophoria celebrantium.

MULIERES QUÆDAM.

CLISTHENES.

PRYTANIS.

SCYTHA LICTOR.

MNESILOCHUS,

MNESILOCHUS, EURIPIDES, FAMULUS AGATHONIS, AGATHO, CHORUS AGATHONIS.

MNESILOCHUS. O Jupiter! quando tandem hirundo apparebit? perdet me homo, in orbem me circumducens a matutino usque tempore. Licetne vero, priusquam lien mihi excutiatur, percontari te, quo me ducis, ô Euripides!

EURIPIDES. Sed non audire te oportet omnia, quæ ſtatim præſens videbis.

MNESILOCHUS. Quid ais? iterum memora. Non oportet me audire?

EURIPIDES. Non, ſi quæ ſtatim viſurus es.

MNESILOCHUS. Neque ergo videre me oportet?

EURIPIDES. Non, ſi quæ auditurus es.

MNESILOCHUS. Quidnam mihi ſuades? attamen ſcite loqueris. Scilicet, ut cenſes, nec audiendum, nec videndum mihi eſt.

EURIPIDES. Utriusque enim horum diverſa eſt natura. Aliud eſt *non videre*, aliud eſt *non audire*: hoc ſcias.

MNESILOCHUS. Quomodo aliud?

EURIPIDES. Ita hæc olim diſcreta fuerunt. Etenim æther, quum primum ſecerni cœpit, & animalia in ſe gignere motu prædita, quo quidem cernere oportet, primum fabricavit oculum, inſtar Solis rotæ: auditus vero infundibula, aures perforavit.

MNESILOCHUS. Propter infundibulum ergo neque audio, neque video. Gaudeo hercle me hæc didiciſſe. Quantum eſt cum ſapientibus converſari!

EURIPIDES. Multa talia diſcere poſſis a me.

MNESILOCHUS. Utinam ergo præter bona ista excogitare queas, quanam ratione adhuc addiscam, non esse claudum cruribus!

EURIPIDES. Accede huc & adhibe mentem.

MNESILOCHUS. Ecce.

EURIPIDES. Viden' ostiolum hoc?

MNESILOCHUS. Sic hercle opinor.

EURIPIDES. Tace nunc.

MNESILOCHUS. Taceo ostiolum.

EURIPIDES. Ausculta.

MNESILOCHUS. Auscultabo & tacebo ostiolum.

EURIPIDES. Hic habitat inclytus ille Agatho, tragicus poëta.

MNESILOCHUS. Qualis est iste Agatho?

EURIPIDES. Est quidam Agatho —

MNESILOCHUS. Num niger ille & robustus?

EURIPIDES. Non: sed alius quis. Nunquamne vidisti?

MNESILOCHUS. An barbatus ille?

EURIPIDES. Nunquamne vidisti?

MNESILOCHUS. Haud hercle vero, quod quidem sciam.

EURIPIDES. Atqui præcidisti tu eum: sed non noveras forsan. Sed procul deliteamus, quia foras egreditur famulus quis ejus, ignem gerens & ramos myrteos: sacrificaturus videtur pro felici carminum elaboratione.

FAMULUS. Favete linguis, omnis populus, ore compresso. Versatur enim intra heriles ædes Musarum sacer cœtus cantica modulans. Compescat autem ventos tranquillus æther, fluctusque maris non resonet cœruleus.

MNESILOCHUS. Bombax.

EURIPIDES. Tace: cur loqueris?

FAMULUS. Volucrum genus omne somno quiescat, agrestiumque ferarum per silvas vagantium pedes ne solvantur.

MNESILOCHUS. Bombalobombax.

FAMULUS. Nam constituit suaviloquus Agatho, antistes noster —

(MNESILOCHUS. An prædicari?

FAMULUS. Quis vocem emiſit?

MNESILOCHUS. Tranquillus æther.)

FAMULUS. Statumina pangere, dramatis exordia: curvat vero novas teſtudines verſuum: & alios quidem tornat, aliorum conglutinat membra: gnomas effingit: nomina commutat rebus: in modum ceræ verſus liquat, & rotundat, & in forma fundit.

MNESILOCHUS. Et clunem agitat.

FAMULUS. Quis ruſticus ſeptis appropinquat?

MNESILOCHUS. Qui paratus eſt tibi & poëtæ illi ſuaviloquo, perforato ſepto, rotundatum hunc penem & contortum in culi formam fundere.

FAMULUS. Mirum, ni, quum juvenis eſſes, valde fueris protervus, ô ſenex.

EURIPIDES. O bone, hunc quidem jube valere: tu vero Agathonem huc mihi evoca omni ſtudio.

FAMULUS. Non eſt quod me roges: nam ipſe egredietur illico, quippe qui carmina modulari occipit. Hieme enim flectere ſtrophas non eſt facile, niſi quis foras progrediatur in ſolem.

MNESILOCHUS. Quid igitur agam?

EURIPIDES. Opperiredum: nam egreditur. O Jupiter, quid me facere cogitas hodie?

MNESILOCHUS. Per Jovem, percontabor hominem, quid hoc rei ſit. Quid gemis? quid gravaris? clam me non decet te habere, qui ſis gener meus.

EURIPIDES. Eſt malum mihi magnum præparatum.

MNESILOCHUS. Quodnam?

EURIPIDES. Hodie decernetur, vivatne adhuc, an perierit Euripides.

MNESILOCHUS. Et quomodo? ſi quidem nunc neque in foris jus dicitur, nec Senatûs eſt conſeſſus, quia tertius eſt dies, Theſmophoriorum medius.

EURIPIDES. Hoc ipſum nimirum exitio mihi futurum præſagit

mihi animus. Insidias enim struxerunt mihi mulieres, & in Dearum ædem convenerunt hodie, in perniciem meam deliberaturæ.

MNESILOCHUS. Quam ob causam?

EURIPIDES Quia in tragœdiis eas traduco, & convicia illis dico.

MNESILOCHUS. Per Neptunum & Jovem merito hoc tibi evenerit. Sed, quum hæc ita comparata sint, quid habes quod contra machineris?

EURIPIDES. Agathoni poëtæ tragico si persuasero, ut Thesmophoria adeat.

MNESILOCHUS. Quid facturus, quæso?

EURIPIDES. Ut verba faciat in mulierum concilio, & quæ in rem meam sint pro me dicat.

MNESILOCHUS. Utrum palam, an clam?

EURIPIDES. Clam, stola muliebri indutus.

MNESILOCHUS. Lepidum hercle inventum, & a tuo more minume alienum. Fallaciarum enim nostra est palma.

EURIPIDES. Tace.

MNESILOCHUS. Quid rei est?

EURIPIDES. Egreditur Agatho.

MNESILOCHUS. Et qualis ille est?

EURIPIDES. Is est, qui nunc advehitur.

MNESILOCHUS. Profecto cœcus sum: non enim video virum ullum hîc præsentem: at Cyrenen video.

EURIPIDES. Tace; jam enim, ut carmina moduletur, se comparat.

MNESILOCHUS. Formicinas semitas, aut quid aliud flebili voce cantillabit?

AGATHO. Sacram Inferis Deabus accipientes facem, puellæ, cum libera patria, choros agitate, & clamorem tollite.

CHORUS. Cuinam deorum, dic age, festum hoc celebratur? facile enim animum induco deos colere.

AGATHO. Age nunc instrue, Musa, aureo arcu insignem Phœbum, urbis qui condidit mœnia in Simoëntide terra.

CHORUS. Salve, festivissimis canticis celebrate Phœbe: qui musicis in certaminibus sacrorum præmiorum honoribus excellis.

AGATHO. Et nemorosis in montibus degentem virginem laudate, Dianam silvestrem.

CHORUS. Celebrare & beatam prædicare pergo venerandam Latonæ prolem, Dianam integram.

AGATHO. Latonamque, & pulsus Asiaticæ citharæ, a pede nunc discrepantes, nunc ei respondentes rhythmo, ad quos moventur Phrygiæ Gratiæ.

CHORUS. Veneror Latonamque reginam, citharamque matrem hymnorum, probato masculo clamore, per quem fulgor emicat divinis ex oculis, & per nostram subitam vocem: quorum gratia regem Phœbum laudibus orna. Salve Latonæ fili beate.

MNESILOCHUS. Quam dulce melos, ô venerandæ Genetyllides, & effeminatum, & blandius lasciviusque quibusvis oculis, ita ut audienti mihi podicem ipsum subierit titillatio! Et te, ô adulescens, Æschyli verbis in Lycurgo interrogare volo. Cujas est effeminatus iste? quæ patria? quæ stola? quæ confusio vitæ? Quid barbito rei est cum crocota? quid lyræ cum redimiculo? quid palæstrica ampulla & strophium? quam non conveniunt! quænam est speculi & ensis societas? quisnam vero ipsus es, adulescens? num vir es? at ubi penis? ubi læna? ubi viriles calcei? an vero femina? ubi igitur papillæ? quid ais? quid taces? Sed utique ex cantu conjecturam de te faciam, siquidem ipse non vis dicere.

AGATHO. O senex, senex, invidiæ quidem convicium audivi; sed dolore non affectus sum. Ego autem vestem, pro iis quæ animo meditor, gero. Poëtam enim oportet fabularum, quas facit, argumentis convenientes adsciscere mores. Ac primo quidem muliebres quando quis facit fabulas, muliebrium morum corpus ipsum poëtæ particeps esse oportet.

MNESILOCHUS. Equum igitur agitas, quum Phædram facis.

AGATHO. Viriles autem si quis faciat, virile istud corpori inest ipsi. At quæ natura non habemus, illa demum imitando studemus adsequi.

MNESILOCHUS Ergo quum Satyros facies, voca me, ut opera mea te adjuvem pone ſtans arrecto veretro.

AGATHO. Præterea illepidum eſt poëtam videre, agreſtis qui ſit & hirſutus. Conſidera porro Ibycum illum & Anacreontem Teium, & Alcæum, qui harmoniæ venuſtatem conciliarunt, mitras geſtaſſe, & molliter, Ionum more, ſaltaſſe. Phrynichus quoque, de hoc enim certe audiviſti, & ipſe pulcher erat, & pulchris induebatur veſtibus: idcirco utique & pulchra erant ejus dramata. Neceſſe enim quemlibet paria naturæ ſuæ facere.

MNESILOCHUS. Propterea utique Philocles, qui turpis eſt, turpia facit: Xenocles autem, qui malus eſt, mala facit: porro Theognis, qui frigidus eſt, frigida facit.

AGATHO. Neceſſe omnino. Quare, quum illud noſſem, corpus meum curavi diligenter.

MNESILOCHUS. Quomodo obſecro?

EURIPIDES. Deſine latrare. Namque ego iſtuc ætatis talis eram, quando incepi fabulas facere.

MNESILOCHUS. Tibi hercle non invideo educationem tuam.

EURIPIDES. Sed cujus gratia veni, ſine me dicere.

MNESILOCHUS. Dic.

EURIPIDES. Agatho, ſapientis eſt viri, ſi quis paucis verbis multa ſcite complecti poſſit. Ego vero nova calamitate percuſſus ſuppléx ad te venio.

AGATHO. Quanam re indigens?

EURIPIDES. Conſtituerunt mulieres me perdere hodie in feſto Theſmophoriorum, quia ipſis male dico.

AGATHO. Quodnam igitur a nobis eſt auxilium tibi?

EURIPIDES. Maxumum. Nam ſi inter mulieres, clam eas, ſedeas, ita ut mulier eſſe videaris, cauſamque meam dilucide agas, ſervabis me. Solus enim condigne pro me dicere queas.

AGATHO. Quidni vero ipſe cauſam tuam dicis præſens?

EURIPIDES. Dicam tibi. Primum quidem noſcor: deinde canus

ſum, & barbam habeo. Tu vero formoſo es vultu, candidus, raſus, muliebri voce, delicatus, ſpecie decora.

AGATHO. Euripides —

EURIPIDES. Quid eſt?

AGATHO. Feciſtin' aliquando hunc verſum? *Jucundum tibi eſt lucem intueri: patri vero id non jucundum putas?*

EURIPIDES. Equidem.

AGATHO. Ne igitur ſperes tuum malum nos ſubituros eſſe: nam inſaniremus utique. Sed ipſe quod tuum eſt, eo quo par eſt animo feras. Calamitates enim non dolos ſtruendo ferre nos æquum eſt, ſed patiendo.

MNESILOCHUS. Enimvero tu, impudice, latiorem culum habes, non dicendo, ſed patiendo.

EURIPIDES. Quid vero cauſæ eſt cur illuc ire formides?

AGATHO. Pejori exemplo periturus eſſem, quam tu.

EURIPIDES. Quidum?

AGATHO. Quî? quia viderer mulierum opera nocturna clepere, & ſurripere muliebrem Venerem.

MNESILOCHUS. Ecce vero *clepere!* immo hercle pædicari. Sed, ita me Jupiter ſervet, ſpecioſus eſt prætextus.

EURIPIDES. Quid igitur? faciesne quæ te rogo?

AGATHO. Neutiquam hoc credas.

EURIPIDES. O me infeliciſſimum! ut periit Euripides!

MNESILOCHUS. O amiciſſime, ô gener, ne tibi deſis.

EURIPIDES. Quanam igitur ratione me expediam?

MNESILOCHUS. Hunc quidem longum fiere jube: me vero, ad quodcunque vis, utere.

EURIPIDES. Age igitur, quoniam tute ipſum tradis mihi, exue hanc veſtem.

MNESILOCHUS. Ecce, humi jacet. Sed quid me facere cogitas?

EURIPIDES. Radere hanc barbam; inferiorum vero partium pilos adurere.

MNESILOCHUS. Fac ergo, si tibi videtur; vel tradere meipsum tibi non debebam unquam.

EURIPIDES. Agatho, sine novaculis nunquam deprehenderis: unam igitur nobis nunc commoda.

AGATHO. Sume ipse ex hac theca.

EURIPIDES Liberalis es. Tu vero sede: infla buccam dextram.

MNESILOCHUS. Hei mihi!

EURIPIDES. Quid clamitas? paxillum ori tibi indam, ni taceas.

MNESILOCHUS. Attatæ, attatæ!

EURIPIDES. Heus tu, quo curris?

MNESILOCHUS. Ad Eumenidum fanum: non enim, per Cererem, hîc manens secandum me præbebo.

EURIPIDES. Nonne ridiculus eris semiraso capite?

MNESILOCHUS. Parum id curo.

EURIPIDES. Per deos obsecro, nequaquam prodideris me: huc accede.

MNESILOCHUS. O me infelicem!

EURIPIDES. Immotus sede, & erige caput. Quo te vertis?

MNESILOCHUS. Mu, mu.

EURIPIDES. Quid mussitas? omnia belle peracta sunt.

MNESILOCHUS. Væ misero mihi! levis ergo militabo.

EURIPIDES. Animo liquido & tranquillo es: nam formosus videberis omnino. Vin' ipse te spectare?

MNESILOCHUS. Si tibi ita placet, speculum affer.

EURIPIDES. Viden' teipsum?

MNESILOCHUS. Non mehercle, sed Clisthenem.

EURIPIDES. Surge, ut pilos tibi aduram; & inclina te.

MNESILOCHUS. Hei mihi misero! porcellus fiam.

EURIPIDES. Adferat huc aliquis intus facem vel lucernam. Inclina te: caudæ cave nunc extremæ.

MNESILOCHUS. Curabo id hercle. At vero uror. Heu me miserum! aquam, aquam, vicini, priusquam podex suppetias ferat ad flammam restinguendam.

EURIPIDES. Bono animo es.

MNESILOCHUS. Quî bono animo ſim, flamma ambuſtus?

EURIPIDES. Sed nihil tibi amplius moleſtiæ reliquum eſt: plurimus enim tibi labor exantlatus eſt.

MNESILOCHUS. Heu, heu, fuliginem! ambuſta mihi omnia ſunt circa podicem.

EURIPIDES. Iſtuc ne cures: illum enim alius quis ſpongia abſterget.

MNESILOCHUS. Utique flebit, ſi quis podicem meum abluerit.

EURIPIDES. Agatho, quandoquidem operam tuam mihi invides, at ſaltem pallam hancce commoda nobis & ſtrophium: non enim dices te iſtis carere.

AGATHO. Sumite & utimini, lubens concedo.

MNESILOCHUS. Quid igitur ſumam?

AGATHO. Crocotam primum ſume & indue.

MNESILOCHUS. Per Venerem, ſuavem ſpirat odorem mentulæ.

AGATHO. Præcinge illum celeriter.

MNESILOCHUS. Cedo nunc ſtrophium.

EURIPIDES. Ecce.

MNESILOCHUS. Age nunc indue ornamenta cruribus meis.

EURIPIDES. Vittis opus eſt & mitra.

AGATHO. En galericulum, quod ego noctu geſto.

EURIPIDES. Quin & hercle perquam commodum eſt.

MNESILOCHUS. Mihine aptum erit?

AGATHO. Immo edepol optime habet.

EURIPIDES. Cedo encyclum.

AGATHO. Hoc ſume e lectulo.

EURIPIDES. Calceis opus eſt.

AGATHO. Hos meos ſume.

MNESILOCHUS. An apti mihi erunt?

EURIPIDES. Quidni? num laxos geſtare amas?

AGATHO. Tu hoc ipſe videas. Sed quandoquidem omnia habes, quorum tibi opus eſt, intro aliquis quam citiſſime me vehat.

EURIPIDES. Vir quidem hic nobis ſpeciem mulieris utique præ

se fert. At quum loqueris, fac ut vocis sono mulierem imiteris bene & verisimiliter.

MNESILOCHUS. Id conabor.

EURIPIDES. Vade igitur.

MNESILOCHUS. Non hercle, nisi juraveris mihi --

EURIPIDES. Quidnam?

MNESILOCHUS. Te servaturum esse me omnibus modis, si quid mihi accidat mali.

EURIPIDES. Juro igitur per Ætherem, domicilium Jovis.

MNESILOCHUS. Quid potius quam per Hippocratis contubernium?

EURIPIDES. Juro igitur per omnes funditus deos.

MNESILOCHUS. Memento igitur hoc: mens juravit, non vero lingua. Hanc jurejurando minime obstringere volo.

(Auditur mulierum acclamatio: mutata scena templum conspicitur.)

EURIPIDES. Abi propere celeriter. Nam concionis signum in Thesmophorio apparet: ego vero abibo.

MNESILOCHUS. Huc age Thratta, sequere. O Thratta, vide, ardentibus facibus quanta ascendat fuligo. Sed, ô perpulchræ Thesmophoræ, recipite me bonis avibus, & huc, & hinc rursus domum. O Thratta, cistam de capite depone, & deinde exime placentam, ut eam sumam & libem Deabus. Domina valde honorata, cara Ceres, & Proserpina, da mihi, ut multa sæpe tibi libare queam: sin minus, at nunc saltem lateam: utque filiæ meæ cunnus virum nanciscatur divitem, quamvis stolidum & insipientem, & ad mutonem adtentam habeat animi mentem. Ubi, ubi sedere potero loco commodo, oratores ut audiam? tu vero, ô Thratta, hinc facesse: servis enim non licet concioni interesse.

PRÆCO, CHORUS MULIERUM THESMOPHORIA CELEBRANTIUM, MULIERES QUÆDAM, MNESILOCHUS, CLISTHENES.

PRÆCO. Favete linguis, favete linguis. Vota facite Thesmophoris, Cereri & Proserpinæ, & Pluto, & Calligeniæ, & juvenum altrici Terræ, & Mercurio, & Gratiis, ut concio hæc & concilium præsens pulcherrime & optime habeatur, multumque prosit urbi Athenienſium, & feliciter nobis ipsis vertat; & ut, quæ præclaris factis & orationibus merebitur quam optime de populo Athenienſium & mulieribus, ea vincat: hæc precamini & vobis ipsis bona. Io Pæan, io Pæan, io Pæan: gaudeamus.

CHORUS. Hæc fieri optamus, & deorum genus precamur, ut ad has preces appareant læti. Jupiter magni nominis, & aurea lyra decore, Delum qui colis sacram; & tu omnium victrix virgo, cæsia oculos, auream quæ vibras hastam, quæque urbem habitas florentissumam, huc veni: & multi nominis, ferarum interfectrix puella, pulchræ Latonæ germen: tuque marine venerande Neptune, maris rector, relicto piscoso turbinibusque agitato Nerei penetrali; marinæque puellæ & Nymphæ montivagæ. Aurea quoque lyra accinat precibus nostris. Ex voto concionem habeamus, Athenienſium nobiles mulieres.

PRÆCO. Preces adhibete diis Olympiis, & deabus Olympiis, & Pythiis deis, & Pythiis deabus, & Deliis deis, & Deliis deabus & reliquis diis. Si quis malum aliquod machinatur muliebri populo, vel pacem offert Euripidi, Medisve, unde detrimentum capiant mulieres; vel tyrannidem affectat, vel cum aliis conspirat, ut tyrannum reducat; vel mulieris alicujus, quæ infantem suppoſuerit,

nomen detulit; vel si mulieris alicujus ancilla lenocinium faciens, rem hero in aurem insusurrat, aut si aliquo missa, falsos nuntios adfert; vel si quis mœchus mulierem decipit mendaciis, & non dat quæ promiserit; vel si quæ anus dona dat mœcho; vel si dona accipit ab alio meretrix, amicum suum prodens; & si quis caupo vel caupona, congii vel cotylarum usu receptam mensuram adulterat, ut male pereat ipse & tota familia, imprecamini: vobis autem aliis omnibus ut dii dent multa bona, precamini.

CHORUS. Junctis precamur precibus, ut rata urbi, rataque populo hæc vota fiant, utque suffragiis omnibus vincant, uti par est, quæ optima suaserint: quæcunque vero decipiunt, violantque jurisjurandi formulas moribus receptas, proprii lucri gratia, & in publicum detrimentum; vel plebiscita & legem quærunt abrogare, novis promulgatis; arcanaque hostibus nostris produnt, vel Medos inducunt in regionem nostram, ad eam perdendam, impie agunt, injuriaque adficiunt civitatem. Sed tu, imperio qui regis omnia Jupiter, hæc rata facias, ut nobis dii adsint, quamvis mulieres simus.

PRÆCO. Audite omnes. Placuerunt hæc Senatui mulierum, Timoclea præside, Lysilla scribæ vicem obeunte, dicente Sostrata; concilium haberi mane, die medio Thesmophoriorum, quo nobis quamplurimum est otii, & consultari primum de Euripide, quid illum pati oporteat: videtur enim injuriam facere nobis omnibus. Quis concionari vult?

MULIER I. Ego.

PRÆCO. Circumda igitur hanc coronam capiti, priusquam verba facias. Tace, sile, adtento esto animo: exscreat enim jam, quod faciunt oratores: longam orationem habitura videtur.

MULIER I. Ecastor nulla ambitione inducta, ó mulieres, loquutura surrexi: sed enim jampridem graviter fero misera, quum contumeliis vos lacessi videam ab Euripide, illo olerum venditricis filio, multaque & varia audire opprobria. Quibus enim ille nos conviciis non incessit? ubi nos non calumniatur, sicubi spectatores vel pauci conveniunt, & tragœdi & chori? fallaces nimirum, & virorum

amatrices vocans, vinolentas, proditrices, loquaces, nulli rei neque frugi bonæ, magnum viris malum. Quapropter simul ac ingrediuntur domum a theatro revertentes, limis nos intuentur, dispiciuntque protinus, an forte adulter quispiam intus sit occultatus. Facere autem nobis nihil amplius, ut antidhac, licet; adeo homo hic mala docuit viros nostros: ut si quæ nectat mulier corollam, amare videatur; & si cui per domum cursitanti vas aliquod excidat, vir rogitet: *Cujusnam in honorem fracta est olla? non alius procul dubio, quam Corinthii hospitis.* Morbo laborat puella aliqua? statim frater dicit: *Color hicce mihi non placet puellæ.* Porro si carens liberis mulier quæpiam sibi partum supponere velit, neque hoc clam facere licet: viri enim jam adsident proxime. Et apud senes, qui puellas antea ducebant, nos calumniatus est, ita ut non sit senex ullus, qui uxorem ducere velit, propter hunc versum: *Imperat enim seni marito uxor.* Deinde hic etiam in causa est cur gynæconitides obsignent jam, & pessulis occludant, custodientes nos, & præterea Molossos alant, terriculamenta mœchis, canes. Et hæc quidem ignosci possunt: quæ vero nobis antidhac sumere licebat, quum ipsæ e cella penuaria depromeremus, farinam, oleum, vinum, ne ista quidem amplius licet. Ipsi enim jam viri parvas claves gestant, occultas, & maxume malignas, Laconicas nescio quas, tres habentes dentes. Nihilominus antea licebat clam aperire ostium, si faciendum curassemus nobis triobolarem anulum. Nunc autem familiarum illa pernicies, Euripides, viros docuit corrosa vermibus sigilla appensa gestare. Itaque opus esse mihi videtur, ut exitium aliquod huic homini quaqua ratione moliamur, vel toxico, vel alio quovis dolo, ut pereat. Hæc ego palam dico: reliqua vero cum scriba in syngrapham conferam.

CHORUS. Nunquam hac audivi versutiorem feminam, neque majore facundia pollentem: omnia enim dicit recte, omnesque species examinavit, & omnia ponderavit mente: prudenterque & callide argumenta invenit bene excogitata; adeo ut, si diceret juxta illam Xenocles Carcini filius, vobis omnibus videretur ille, ut quidem opinor, plane nihil dicere.

MULIER II. Pauca ſunt, quæ ut dicerem, ipſa in medium proceſſi. Nam cetera quidem recte hæc accuſatione comprehendit; quæ vero ipſa paſſa ſum, ea dicere volo. Mihi enim vir mortuus eſt in Cypro, liberis quinque relictis parvulis, quos ego ægre alebam corollis nectendis in foro, ubi venduntur myrti. Antea igitur vix ac ne vix quidem vitam meam ſuſtentabam: nunc vero hic tragœdiarum ſuarum commentis perſuaſit viris deos non eſſe, unde fit, ut ne dimidiam quidem partem amplius vendamus. Itaque omnibus ſuadeo & dico, ut puniatis hunc virum multis de cauſis. Agreſtia enim, ô mulieres, nobis facit mala, utpote agreſtibus oleribus ipſe innutritus. Sed in forum abibo. Viris enim quibusdam oportet, ut coronas nectam locatitias viginti.

CHORUS. Altera hæc libertas dicendi lepidior adhuc, quam prior, apparuit: adeo facetè dixit, non intempeſtive, prudentia prædita & verſuto ingenio: neque dicta ejus intellectu difficilia, ſed omnia ad perſuadendum accommodata. Oportet autem hujus injuriæ nobis virum illum inſignes dare pœnas.

MNESILOCHUS. Vos quidem, ô mulieres, acriter iraſci & vehementer Euripidi, talia audientes opprobria, non mirum eſt, neque efferveſcere vobis bilem. Nam & ego ipſa, ita mihi ſalvi ſint liberi, odi virum illum, niſi inſanio. Verumtamen oportet, ut nobiſmet ipſis reddamus rationes: ſolæ enim ſumus, nec metus eſt, ne foras efferantur noſtri ſermones. Quid illum accuſamus, graviterque ferimus, ſi duo nobis vel tria flagitia, de quibus reſcivit, exprobravit, quum faciamus innumera? Ego enim ipſa primum, ne de alia dicam, conſcia mihi ſum multorum ſcelerum: illud vero omnium longe ſceleſtiſſumum, quod, tres modo dies nupta, dum maritus meus mecum noctu concumbebat, admiſi. Erat mihi amicus, qui ſeptuenni mihi virium obtulerat: hic amore mei captus venit, & januam unguibus leniter ſcalpſit. Id quod res erat illico cognovi: clam igitur deſcendo. Vir autem rogat: *Quo deſcendis?* — *Quo?* reſpondi, *tormina me cruciant ventris, ô marite, & dolor; qua gratia ad latrinam eo.* — *Vade igitur*, inquit. Tum il-

le quidem conterere cedrides, anethum, ſalviam: ego vero, poſtquam aqua cardinem conſperſi, egreſſa ſum ad mœchum: deinde inclinato corpore juxta aram pro foribus ſtans, prehenſaque adnixa lauro, ſubagitata fui. Hæc nunquam, animadvertite, dixit Euripides: neque, ut a ſervis & mulionibus permolimur, ſi deſint alii mœchi, dicit: neque ut, quum maxume noctu ab aliquo ſubagitatæ fuerimus, mane allia mandimus, ne vir ab excubiis domum rediens, aliquid mali nos feciſſe ſtatim ſuſpicetur. Hæc, vides, nunquam dixit. Si vero Phædram conviciis inceſſit, quid hoc ad nos? Neque iſtuc dixit unquam, ut mulier oſtendens viro encyclum ad lucem expanſum, jubens mirari quam pulchrum eſſet, obtectum mœchum emiſerit: non utique hoc dixit. Aliam vero ego novi mulierem, quæ decem totos dies parturire ſe dixit, donicum infantem emerit. Vir interea urbem obibat, medicamenta emens accelerando partui. Domum autem adtulit anus in olla infantem, cui, ne vagiret, os favo obturaverat: tum, ut capite innuit anus, mulier illico clamat: *Abi, abi; jam enim, ô marite, mihi videor paritura.* Ventrem enim ollæ calcibus ferierat infans: & hic quidem lætus abiit. Illa autem favum ex ore infantis extraxit, qui illico vagire cœpit. Deinde ſceleſta anus, quæ infantem adtulerat, adcurrit ſubridens ad virum, & dicit: *Leo, leo tibi natus eſt, expreſſa tui imago, & cum cetera omnia, tum etiam mentula tuæ ſimilis, tortuoſa, inſtar nucamenti pinei.* Hæc non perpetramus facinora? hæc utique, per Dianam: deinde vero iraſcimur Euripidi, a quo non plus audivimus, quam fecimus?

CHORUS. Hoc utique mirum, unde inventa ſit res iſta, & quænam educaverit regio hanc adeo audacem. Talia enim tam impudenter aperte dicere improbam non rebar inter nos ne auſuram quidem fuiſſe unquam. Sed omnia nunc evenire queant; & verbum laudo vetus illud: *Sub omni enim lapide diſpicere oportet, ne latens forte mordeat orator.* Enimvero impudentibus ſuopte ingenio mulieribus nihil pejus eſt ad omnia, præter mulieres.

MULIER III. Haud ſane, per Agraulam, ô mulieres, ſapitis:

ſed vel faſcinatæ eſtis, vel malum aliquod magnum vobis aliud contigit, ſi hanc ſinitis peſtem talibus nos omnes injuriis adficere. Quapropter, ſi quæ eſt veſtrûm, quæ hanc ulciſci velit, bene eſt: ſin minus, nos ipſæ & pediſequæ, cinere alicunde ſumto, hujus depilabimus cunnum, ut diſcat mulier quæ ſit, mulieribus in poſterum non male dicere.

MNESILOCHUS. Ne, quæſo, cunnum, ô mulieres. Si enim quum eſſet libera concio, & liceret verba facere omnibus civibus, quæ adſumus, tum dixi quæ noveram ad excuſandum Euripidem idonea, an idcirco pœnas me dare vobis æquum eſt pilorum vulſione?

MULIER III. Annon vero te pœnas dare æquum eſt? quæ ſola ſuſtinuiſti cauſam viri defendere, qui nos multis malis adfecit, dum de induſtria excogitat fabularum argumenta, ſicubi femina improba exſtitit, Melanippas faciens & Phædras: de Penelope vero nunquam fecit drama, quod femina caſta eſſe videretur.

MNESILOCHUS. Atqui hujus rei cauſam novi. Etenim ne unam quidem hujus ætatis mulierum dixeris Penelopen: Phædras vero omnes omnino.

MULIER III. Audite, ô mulieres, quid dixerit improba de nobis omnibus rurſus.

MNESILOCHUS. At vero ecaſtor nondum dixi omnia, quorum conſcia ſum: quapropter, ſi vultis, plura dicam.

MULIER III. Sed plura non poſſis. Quæcunque enim noveras, effudiſti omnia.

MNESILOCHUS. Non ecaſtor decies-milleſimam partem eorum, quæ facimus: ſiquidem hoc non dixi, viden'? ut ſtrigilibus ſumtis, poſtea tanquam per ſiphonem adtrahimus vinum.

MULIER III. Male pereas.

MNESILOCHUS. Nec ut carnes ex Apaturiis lenis dantes, deinde muſtelam dicimus --

MULIER III. Miſeram me! nugaris.

MNESILOCHUS.

MNESILOCHUS. Nec, ut virum ſecuri mulier percuſſerit, dixi: neque ut philtris alia virum ad inſaniam adegerit: neque ut aliquando ſub balneatorio ſolio defoderit —

MULIER III. Peſtem oppetas.

MNESILOCHUS. Acharnica ſuum patrem.

MULIER III. Hæccine ferant aures noſtræ?

MNESILOCHUS. Neque ut tu, quum ancilla peperiſſet marem, tibi ipſi eum ſubpoſuiſti, tuam vero filiolam tradidiſti illi.

MULIER III. Haud ſane, per Deas, tu impune hæc dixeris; ſed evellam tibi pilos.

MNESILOCHUS. Nunquam, per Jovem, tu me attinges.

MULIER III. At ecce.

MNESILOCHUS. Ecce contra.

MULIER III. Accipe pallam meam, Philiſta.

MNESILOCHUS. Admove manum modo, atque ego te, per Dianam —

MULIER III. Quid facies?

MNESILOCHUS. Seſaminam placentam, quam comediſti, hanc faciam ut caces.

CHORUS. Deſinite conviciari: nam mulier quædam feſtinans ad nos adcurrit: quare, antequam nos conveniat, tacete, ut ſedate audiamus quæ dictura eſt.

CLISTHENES. Caræ mulieres, adfines morum meorum, me quidem amicum eſſe vobis, ſatis oſtendunt malæ meæ: inſano enim mulierum amore teneor, vobisque patrocinor ſemper: & nunc, quum audierim rem magni momenti ad vos pertinentem, de qua paulo ante in foro ſermo erat, venio eam delaturus, nuntiaturusque vobis, ut videatis & caveatis, ne vobis incautis accidat grave malum & magnum.

CHORUS. Quid eſt, ô puer? puerum enim te par eſt vocare, quoad malas adeo leves habes.

CLISTHENES. Euripidem ajunt adfinem quemdam ſuum, ſenem hominem, huc miſiſſe hodie.

CHORUS. Cui faciendæ rei, aut cujus consili gratia?

CLISTHENES. Ut quidquid consultaretis, & facere decerneretis, ille esset sermonum vestrorum explorator.

CHORUS. At quomodo fefellit nos mulieribus immixtus vir?

CLISTHENES. Pilos ipsi adussit & evulsit Euripides, & quod ad reliqua omnia, ut mulierem adornavit.

MNESILOCHUS. Hæccine isti creditis? Quis enim vir adeo stultus sit, ut pilos sibi evelli patiatur? Haud equidem crediderim, ô venerandæ Deæ.

CLISTHENES. Nugas blatis. Non enim venissem nuntiaturus, nisi audivissem hæc ex illis, qui rem certo sciunt.

CHORUS. Rei sane indignæ nuntius ad nos adfertur. Quare, mulieres, non cunctari oportet, sed circumspicere virum, & quærere, ubi clam ingressus inter nos delitescat. Et tu nobiscum eum deprehendere stude, ut gratiam hanc & illam a nobis ineas, ô amice.

CLISTHENES. Age videam. Quænam es prima tu?

MNESILOCHUS. Quo me vertam?

CLISTHENES. Excutiendæ enim estis.

MNESILOCHUS. Me miserum!

MULIER IV. Mene, quæ sim, rogabas?

CLISTHENES. Ita.

MULIER IV. Cleonymi uxor.

CLISTHENES. Scitisne vos quænam sit hæc femina?

CHORUS. Novimus omnino: sed alias explora.

CLISTHENES. Hæc vero quænam est, quæ infantem portat?

MULIER IV. Nutrix, per Jovem, mea.

MNESILOCHUS. Nullus sum.

CLISTHENES. Heus tu? quo abis? mane hîc. Quid istuc mali?

MNESILOCHUS. Sine mingere me.

CLISTHENES. Impudens utique es. Tu igitur rem tuam age: opperior enim hîc.

CHORUS. Opperire, quæso, & observa eam diligenter: solam enim illam, ô bone, non novimus.

CLISTHENES. Heus tu, perdiu mingis.

MNESILOCHUS. Nimirum, ô miſelle, ſtranguria laboro. Heri enim edi naſturtium.

CLISTHENES. Quid de naſturtio garris? quin vade huc ad me.

MNESILOCHUS. Quid, quæſo, me trahis ægrotantem?

CLISTHENES. Dic mihi, quiſnam eſt maritus tibi?

MNESILOCHUS. Maritum meum, qui ſit, rogitas? noſtin' aliquem Cothocidenſem?

CLISTHENES. Aliquem? quemnam? Eſtne aliquis ille, qui & aliquando —

MNESILOCHUS. Aliquis, filius alicujus.

CLISTHENES. Nugari mihi videris. Veniſtin' huc jam antea?

MNESILOCHUS. Ecaſtor quotannis.

CLISTHENES. Et quænam eſt tua contubernalis?

MNESILOCHUS. Quædam.

CLISTHENES. Heu me miſerum! nihil dicis.

MULIER V. Amove te. Ego enim examinabo hanc probe e ſacris ſuperioris anni: tu vero hinc recede, ne audias, qui vir es. At tu, dic mihi, quid primum nobis ſacrorum oſtenſum fuit? agedum, quid primum erat?

MNESILOCHUS. Quid primum? bibebamus.

MULIER V. Quid vero poſt hoc ſecundum?

MNESILOCHUS. Propinabamus.

MULIER V. Hæc quidem audiviſti ex aliquo. Quid vero tertium?

MNESILOCHUS. Scaphium Xenylla petiit: non enim aderat matula.

MULIER V. Nihil dicis. Huc veni, huc, Cliſthenes: hic eſt vir, quem autumas.

CLISTHENES. Quid igitur faciam?

MULIER V. Veſtes illi exue: nihil enim ſani dicit.

MNESILOCHUS. Itane veſtes exuetis mihi, novem liberorum matri?

CLISTHENES Solve cito ſtrophium, impudentiſſuma.

MULIER V. Ut & firma videtur, & robuſta! nec edepol mammas, uti nos, habet.

MNESILOCHUS. Nempe ſterilis ſum, nec unquam prægnas fui.

MULIER V. Itane nunc? Paulo ante vero mater eras novem liberorum.

CLISTHENES. Sta erectus. Quo penem trudis deorsum?

MULIER V. Eccum, vide, prominet, & optumi coloris est.

CLISTHENES. At ubi est?

MULIER V. Rursus in anteriorem partem abit.

CLISTHENES. Utique hîc non est.

MULIER V. Etenim huc revortitur.

CLISTHENES. Isthmum aliquem habes, homo: sursumque & deorsum penem trahis retrahisque frequentius quam Corinthii.

MULIER V. Nimirum sceleſtus hic ista nobis convicia dixit Euripidis defendendi gratia.

MNESILOCHUS. Me miserum! in quas memet conjeci moleſtias!

MULIER V. Agedum quid faciemus?

CLISTHENES. Hunc adservate sedulo, ne fuga hinc elabatur: ego vero ista Prytanibus nuntiabo.

CHORUS. Nos igitur deinceps lampadas jam accendere oportet, succinctasque bene & viriliter, pallisque exutas, quærere, an forte & alius vir clam ingressus sit, & obire Pnycem totam, tentoriaque & vias perlustrare.

SEMICHORUS. Eia igitur primum quidem oportet levem efferre pedem, & dispicere quaquaversum silentio: maxume vero oportet properare: nam cunctandi copia non est amplius: sed quamprimum oportet citissime in orbem currere. Eia age nunc investiga, & scrutare celeriter cuncta, an quis in his locis insidiator alius forte delitescat. Quaquaversum circumfer oculos, & tam ab illa, quam ab hac parte omnia dispice accurate. Si enim non latuerint cœpta ejus impia, non solum dabit pœnas, sed præterea etiam aliis omnibus erit exemplum injuriæ, injustorumque facinorum, & impiorum morum: dicetque esse deos manifesto: documentoque erit in posterum omnibus hominibus venerari deos, & juste pietatem colentes, legibusque consentanea cogitantes, recte facere. Et nisi hæc faciant, talia illis

erunt: eorum si quis deprehensus fuerit in nefario facinore, furore ardens, rabieque insanus, si quid fecerit, omnibus manifesto apparebit feminis & mortalibus, injuste & impie factorum pœnas deum repetere, confestim solvendas.

CHORUS. Sed nobis videntur omnia fere perspecta esse recte: non enim conspicimus ullum alium inter nos latitantem.

MULIER VI. Ah, ah! Quo, quo fugis? heus, heus tu, non manebis? miseram me, miseram! & infante rapto ab uberibus meis e conspectu aufugit.

MNESILOCHUS. Clama quantumlibet: at hunc nunquam præmansis nutries buccellis, nisi me amittatis: sed hic super femora percussus gladio cruentas venas, sanguine imbuet aram.

MULIER VI. O me miseram! annon opem feretis, mulieres, & clamore multo sublato, statuetis de hoc tropæum? sed unico infante me sinetis impune privarier?

CHORUS Ah, ah! ô venerandæ Parcæ, quodnam video novum rursus prodigium? ut nihil aliud reperire est, quam audaciæ facinora & impudentiæ! quale rursus fecit facinus! quale, amicæ, hoc!

MNESILOCHUS. Quomodo vestram effrænatam insolentiam retundam?

CHORUS. Nonne indigna hæc sunt, & ultra omnem modum?

MULIER VI. Indigna utique, quod meum mihi eripuit infantem.

CHORUS. Quid ergo dicendum est ad hæc? quum talia faciens frontem adeo perfricet.

MNESILOCHUS. Necdum sane desii.

MULIER VI. Sed non eo redibis, unde venisti: nec facile fuga hinc elapsus dices, quantum ausus scelus evaseris: male vero peribis.

MNESILOCHUS. Hoc quidem nunquam fiat; abominor.

CHORUS. Quis igitur deorum immortalium te adjutum veniat, qui tam impie te geras?

MNESILOCHUS. Frustra blateratis: nam ego hanc parvolam nunquam amittam.

CHORUS. Sed, per Deas, haud impune mox in nos illudes,

verbaque dices impia. Nefariis enim factis viciſſim, ut par eſt, hæc tua ulciſcemur. Fortaſſe autem te, converſa ad malum diverſi generis, inhibebit fortuna quædam.

MULIER VI. Sed his adſumtis mulieribus, oportet te ligna efferre, & comburere improbum iſtum, igneque uſtulare quam citiſſime. Quæſitum eamus ſarmenta, ô Mania; nam ego te reddam titionem hodie.

MNESILOCHUS. Succende & combure. Tu vero Creticum amiculum exue cito, & mortis tuæ, infans, ſolam ex mulieribus accuſa matrem tuam. Quid hoc rei eſt? in utrem mutata eſt puella vino plenum, etiam Perſicas habentem. O calidiſſimæ mulieres, ô bibaciſſumæ, & ex quacunque re excogitantes rationem bibendi: ô magnum cauponibus bonum, nobis autem contra malum: malum vero etiam ſupellectili & ſubtemini.

MULIER VI. Admove multa ſarmenta, Mania.

MNESILOCHUS. Admoveas licet. Tu vero reſponde mihi hoc; hunc infantem peperiſſe te dicis?

MULIER VI. Et decem menſes illum in utero geſtavi.

MNESILOCHUS. Geſtaſtin' tu?

MULIER VI. Ita me ſoſpitet Diana.

MNESILOCHUS. Trium cotylarum, aut quanti capacem? dic mihi.

MULIER VI. Quid mihi feciſti? exuiſti, impudens, meum infantem veſtibus, qui tantillus eſt.

MNESILOCHUS. Tantillus?

MULIER VI. Per ecaſtor parvus.

MNESILOCHUS. Quot annos vero natus eſt? tres congios, an quatuor?

MULIER VI. Fere tantum, & quantum temporis a proximis Liberalibus effluxit. Sed redde eum.

MNESILOCHUS. Non. Teſtis mihi ſit hic Apollo.

MULIER VI. Cremabimus igitur te.

MNESILOCHUS. Cremetis licet; hæc vero jugulabitur illico.

MULIER VI. Ne facias, obsecro te: sed me, potius quam hunc, quocunque vis, affice malo.

MNESILOCHUS. Amans liberorum videris esse natura: sed nihilominus hæc jugulabitur.

MULIER VI. Hei mihi, filia! Da mihi alveum, Mania, ut saltem sanguinem filiæ meæ excipiam.

MNESILOCHUS. Subpone eum: gratificabor enim hoc unum tibi.

MULIER VI. Male pereas. Quam invidus es & malevolus!

MNESILOCHUS. Pellis hæc sacerdoti cedet.

MULIER VI. Quid cedet sacerdoti?

MNESILOCHUS. En accipe.

MULIER VII. Miserrima Mica, quis puella te privavit? Quis dilectam & unicam filiolam tibi eripuit?

MULIER VI. Improbus hic. Sed quandoquidem ades, custodi ipsum, ut adsumto comite Clisthene, Prytanibus, quæ fecit sceleſtus ille, indicem.

MNESILOCHUS. Age vero, quænam erit ratio expediendæ salutis? quis conatus, quod commentum? auctor enim hujus negoti, & qui me conjecit in tantas molestias, nondum usquam apparet. Age, quemnam, quem nuntium mittere possim ad eum? At rei expediendæ rationem novi ex Palamede. Ut ille, literis inscriptas palmulas projiciam. Sed non sunt in promptu palmulæ. Undenam misero fieri possit palmularum copia? unde? Quid vero si pro palmulis has statuas literis inscriptas disjecero? melius multo id fuerit. Lignum enim & hæ sunt, & illæ erant lignum. O manus meæ, aggredi oportet rem, quæ viam nobis ad salutem aperit. Agite igitur, tabellarum politarum plagulæ, recipite scalpri sulcos, nuntios meorum malorum. (hei mihi! malum est istuc Rho: nam quem per sulcum vadit?) Ite, festinate per omnes vias, hac, illac: celeritate opus est.

CHORUS. Nos vero ad spectatores conversæ, nosmetipsas laudemus; quamvis nemo non muliebri generi multa convicia dicat, quasi merum simus malum hominibus, & a nobis oriantur omnia,

lites, rixæ, seditio, molestus dolor, bellum. Sed quæso vos, si malum sumus, cur ducitis nos uxores, si vere malum sumus? & interdicitis, ne exeamus, & ne quæ nostrûm ex fenestra prospiciens deprehendatur? quin tanto labore malum studetis custodire? Quod si egressa fuerit mulier aliquo, neque inveniatis eam domi, insanum in modum insanitis, quos oportebat diis libare & lætari, si revera ex ædibus evaserit vobis malum, nec illud reperiretis domi. Et si forte lusu defatigatæ dormiamus in alienis ædibus, unusquisque malum hoc investigat, lectos circumiens. Et si e fenestra prospexerimus, studet quilibet malum illud spectare: & si quæ pudore suffusa recesserit, multo magis quisque cupit, ut caput exserens malum rursus se conspiciendum præbeat. Adeo nos manifesto sumus vobis multo meliores: idque ex instituto examine apparere potest. Examinemus, utri deteriores sint: nos enim dicimus vos: vos vero nos. Consideremus igitur, & opponamus singulos singulis, comparantes feminæ & viri nomina singula inter se. Nausimachæ scilicet cedit Charminus: manifesta enim sunt facta: & Cleophon deterior omnino est Salabaccha: cum Aristomache vero, prænobili illa Marathonia, & cum Stratonice nemo vestrûm a longo jam tempore, ne conatur quidem certare. Sed Eubulæ aliquis ex superioris anni senatoribus præstat, qui scilicet alteri munus senatorium cessit? At ne ipse quidem hoc dixeris. Sic itaque nos multo meliores viris gloriamur esse. Neque femina, quæ ex publica pecunia quinquagena talenta furari consueverit, bigis urbem invehitur: sed, quum plurimum surripit, sportam tritici viro suffurata, eodem die illam reddit. Sed nos horum multos ostendere possemus ista facientes, & præterea ventri, magis quam nos, deditos, & grassatores, & scurras, & plagiarios. Quin immo patrimonia multo minus quam nos conservare sciunt. Nobis enim salvum usque adhuc liciatorium, scapus textorius, calathisci, umbella: viris autem hisce nostris periit quidem multis scapus ex ædibus, cum ipsa lancea: multi autem alii bellicis in expeditionibus ab humeris abjecerunt clypeum.

De multis mulieres nos jure expostulare possemus cum viris: de uno

vero præcipue, quod eſt omnium longe maxumum. Oportebat enim, noſtrarum ſi quæ peperiſſet utilem civitati virum, ordinum ductorem, vel imperatorem, adſici honore aliquo, primamque ſedem illi tribui in feſto Steniorum & Scirorum, aliisque feſtis, quæ celebrare ſolemus. Sin timidum & inutilem virum quædam peperiſſet femina, vel trierarchum ignavum, vel gubernatorem imperitum, poſteriorem eam ſedere, capite detonſo, illa, quæ fortem virum peperiſſet. Quî enim par eſt, ô cives, Hyperboli matrem ſedere, albis indutam veſtibus, & promiſſa coma, juxta matrem Lamachi, & fœnori locare pecuniam? cui, ſi fœnori alicui dediſſet, & fœnus exigeret, oportebat dare neminem uſuras, ſed auferre vi pecuniam cum hoc dicto: *Digna ſcilicet es fœnore, quæ talem peperiſti fœtum!*

MNESILOCHUS, MULIER VII. EURIPIDES, PRYTANIS, CHORUS.

MNESILOCHUS. Strabus factus ſum, dum expectans oculorum aciem illuc defigo: ille autem nondum apparet. Quid, miror, impedimento eſſe poſſit? fieri ſane non poteſt, quin eum frigidi Palamedis pudeat. Qua igitur illum adducere queam fabula? At novi; recentem Helenam imitabor. Omnino enim mihi eſt muliebris veſtitus.

MULIER VII. Quid rurſus machinaris? aut quid circumſpectas? acerbam Helenam videbis mox, niſi modeſte te geras, donec Prytanum alquis veniat.

MNESILOCHUS ut HELENA. Nili hæc ſunt pulchris Nymphis decora fluenta, qui pro cœleſti pluvia Ægypti ſolum candidæ irrigat, nigra ſyrmæa victitantem populum.

MULIER VII. Omnium machinarum peritus es, per Hecaten luciferam.

MNESILOCHUS. Mihi vero patria eſt quidem haud ignobilis, Sparta: pater autem Tyndareus.

MULIER VII. Tibine, ô perdite, iſte eſt pater? immo vero Phrynondas.

MNESILOCHUS. Helena autem vocor.

MULIER VII. Fis rurſus femina, antequam prioris fraudis, qua feminam mentitus es, dederis pœnas?

MNESILOCHUS. Viri autem multi propter me ad Scamandria fluenta occubueruut.

MULIER VII. Utinam tu quoque!

MNESILOCHUS. Et ego quidem hîc ſum; at miſer maritus meus Menelaus nondum advenit. Quid igitur vivo corvorum ignavia? ſed

aliquid quasi blanditur cordi meo. Ne frustreris, ô Jupiter, appropinquantem spem meam.

EURIPIDES ut MENELAUS. Quis harum mœnitarum ædium est dominus, qui hospites excipiat in mari fluctibus agitato tempestatem passos & naufragium?

MNESILOCHUS. Protei hæc est domus.

EURIPIDES. Cujusnam Protei?

MULIER VII. O infelicissume, mentitur ecastor. Nam mortuus est Proteas annis abhinc decem.

EURIPIDES. Ad quam vero terram appulsa est navis nostra?

MNESILOCHUS. Ægyptum.

EURIPIDES. O me miserum! quo tempestate delati sumus!

MULIER VII. Credisne, ô stulte, huic male perituro, nuganti nugas? Thesmophorium hoc est.

EURIPIDES. Ipse vero Proteus, estne domi, an foris?

MULIER VII. Certe nausea laboras adhuc, hospes, qui postquam audivisti mortuum esse Proteam, tamen rogitas sitne domi an foris.

EURIPIDES. Heu, heu! mortuus est. Ubi vero conditus est sepulcro?

MNESILOCHUS. Hoc est ipsius sepulcrum, ad quod sedemus.

MULIER VII. Male pereas, & peribis utique, qui audes sepulcrum vocare aram.

EURIPIDES. Cur vero sedes in hac sepulcrali sede, palla obtecta, hospes?

MNESILOCHUS. Vi cogor nuptiis cum Protei filio inire lecti societatem.

MULIER VII. Quid rursus, infelix, decipis peregrinum hunc? Hicce fraudum artifex huc ascendit, hospes, ad mulieres, auri furandi gratia.

MNESILOCHUS. Latra, corpus meum incessens maledictis.

EURIPIDES. Heus, peregrina, quænam est hæc anus, quæ te conviciis insectatur?

MNESILOCHUS. Hæc eſt Theonoë, Protei filia.

MULIER VII. Non, per Deas: ſum Critylla, Antithei filia, domo Gargettia: tu vero es ſceleſtus.

MNESILOCHUS. Quæcunque vis, dic: nunquam enim nubam fratri tuo, deſerens Menelaum meum ad Trojam maritum.

EURIPIDES. Mulier, quid dixti? huc aciem oculorum tuorum converte.

MNESILOCHUS. Intueri te coram me pudet, ob contumeliam quam paſſæ ſunt genæ meæ.

EURIPIDES. Hoc quid eſt? Vocem intercludit mihi ſtupor. O dii, quam faciem video? quænam es mulier?

MNESILOCHUS. At tu quis es? Eadem enim te & me admirationis tenet ratio.

EURIPIDES. Num Græca es, an indigena mulier?

MNESILOCHUS. Græca. Sed & tuum genus diſcere cupio.

EURIPIDES. Helenæ te ſimilem maxime video, mulier.

MNESILOCHUS. Ego vero te Menelao, ſaltem quod ad olera.

EURIPIDES. Recte nimirum agnoſcis virum miſerrimum.

MNESILOCHUS. O ſero tandem veniens tuæ conjugis in amplexus, accipe me, accipe me, marite: circumda collo meo brachia: fac te oſculer: abduc me, abduc, abduc, abduc me adſumtam quam citiſſume.

MULIER VII. Plorabit utique, per Deas, quicunque te abduxerit, percuſſus hac face.

EURIPIDES. Tu uxorem meam prohibes me, Tyndarei filiam, Spartam abducere?

MULIER VII. Hei mihi, quam verſutus & tu mihi eſſe videris, & hujus particeps conſiliorum! Haud temere dudum de Ægypto neſcio quid garriebatis. Sed hic quidem dabit pœnas: accedit enim Prytanis, & lictor.

EURIPIDES. Incommodum eſt hoc: ſed clam diſcedendum mihi eſt.

MNESILOCHUS. At ego quid faciam infelix?

EURIPIDES. Mane quietus. Non enim te prodam unquam, quoad vixero, nisi destituant innumeri me doli.

MULIER VII. Hic quidem funiculus nihil adtraxit.

PRYTANIS. Hiccine est improbus ille, quem dixit nobis Clisthenes? heus tu, quid te occultas? Immitte ejus collum in asserem, lictor, & eum adliga: deinde hic locatum custodi, nec quemquam ad eum accedere sine; sed flagellum tenens, cæde, si accesserit aliquis.

MULIER VII. Sic edepol recte jubes. Parum enim abfuit, quin modo hunc mihi eriperet veterator nescio quis.

MNESILOCHUS. O Prytani, obsecro te per dextram, quam soles cavam porrigere, nummos si quis obtulerit, exiguum quid mihi, quamvis morituro, gratificare?

PRYTANIS. Quid tibi gratificer.

MNESILOCHUS. Vestibus nudatum me jube ut lictor adliget asseri, ne crocotis & mitris indutus vir senex risum præbeam corvis, dum eos pascam.

PRYTANIS. At vero hisce indutum Senatui visum est te ligari, ut prætereuntium quilibet videat manifesto scelestum te esse.

MNESILOCHUS. Jappapæax! ô crocota, quid mihi fecisti? non est amplius spes ulla salutis.

CHORUS. Agite nunc ludamus, sicut mos hîc est mulieribus, quando veneranda Dearum orgia festis temporibus celebramus, quæ & Pauson jejunio colit, sæpe illas rogans, ut alio post aliud festo talia curæ sint frequenter sibi. Incipe tripudiare, incede leviter pedibus, move te in orbem, manui conjunge manum, secundum rhythmum choreæ quælibet incedat: ingredere velocibus pedibus. Circumspicere quoque, omnem in partem circumferendo oculos, oportet choreæ orbem. Simul & genus cœlestium deorum cane quælibet, & celebra voce, choreas cum omni lætitia agitantes. Si quis autem sperat maledicturam in templo me, quæ sum femina, viris, non recte sentit. Sed oportet, velut rem rursus novam, primum orbicularis choreæ concinnum constituere gressum. Procede pedibus,

pulchræ fidicinem lyræ canens deum, & arcigeram Dianam, reginam caſtam. Salve, ô longe jaculans, præbe nobis victoriam. Junonemque nuptiarum præſidem carmine celebremus, ut par eſt, quæ omnibus in choris ludit, & claves nuptiarum ſervat. Mercuriumque paſtoralem precor, cum Pane & Nymphis dilectis, ut adrideat nobis benigne, noſtris gaudens choreis. Extolle itaque alacriter duplicem complosis manibus ſaltationem. Ludamus, ô mulieres, ſicut mos eſt; jejunemusque omnino. Sed eia in aliam partem rurſus te circumage, moto in numerum pede: clara voce modulare omnem cantilenam: dux vero noſter ſis hîc ipſe tu, hederifer Bacche domine: ego enim te canticis & ſaltationibus celebrabo Evium, ô Bacche, Bromie & Semelæ gnate, choris gaudens, quique in montibus, Nympharum amabiles inter hymnos Euium, Euium, Euoë cum cantu & choreis iteras: circum vero te reſonat Citharonia Echo, denſisque frondibus opaci montes & umbroſi, ſilvæque ſaxoſæ reboant, circumque te hedera foliis pullulans capreolo floret.

LICTOR, MNESILOCHUS, EURIPIDES, CHORUS.

LICTOR. Hîc nunc plorabis ſub dio.

MNESILOCHUS. O lictor, obſecro te.

LICTOR. Ne me quicquam roges.

MNESILOCHUS. Laxa clavum.

LICTOR. At hoc tibi faciam.

MNESILOCHUS. Væ mihi miſero! magis magisque eum infiges.

LICTOR. Magis adhuc, ſi velis.

MNESILOCHUS. Attatæ, attatæ! male pereas.

LICTOR. Tace, infelix ſenex. Age, afferam ſtoream, ut cuſtodiens te recumbam.

MNESILOCHUS. Egregia hæc ſunt commoda, quæ ex Euripide percipio. Hem, dii, Jupiter Servator! non periit ſpes omnis, vir non videtur me proditurus: ſed mihi ſignum occulte dedit Perſeus emicans, oportere me fieri Andromedam. Equidem re ipſa vinctus ſum. Manifeſtum eſt igitur, eum venturum, ut me ſervet: alioqui enim non prætervolaſſet.

EURIPIDES ut PERSEUS. Caræ virgines, caræ, utinam accedere poſſim, & Scytham latere. Audias, ô quæ adloqueris eas, quæ ſunt in antris, adnue, ſine ad uxorem me accedere.

MNESILOCHUS. Immiſericors, qui me vinculis conſtrinxit miſerrimum mortalium. Ægre quidem putidam anum effugi, perii tamen: nam cuſtos jamdudum mihi adſtat hic Scytha, poſtquam exitio deſtinatum, amicisque deſtitutum ſuſpendit me, corvis pabulum futurum. Viden'? non inter choros, neque æquales puellas, calculorum fiſcellam ſto habens: ſed arctis vinculis conſtricta, ceto præda Glaucetæ expoſita ſum. Cum Pæano, non nuptiali, ſed qui

vinctis conveniat, lugete me, ô mulieres, quæ indignis affecta sum malis, infelix; ô misera ego, misera! ... sed a cognatis: sed inter injustas calamitates virum, mei auctorem infortunii, obtestantem, lacrimosum Orci lessum excitantem, heu, heu, heu, heu! qui me rasit primum, qui me crocota induit, & postea ad hoc misit templum, ubi congregatæ mulieres. O fati mei inexorabilis dæmon! ô me diris devotum! Quis coram hæc mala intuens meæ non miserebitur calamitatis ingentis? utinam ignifera ætheris stella miserum me prorsus perdat! non enim immortale Solis jubar intueri mihi jucundum est amplius, postquam suspensus fui, doloribus guttur angentibus furiatus, ut celeri itinere ad mortuos descenderem.

EURIPIDES ut ECHO. Salve, cara filia: patrem autem Cepheum, qui te exposuit, male perdant dii.

MNESILOCHUS ut ANDROMEDA. Tu vero quænam es, quæ meam miserata es calamitatem?

EURIPIDES. Echo, verba recinens sono garrulo, quæ superiore anno in hoc eodem loco Euripidi & ipsa adjutrix fui. Sed, ô filia, te quidem id facere oportet, lamentari nimirum miserabiliter.

MNESILOCHUS. Te vero lamentis respondere mihi.

EURIPIDES. Curæ id mihi erit: sed initium fac dicendi.

MNESILOCHUS. O Nox sacra, quam longum cursum moves, per stelligera convexa bigis invecta ætheris sacri, emetiendo venerando Olympo.

EURIPIDES. *Olympo.*

MNESILOCHUS. Cur, quæso, ego Andromeda præ omnibus aliis malorum portionem sortita sum?

EURIPIDES. *Portionem sortita sum.*

MNESILOCHUS. Mortis misera!

EURIPIDES. *Mortis misera.*

MNESILOCHUS. Enecabis me, anus, garriendo.

EURIPIDES. *Garriendo.*

MNESILOCHUS. Edepol molesta huc intrasti valde.

EURIPIDES. *Valde.*

MNESILOCHUS.

MNESILOCHUS. O bone, ſine me ſolum canere leſſum, & gratificaberis mihi: deſine.

EURIPIDES. *Deſine.*

MNESILOCHUS. Male pereas!

EURIPIDES. *Male pereas.*

MNESILOCHUS. Quid hoc mali?

EURIPIDES. *Quid hoc mali.*

MNESILOCHUS. Nugaris.

EURIPIDES. *Nugaris.*

MNESILOCHUS. Plora.

EURIPIDES. *Plora.*

MNESILOCHUS. Ejula.

EURIPIDES. *Ejula.*

LICTOR. Heus tu, quid garris?

EURIPIDES. *Heus tu quid garris.*

LICTOR. Prytanes vocabo.

EURIPIDES. *Prytanes vocabo.*

LICTOR. Quid hoc mali?

EURIPIDES. *Quid hoc mali.*

LICTOR. Unde hæc vox?

EURIPIDES. *Unde hæc vox.*

LICTOR. Tune loqueris?

EURIPIDES. *Tune loqueris.*

LICTOR. Plorabis.

EURIPIDES. *Plorabis.*

LICTOR. Rides me?

EURIPIDES. *Rides me.*

MNESILOCHUS. Non ego hercle, ſed mulier proxuma hæc.

EURIPIDES. *Proxumæ hæc.*

LICTOR. Ubi eſt ſceleſta? ecce fugit. Quo, quo fugis?

EURIPIDES. *Quo, quo fugis.*

LICTOR. Nonne prehendes?

EURIPIDES. *Nonne prehendes.*

LICTOR. Adhuc vero muſſitas?

EURIPIDES. *Adhuc vero muſſitas.*

LICTOR. Prehende ſceleſtam.

EURIPIDES. *Prehende ſceleſtam.*

LICTOR. Loquacem & deteſtabilem mulierem.

EURIPIDES ut PERSEUS. O dii, quamnam barbaram in terram delati ſumus celeri talari? per medium enim ætherem ſecans viam, pede volo alato Perſeus, ad Argos dirigens curſum, & Gorgonis caput ferens.

LICTOR. Quid ais de Gorgone: Scribæ caput, tu Gorgonis eſſe dicis?

EURIPIDES. Sic aio.

LICTOR. At ego tibi *Gorgo* dico.

EURIPIDES. Atat quemnam hunc ſcopulum video, & virginem deabus ſimilem, tanquam navem in portu, vinclis adnexam?

MNESILOCHUS. O hoſpes, miſerere mei miſerrimæ: ſolve me vinclis.

LICTOR. Tu ne loquere. Audesne ſceleſte? moriturus, linguax es tamen?

EURIPIDES. O virgo, miſeret me tui, quam ſic ſuſpenſam video.

LICTOR. Non eſt virgo, ſed ſceleſtus ſenex, & fur, & verſutus.

EURIPIDES. Ineptis, Scytha: hæc enim eſt Andromeda, filia Cephei.

LICTOR. Specta penem hunc; num tibi parvus videtur?

EURIPIDES. Cedo huc mihi manum, ut attingam puellam, age, Scytha. Hominibus enim morbi omnibus ſunt: at me puellæ hujus amor invaſit.

LICTOR. Æmulum me non habes. Quandoquidem igitur podex huc converſus eſt, tibi non invideo, quin eum præcidas.

EURIPIDES. Quidni me ſinis ſolvere eam, Scytha, & ruere in concubitum amplexusque uxoris meæ?

LICTOR. Si tam valde cupis ſenem pædicari, tabula perforata a tergo culum divide.

EURIPIDES. Immo ſolvam vincla.

LICTOR. Flagello igitur te cædam.

EURIPIDES. Atqui hoc faciam.

LICTOR. Caput igitur tuum enſis abſcindet hic.

EURIPIDES. Heu, heu! quid faciam? ad quos me convertam ſermones? ſed eos non admittet barbarum ingenium. Rudes enim & inficetos qui novis aggreditur lepidis commentis, operam is ludos facit. Sed alia quædam huic conveniens fabrica eſt admovenda.

LICTOR. Improba vulpes, ut conatur decipere me!

MNESILOCHUS. Memento, Perſeu, ut me miſeram deſeris.

LICTOR. Scilicet flagellum adhuc ſentire vis.

CHORUS. Palladem choris gaudentem mihi mos eſt huc vocare in chorum, virginem nuptialis jugi expertem puellam, quæ urbem noſtram tenet, ſolaque manifeſto regit imperio, Clavigeraque vocatur. Appare, ô tyrannis, ut par eſt, inimica; populus te vocat mulierum: veni autem cum Pace feſtis amica. Ceres & Proſerpina, venite lætæ, propitiæ, lucum in veſtrum, ubi viris non fas eſt intueri orgia veneranda Dearum: ubi, facibus ardentibus, oſtenditis immortalem faciem. Venite, accedite, precamur, ô Theſmophoræ admodum venerandæ. Si enim unquam ante, exauditis precibus noſtris, veniſtis, nunc venite, oramus, huc ad nos.

EURIPIDES, CHORUS, LICTOR, MNESILOCHUS.

EURIPIDES. Mulieres, ſi vultis in poſterum pacem facere mecum, id nunc licet, ea conditione, ut nullum a me unquam poſthac convicium audiatis: hanc vobis pacem offero.

CHORUS. Qua inductus cauſa hoc demum nobis proponis?

EURIPIDES. Hic in aſſere vinctus ſocer meus eſt. Eum igitur ſi recepero, nullum unquam maledictum a me audietis: ſin mihi non obtemperaveritis, de iis, quæ domi nunc occulte machinamini, apud viros ex militia reverſos vos criminabor.

CHORUS. Nos quod adtinet, ſcias te nobis rem perſuaſiſſe: at barbaro huic eandem ipſe perſuadeto.

EURIPIDES ut ANUS. Mei officii eſt: & tui, ô Elaphium, quæ tibi in via dixi, ea ut facere memineris. Primum igitur tranſi, & ſubduc veſtis ſinum: tu vero, Teredon, inflatis tibiis cane Perſicam ſaltationem.

LICTOR. Quid bombus hic ſibi volt? comiſſationem quis excitat mihi?

EURIPIDES. Opus eſt, ô lictor, ut præludat puella hæc: ſaltatura enim pergit ad viros quosdam.

LICTOR. Saltet & præludat; non prohibebo ego. Quam agilis & levis eſt! ut pulex in vellere.

EURIPIDES. Age, veſtem ſubduc, filia, hanc; ſedensque in genibus Scythæ, pedes protende, ut ſolvam tibi calceos.

LICTOR. Recte, recte; ſede, ſede, næ, næ, filiola. Hei mihi! quam rotundæ ſunt papillæ, inſtar rapæ!

EURIPIDES. Tibia cane ocyus. An adhuc Scytham formidas?

LICTOR. Pulchræ hercle ſunt nates.

(Nudatus lictoris penis alternis emergit & demergit.)

EURIPIDES. Male huic erit, niſi intus manſerit.

LICTOR. Attamen pulchra eſt ſpecies arrectæ hujus mentulæ.

EURIPIDES. Recte eſt: veſtem rurſus indue: tempus eſt nobis jam abeundi.

LICTOR. Annon prius me oſculabitur?

EURIPIDES. Omnino oſculare ipſum.

LICTOR. Oh, oh, oh! papæ! quam dulce eſt os, inſtar mellis Attici! quare non concumbit mecum?

EURIPIDES. Vale Lictor: non enim hoc fieri fas eſt.

LICTOR. Næ, anicula, gratificare hoc mihi.

EURIPIDES. Dabin' igitur drachmam?

LICTOR. Næ, næ, dabo tibi.

EURIPIDES. Fer igitur pecuniam.

LICTOR. At nihil habeo: pharetram ſaltem hanc ſume.

EURIPIDES. Poſtea puellam huc reduces.

LICTOR. Sequere, filia: tu vero cuſtodi ſenem hunc, ô anicula. At quodnam eſt tibi nomen?

EURIPIDES. Artemiſia.

LICTOR. Utique nominis meminero. Artomuxia.

EURIPIDES. Mercuri, fraudum patrone, iſta quidem adhuc recte facis. Tu igitur hinc te proripe curſu, puella illa abducta. Ego vero ſolvam hunc. Tu autem vide, ut ſtrenue, quum ſolutus fueris, & celerrime fugias, contendasque ad uxorem & liberos domum.

MNESILOCHUS. Mihi hoc curæ erit, quum primum ſolutus fuero.

EURIPIDES. Solvitor. Quod igitur nunc te facere convenit, fuge, priusquam lictor veniens te adſequatur.

MNESILOCHUS. Hoc jam ago.

LICTOR. O anicula, quam venuſta eſt tibi filiola, nec difficilis, ſed mitis — Ubinam eſt anus? hei mihi, ut perii! quonam hinc ab iit ſenex? ô anicula, ô anus, factum tuum non laudo, anicula, Ar-

tamuxia. Decepit me anus. Apage hinc te quam citiſſime, ô pharetra: recte vero *ſubine* dicitur; per eam enim in me illuditur. Hei mihi! quid faciam? Ubi eſt anus? Artamuxia.

CHORUS. Percontarisne de anu, quæ pectidas geſtabat?

LICTOR. Sic, ſic. Vidiſtin' eam?

CHORUS. Hac abiit & ipſa, & ſenex quidam eam ſequebatur.

LICTOR. Senex crocota indutus?

CHORUS. Aio. Adhuc eos adſequi poſſis, ſi inſequaris hac.

LICTOR. O ſceleſta anus! quanam aufugit via? Artamuxia.

CHORUS. Recta, quæ ſurſum tendit, via inſequere. Quo curris? annon retro hac inſequeris? contrariam inſiſtis viam.

LICTOR. Infelix ego! at interim currit Artamuxia.

CHORUS. Curre jam. In maximam malam crucem ventus te ſecundus ferat. Sed luſum eſt ſatis nobis; quare tempus eſt eundi domum unamquamque. Theſmophoræ autem nobis bonam pro his gratiam rependant.

FINIS THESMOPHORIAZUSARUM.

ARISTOPHANIS
RANÆ.

DRAMATIS PERSONÆ.

XANTHIA servus

BACCHUS.

HERCULES.

MORTUUS.

CHARON.

CHORUS RANARUM.

CHORUS INITIATORUM.

ÆACUS.

ANCILLA Proserpinæ.

CAUPONÆ.

EURIPIDES.

ÆSCHYLUS.

PLUTO.

XANTHIA, BACCHUS, HERCULES, MORTUUS, CHARON, CHORUS RANARUM.

XANTHIA. Dicamne aliquid ex uſitatis iſtis, ô here, ſuper quibus ſemper rident ſpectatores?

BACCHUS. Ita hercle, quidquid vis, præter illud *Premor*. Hoc vero cave dixeris: jam enim plane ſatietas me cepit.

XANTHIA. Neque aliud quiddam lepidum?

BACCHUS. Modo ne dixeris: *Quam afflictor!*

XANTHIA. Quid? numnam illud oppido ridiculum dicam?

BACCHUS. Immo hercle audacter. Illud tantum vide ne dicas.

XANTHIA. Quodnam?

BACCHUS. Ut cacaturias, jactans lignum bajulatorium de humero in humerum.

XANTHIA. Neque ut, tantum onus ferens, niſi aliquis id demat mihi, pedam?

BACCHUS. Nequaquam, obſecro, niſi quum vomiturus ero.

XANTHIA. Quid ergo opus erat, ut hanc ſarcinam ferrem, ſi nihil eorum fecero, quæ Phrynichus facere ſolet, & Lycis, & Amipſias, ſarcinas bajulantes identidem inducentes in comœdiis.

BACCHUS. Ne faxis: nam ego ſi ſpectator ſedeam, & iſtorum commentorum quoddam videam, plus quam anno ſenior factus abeo.

XANTHIA. O miſerrimum igitur humerum huncce, ſi afflictatur quidem, at ridiculum tamen nihil proferet!

BACCHUS. Annon hæc inſolentia eſt & mera mollitia, quando ego, qui Bacchus ſum & Stamnii filius, pedes incedo & delaſſor, hunc autem vehi facio, ut ærumnarum ſit expers, & onus non ferat?

XANTHIA. Annon ergo fero ego?

BACCHUS. Quomodo fers, qui veheris?

XANTHIA. Hæc ferens.

BACCHUS. Quomodo?

XANTHIA. Ægre admodum.

BACCHUS. Atqui nonne quod tu fers, onus hoc fert aſinus?

XANTHIA. Non ſane, quod ego habeo & fero: non, ita me ſervet Jupiter.

BACCHUS. At quomodo fers, qui profecto ipſe ab alio fereris?

XANTHIA. Neſcio: ſed humerus tamen hicce premitur.

BACCHUS. Tu ergo, quandoquidem aſinum te juvare negas, invicem ſublatum aſinum ferto.

XANTHIA. Hei mihi miſero! Nam cur ego prælio navali non interfui? tum certe plorare te longum juſſiſſem.

BACCHUS. Deſcende, ſceleſte: namque ad januam nunc accedam hancce, quo me primum divertere oportebat. Puer, puer, heus puer.

HERCULES. Quis januam pultavit? quam centaurice inſultavit, quisquis eſt! Dic mihi, hoc quid erat?

BACCHUS. Heus puer.

XANTHIA. Quid eſt?

BACCHUS. Non animadvertiſti?

XANTHIA. Quidnam?

BACCHUS. Quam vehementer me timuerit.

XANTHIA. Ita, per Jovem, ne inſanires.

HERCULES. Nequeo, per Cererem, riſu me admoderarier, etſi labra præmordeo: ſed tamen rideo.

BACCHUS. O bone, accede: tui enim alicujus rei indigeo.

HERCULES. Sed non poſſum dispellere riſum, quando pellem leoninam crocotæ injectam video. Quæ mens iſtorum eſt? quid convenere cothurnus & clava? ubi gentium peregrinatus es?

BACCHUS. Cliſthenem inſcendi.

HERCULES. Et decertaſti prælio navali?

BACCHUS. Et quidem naves depreſſimus hoſtiles duodecim, ni fallor, aut tredecim.

HERCULES. Vosne?

BACCHUS. Per Apollinem juro.

HERCULES. Tum ego expergefactus fui.

BACCHUS. Porro legenti mihi in nave apud me ipſum Andromedam, derepente deſiderium cor percuſſit, quam putas vehementer?

HERCULES. Deſiderium? quantum?

BACCHUS. Parvum, inſtar Molonis.

HERCULES. An feminæ?

BACCHUS. Non ſane.

HERCULES. Ergo pueri?

BACCHUS. Nequaquam.

HERCULES. Ergo viri?

BACCHUS. Attatæ!

HERCULES. Concubuiſti cum Cliſthene?

BACCHUS. Ne me irrideas, frater. Enimvero male habeo: tale me diſcruciat deſiderium.

HERCULES. Quale, ô fratercule?

BACCHUS. Declarare nequeo: attamen per imaginem tibi indicabo. En unquam derepente concupiviſti pultem?

HERCULES. Pultem? papæ! millies in mea vita.

BACCHUS. Num rem ipſam perſpicue edoceo? an aliud quid dicam?

HERCULES. De pulte quidem nihil amplius dixeris: nam ſatis intellego.

BACCHUS. Tale igitur me dilaniat deſiderium Euripidis, idque mortui. Et nemo mihi hominum perſuaſerit, quin eam ad illum.

HERCULES. Num ad Inferos deorſum?

BACCHUS. Immo edepol ſi quid adhuc eſt inferius.

HERCULES. Cujus rei indigens?

BACCHUS. Opus eſt mihi bono poëta: tales enim nulli ſunt amplius: & qui vivunt, mali ſunt.

HERCULES. Quid? annon Iophon vivit?

BACCHUS. Hoc tamen, & ſolum adhuc ſupereſt bonum; ſi ſaltem bonum hoc eſt etiam: non enim ſatis ſcio quomodo id quoque comparatum ſit.

HERCULES. Nonne ergo Sophoclem, qui prior eſt Euripide, ſurſum es ducturus, ſi omnino inde aliquem educere debes?

BACCHUS. Non, priusquam Iophontem ſeorſum ſumtum exploravero, quid ſolus ſine Sophocle facere valeat. Præterea Euripides, homo verſutus, vel conaretur una huc aufugere: alter autem tam illic, quam hîc, facilis eſt.

HERCULES. Agatho vero ubi eſt?

BACCHUS. Reliquit me & abiit, bonus poëta & amicis deſiderabilis.

HERCULES. Quo terrarum miſer ille?

BACCHUS. Ad Beatorum epulas.

HERCULES. Xenocles vero?

BACCHUS. Pereat utique.

HERCULES. Pythangelus autem?

XANTHIA. De me vero nulla mentio, cui tam valde premitur humerus.

HERCULES. Annon alii hîc ſunt adoleſcentuli, qui tragœdias faciunt, plus quam decies mille? Euripide plus quam ſtadio loquaciores?

BACCHUS. Rejiculi hi ſunt racemuli, loquaculi, hirundinum muſca, contaminatores artis, qui, ſi modo chorum acceperint, & ſemel tantum in Tragœdiam minxerint, viribus exhauſti protinus evaneſcunt. Fecundum vero poëtam non amplius invenias, quæras licet, qui verbum generoſum ſonet.

HERCULES. Quomodo fecundum?

BACCHUS. Ita fecundum, ut proferat audacem aliquam dictionem hujuscemodi, *Æthera Jovis ædiculam*, aut *Temporis pedem*, aut

Mentem quidem noluiſſe per ſacra jurare, ſed linguam pejeraſſe ſeorſum a mente.

HERCULES. Ergone tibi hæc placent?

BACCHUS. Plus utique quam inſano modo.

HERCULES. Profecto inepta ſunt, vel te judice.

BACCHUS. Ne tu meum habites animum: nam habes domum.

HERCULES. Atqui omnino peſſuma videntur eſſe.

BACCHUS. Cœnare me doceas.

XANTHIA. De me autem nulla mentio.

BACCHUS. Quin audi, qua gratia te imitatus cum hoc ornatu venerim: nempe ut mihi hoſpites tuos enarres, ſi mihi opus ſit illis, quibus tunc uſus es, quum ad Gerberum proficiſcereris. Hos indica mihi, & portus, & ubi panis venalis, lupanaria, manſiones, diverſoria, fontes, vias, urbes, cœnacula, cauponas, ubi cimices pauciſſumi.

XANTHIA. De me autem nulla mentio.

HERCULES. Tune etiam audebis ire, miſerrime?

BACCHUS. Nihil amplius contradicas: ſed de viis doce, quî citiſſime ad Inferos perveniamus; unamque monſtra, quæ neque calida, neque nimis frigida ſit.

HERCULES. Agedum, quamnam earum tibi primam dicam? quam? una quidem eſt a ſcabello & reſte, ſi teipſum ſuſpendas.

BACCHUS. Deſine: ſuffocatoriam dicis.

HERCULES. Sed eſt via compendioſa & trita, illa per mortarium.

BACCHUS. Num cicutam dicis?

HERCULES. Maxume.

BACCHUS. Frigidam quidem illam & algidam; ſtatim enim tibias conglaciat.

HERCULES. Vin' celerem & declivem tibi dicam?

BACCHUS. Ita edepol, præcipue quum non ſim nimis expeditus viator.

HERCULES. Perrepta igitur in Ceramicum.

BACCHUS. Quid tum?

HERCULES. Ubi turrim illam excelſam inſcenderis —

BACCHUS. Quid faciam?

HERCULES. Lampadem, dum mittetur, illinc ſpecta: deinde quando jubebunt ſpectatores eam mitti, tunc & tu teipſum mitte.

BACCHUS. Quorſum?

HERCULES. Deorſum.

BACCHUS. Sed perderem cerebri membranas duas. Nolim hanc viam ire.

HERCULES. Quid igitur?

BACCHUS. Illam, quam tu iviſti tunc.

HERCULES. Sed longa eſt navigatio. Primo enim venies ad paludem maxumam & profundiſſumam.

BACCHUS. Deinde illam quomodo transmittam?

HERCULES. In navicula tantilla ſenex quidam navita te transvehet, mercede accepta, duobus obolis.

BACCHUS. Hui! quantum ubique pollent duo illi oboli! quomodo pervenerunt illuc etiam?

HERCULES. Theſeus eos perduxit. Poſthæc angues & belluas videbis innumeras, horrendas.

BACCHUS. Ne me terrefacias, neu pavorem incutias: non enim me deterrebis.

HERCULES. Deinde cœnum ſpiſſum, & ſtercus ſupernatans ſemper; in illo autem jacentes, ſicubi quispiam aut hoſpitem injuria adfecit aliquando, aut puero, quem ſubagitabat, pecuniam ſurripuit, aut matrem permoluit, aut patri malam percuſſit, aut pejeravit, aut orationem aliquam Morſimi tranſcripſit.

BACCHUS. Edepol oportebat his addi, ſi quis Pyrrìcham Cineſiæ didicit.

HERCULES. Exinde circumfundetur tibi flatus quis tibiarum, lumenque videbis pulcherrumum, ſicut hîc, & myrteta, & beatos cœtus virorum & feminarum, crebrosque manuum plauſus.

BACCHUS. Iſti vero quinam ſunt?

HERCULES. Initiati —

XANTHIA. Ergo equidem hercle asinus sum vehens mysteria: sed ista non feram amplius.

HERCULES. Qui tibi indicabunt omnia, quibus opus tibi fuerit. Illi enim proxume in ipsa via ad ostium Plutonis habitant. Sed multum vale, ô frater.

BACCHUS. Ita faxit Jupirer! & tu quoque valeto. At tu stragula rursus suscipe.

XANTHIA. Priusquam deposuerim etiam?

BACCHUS. Et quidem cito admodum.

XANTHIA. Haudquaquam, obsecro te: sed conduc aliquem mercede ex illis qui efferuntur, cui decretum sit hoc iter.

BACCHUS. Si vero neminem invenero?

XANTHIA. Tunc me ducito.

BACCHUS. Recte autumas. Etenim efferunt quidam huncce mortuum. Heus tu: tibi quidem dico, tibi, qui mortuus es. Vin' tu, homo, minutam supellectilem ad Inferos ferre?

MORTUUS. Quanta est?

BACCHUS. Ista.

MORTUUS. Pendesne mercedem duas drachmas?

BACCHUS. Non hercle, sed minus.

MORTUUS. Vos, vespillones, pergite.

BACCHUS. Exspecta, ô bone, si possim tecum mercede pacisci.

MORTUUS. Nisi duas drachmas deposueris, ne loquaris.

BACCHUS. Accipe novem obolos.

MORTUUS. Reviviscam potius.

XANTHIA. Quam superbus est execrabilis iste! annon plorabit? Ego ibo.

BACCHUS. Probus es & generosus. Pergamus ad navem.

CHARON. Oop! appelle cymbam ad litus.

XANTHIA. Hoc quid est?

BACCHUS. Hæc pol palus ipsa est, quam nobis dicebat; & navem conspicor.

XANTHIA. Ita me Neptunus amet, atque iſte Charon eſt.

BACCHUS. Salve Charon, ſalve Charon, ſalve Charon.

CHARON. Quis in requiem e miſeriis & moleſtiis, quis in oblivionis campos, aut ad aſini vellera, aut ad Cerberios, aut ad corvos, aut ad Tænarum?

BACCHUS. Ego.

CHARON. Cito inſcende.

BACCHUS. Quorſum adpellere tibi videtur? num revera ad corvos?

CHARON. Ita hercle, vel tui gratia. Inſcende modo.

BACCHUS. Puer, huc ades.

CHARON. Servum non veho, niſi prælio navali una decertavit de carnibus.

XANTHIA. Non hercle potui, quia tum mihi forte dolebant oculi.

CHARON. Itaque paludem curriculo circumcurres.

XANTHIA. Ubi ergo opperiar?

CHARON. Apud Auæni lapidem, juxta manſiones.

BACCHUS. Intellegin'?

XANTHIA. Omnino intellego. Hei miſero mihi! cuinam occurri primum domo egreſſus?

CHARON. Sede ad remum. Si quis præterea navigaturus eſt, feſtinet. Heus tu, quid facis?

BACCHUS. Quid faciam? quid aliud, quam ſedeo ad remum, ubi ipſe juſſeras?

CHARON. Nonne ergo huc ſedebis, ventrioſe?

BACCHUS. En.

CHARON. Nonne projicies manus, atque extendes?

BACCHUS. En.

CHARON. Ne nugas agas; ſed obnixus remum age ſtrenue.

BACCHUS. At quomodo potero, imperitus quum ſim & inſuetus maris atque navigationis, agere remum?

CHARON. Facillume: audies enim cantus pulcherrimos, ubi ſemel remo incubueris.

BACCHUS.

BACCHUS. Quorumnam?

CHARON. Ranarum, cycnorum, admirandos.

BACCHUS. Celeusma cane.

CHARON. Oop op! Oop op!

CHORUS. Brekekekex coax coax. Brekekekex coax coax. Paluſtris fontium ſoboles, tibiarum cantu permiſtum clamorem edamus, ſonoram meam cantilenam, coax, coax, qua Nyſeum Jovis filium Bacchum in Limnis cantavimus, quando ebria, in feſto ſacro Chytrorum, hominum turba ad meum lucum comiſſatum venit. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Ego vero dolere incipio podicem, *coax*, *coax*.

CHORUS. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Vos autem nihil id ſcilicet curatis.

CHORUS. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Sed pereatis una cum veſtro *coax*. Nihil enim aliud eſtis quam *coax*.

CHORUS. Equidem merito, ô male curioſe. Me enim amarunt & Muſæ lyra ſcite canentes, & cornipes Pan, qui ludit vocalibus calamis: in deliciis etiam me habet citharœdus Apollo, propter arundinem, quam lyræ idoneam alo ſub aqua in paludibus. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Ego vero puſtulas habeo, & culus mihi dudum ſudat; atque mox propendens dicet, *Brekekekex coax coax*. Sed, ô cantus amans gens, deſinite.

CHORUS. Immo magis canemus, ſi unquam ſerenis in diebus ſaltavimus per cyperum & phleon, gaudentes carminibus, quæ inter natandum cantantur: aut ſi Jovis ad fugiendum imbrem, celerem choream profundis ſub aquis agitantes cantavimus cum bullarum ruptarum crepitu, Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Hoc vobis eximo.

CHORUS. Indigna ergo patiemur, ſi nobis ſilendum ſit.

BACCHUS. Immo ego indigniora, ſi remum agendo diſrumpar.

CHORUS. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Ploretis: non enim id curo.

CHORUS. At nos clamabimus, quantum fauces noſtræ capiunt, toto die, Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Iſto quidem non vincetis.

CHORUS. Neque tu nos certe.

BACCHUS. At nec vos tamen me unquam. Vociferabor enim, ſi opus ſit, vel toto die, usque dum iſtuc voſtrum ſuperem *coax*.

CHORUS. Brekekekex coax coax.

BACCHUS. Scilicet aliquando voſtrum inhibiturus eram *coax*.

CHARON. Ohe deſine, deſine. Remo adpelle navem ad litus. Egredere, ſolve naulum.

BACCHUS. En, accipe duos obolos.

BACCHUS, XANTHIA, CHORUS INITIATORUM.

BACCHUS. Xanthia! ubi Xanthia? eho Xanthia!

XANTHIA. Au.

BACCHUS. Accede huc.

XANTHIA. Salvus ſis, here.

BACCHUS. Quid iſtic eſt?

XANTHIA. Tenebræ & cœnum.

BACCHUS. Vidiſtin' ergo alicubi parricidas illic, & perjuros, quos dicebat ille nobis?

XANTHIA. Tu vero non vidiſti?

BACCHUS. Immo, ita me Neptunus amet, nunc etiam video. Age vero, quid faciamus?

XANTHIA. Optumum nobis erit progredi: nam iſte locus eſt, ubi beluas illas horrendas eſſe dicebat ille.

BACCHUS. Quam valde plorabit! præſtigias faciebat, ut ego timerem, ex æmulatione, quia me bellicoſum eſſe ſcit. Nihil enim adeo arrogans eſt, ut Hercules. Ego vero optem in diſcrimen quodpiam incidere, & occaſionem nanciſci edendi facinoris, quod dignum ſit iſto itinere.

XANTHIA. Atqui hercle ſentio ſtrepitum aliquem.

BACCHUS. Ubi, ubi eſt?

XANTHIA. Pone.

BACCHUS. Pone igitur eas.

XANTHIA. Sed eſt ante nos.

BACCHUS. Præcede igitur.

XANTHIA. Atqui hercle video beluam magnam.

BACCHUS. Qualis eſt?

XANTHIA. Horrenda. Porro in omnes ſpecies ſe vertit: modo fit bos, modo mulus, modo mulier pulcherruma.

BACCHUS. Ubi eſt? age, accedam ad eam.

XANTHIA. Sed non amplius eſt mulier, at vero nunc canis.

BACCHUS. Ergo Empuſa eſt.

XANTHIA. Sane igni coruſcat tota facie.

BACCHUS. Et crus æreum habet?

XANTHIA. Ita edepol, & ſtercoreum alterum. Certo hoc ſcias.

BACCHUS. Quo me ergo convertam?

XANTHIA. Quo vero ego?

BACCHUS. O ſacerdos, ſerva me, ut ſim compotor tuus.

XANTHIA. Peribimus, ô rex Hercules.

BACCHUS. Ne me appelles, homo, obſecro, neu nomen meum edas.

XANTHIA. O Bacche igitur.

BACCHUS. Iſtuc multo minus altero dixeris.

XANTHIA. Perge qua is: huc ades, ô here.

BACCHUS. Quid vero eſt?

XANTHIA. Bono animo es: optume nobiſcum agitur. Licet enim nobis dicere, ut Hegelochus: *Namque poſt fluctus rurſus muſtelam video.* Diſparuit Empuſa.

BACCHUS. Jura.

XANTHIA. Per Jovem juro.

BACCHUS. Et iterum jura.

XANTHIA. Per Jovem ergo.

BACCHUS. Jura, inquam.

XANTHIA. Per Jovem, inquam.

BACCHUS Hei miſero mihi! ut expallueram viſo ſpectro! At iſte exterritus plus quam ego expalluit. Hei mihi! undenam mala iſta mihi accidere? quem deorum dicam me perditum ire? *Æthera, Jovis ædiculam*, an *Temporis pedem?*

(Tibia canit intus aliquis.)

XANTHIA. Heus tu.

BACCHUS. Quid eſt?

XANTHIA. Non audiviſti?

BACCHUS. Quidnam?

XANTHIA. Tibiarum ſonum.

BACCHUS. Ita ſane, & quidem tædarum me adflavit aura quædam oppido myſtica. Sed tacite ex inſidiis auſcultemus.

CHORUS. Iacche, ô Iacche! Iacche, ô Iacche.

XANTHIA. Hoc illud eſt, here; ludunt alicubi hîc Initiati, quos nobis narrabat ille: nam Iacchum cantant, ut Diagoras.

BACCHUS. Et mihi ita videntur. Quapropter ſilentium agere optumum eſt, ut rem perſpicue cognoſcamus.

CHORUS. Iacche, ô qui ſanctiſſimas ſedes hîc incolis, Iacche, ô Iacche, veni ad ſacros ſodales, choros in hoc prato ducturus, pullulantem multis fructibus circa caput tuum quatiens myrti coronam, audacique ſaltans pede liberam illam & jocoſam, cui plurimæ inſunt veneres, tuum decus, puram, ſanctis myſtis ſolemnem choream.

XANTHIA. O veneranda & ſanctiſſima Cereris filia, quam ſuavis odor porcinæ carnis me adflavit!

BACCHUS. Non igitur quieſcere poteris, ſi aliquid inteſtini hîc eſſe perſentiſcas?

CHORUS. Excita flammeas lampadas, quas advenis in manibus quatiens, ô Iacche, lucifer nocturnorum orgiorum ſtella: ignibus refulget pratum: genu palpitat ſenum; excutiunt mœrores, longævæque ætatis veteres annos, ſacrorum tuorum honorum participes ut fiant. Tu vero, qui lampade luces, procedens educ in floridum & paluſtre ſolum ſaltatricem pubem, ô beate.

SEMICHORUS. Lingua favere oportet, & loco cedere choris noſtris, quicunque expers eſt horum ſermonum, aut mentem non habet puram, aut germanarum orgia Muſarum nec vidit adhuc, nec ſaltavit, nec Cratini taurivori Bacchicæ linguæ myſteriis eſt initiatus, aut ſcurrilibus verſibus delectatur intempeſtivum riſum moventibus, aut inimicam ſeditionem non compeſcit, nec facilis eſt civibus;

sed excitat eos & inflammat, proprii lucri cupidus: aut vexatæ calamitatibus civitatis præses, muneribus corrumpitur: aut castellum prodit, aut naves; aut res vetitas mittit ex Ægina, Thorycion alter, vicesimarum exactor perditissumus, coria, & lintea, & picem mittens Epidaurum; aut alicui persuadet, ut hostibus pecuniam det fabricandis navibus; aut concacat Hecatæ imagines, dum choris dithyrambicis succinit: aut si quis rhetor mercedem poëtarum adrodit, quia traductus fuit in patriis Bacchi sacris. Istis edico, iterum iterumque edico, ut loco cedant mysticis choris. Vos vero excitate cantum, & pervigilia nostra, huic festo convenientia.

SEMICHORUS. Procede nunc quisque strenue in floridos sinus Infernorum pratorum, tripudians, salibus & dicteriis sannisque ludens. Satis enim in peragendis his sacris emicuit studium nostrum. Sed incede & vide, ut Servatricem divam egregie extollas, voce eam celebrans, quæ regionem se conservaturam profitetur semper, etiamsi Thorycion nolit.

SEMICHORUS. Age nunc alio genere hymnorum frugiferam reginam, Cererem deam, ornantes, divinis cantibus celebrate.

SEMICHORUS. Ceres, purorum orgiorum regina, ades nobis, & conserva tuum chorum; daque ut ego tuto omni tempore ludere & saltare possim, multaque ridicula dicere, & multa seria; & quando condigne tuo festo luserim & riserim, ut victor coroner.

SEMICHORUS. Eia age, nunc etiam cantibus huc voca festivum illum deum, sodalem hujus choreæ.

SEMICHORUS. Iacche sancte, carminis hoc festo cantari soliti suavissimi inventor, huc ades, & nos comitare ad deam, & ostende quam longam viam sine labore conficias.

SEMICHORUS. Iacche saltationis amans, prosequere me: tu enim discidisti ad risum usque & ad vilitatem hoc sandalium & istos pannos, & id excogitasti, ut impune ludere & saltare nobis liceat.

SEMICHORUS. Iacche saltationis amans, prosequere me. Etenim limis adspectans, puellæ modo vidi, & quidem admodum formosæ, colludentis, e tunica leviter scissa promicantem papillam. Iacche saltationis amans, prosequere me.

XANTHIA. Ego vero lubens ſoleo comitari, & cum ipſa ludens ſaltare volo.

BACCHUS. Et ego inſuper.

CHORUS. Vultisne ergo ut ſimul ludos faciamus Archedemum, qui ſeptuennis nondum habebat phratoras: nunc autem dux populi eſt apud ſupernos manes, & principatum nequitiæ illic obtinet? Cliſthenem autem audio in ſepulcris podicem vellicare ſuum, & pilantem lacerare genas: & plangere pronus, & plorare, & inclamare ſolet Sebinum, qui Anaphlyſtius eſt. Quin & Calliam aiunt, iſtum Hippobini filium, cunni leonina indutum decertare prælio navali.

BACCHUS. Poſſetisne nobis indicare, Pluto ubinam hic habeat? peregrini enim ſumus, & modo huc advenimus.

CHORUS. Ne longius abeas, neque iterum me interroges: ſed ſcito ad ipſum oſtium te perveniſſe.

BACCHUS. Tolle rurſus, puer, ſtragula.

XANTHIA. Quid hoc erat aliud, quam *Jovis Corinthus* in ſtragulis?

SEMICHORUS. Ducite nunc ſacram choream Divæ, per nemus floriferum ludentes, qui participes eſtis pii feſti: ego vero cum virginibus ibo & mulieribus, ubi Dearum eſt pervigilium, facem ſacram portaturus.

SEMICHORUS. Eamus in roſis referta florida prata, noſtro more pulcherrimis choreis ludentes, quas beatæ Horæ quotannis reducunt. Nobis enim ſolis Sol & lux jucunda eſt, qui ſumus initiati, piosque nos geſſimus & erga peregrinos & erga cives.



BACCHUS, XANTHIA, ÆACUS, ANCILLA PROSERPINÆ, CAUPONÆ, CHORUS INITIATORUM.

BACCHUS. Agedum quomodo januam pultabo? quomodo? Quonam hîc modo pultant incolæ?

XANTHIA. Ne tempus teras, ſed aggredere januam, ut ornatu, ſic etiam animo Herculem referens.

BACCHUS. Heus puer.

ÆACUS. Quis iſte?

BACCHUS. Hercules ille fortis.

ÆACUS. O execrande, & impudens, & audax, & impure, & perimpure, & impuriſſume, qui canem noſtrum Cerberum protractum abegiſti obtorto collo, & fuga te cum eo proripuiſti, quem ego cuſtodiebam. Sed nunc medius teneris: talis te Stygis atra petra & Acherontius ſcopulus ſanguine manans adſervant, & Cocyti circumcurſantes canes, Echidnaque centiceps, quæ viſcera tua diſcerpet: pulmonesque tuos corripiet Tarteſia muræna: renes vero tuos cruentatos una cum ipſis inteſtinis diſtrahent Gorgones Tithraſiæ, quas citato curſu arceſſam ego.

XANTHIA. Heus tu, quid feciſti?

BACCHUS. Cacavi. Opem implora dei.

XANTHIA. O ridicule, nonne cito ſurges, priusquam te videat alienus quispiam.

BACCHUS. Sed linquor animo: verum fer ad cor meum ſpongiam.

XANTHIA. En, accipe.

BACCHUS. Admove.

XANTHIA. Ubi eſt? Dii boni! hîc habes cor?

BACCHUS. Nam præ metu in inferiorem ventrem delapſum eſt.

XANTHIA. O timidiſſume deorum tu atque hominum.

BACCHUS. Ego? quomodo timidus eſſem, qui ſpongiam a te petii? nemo ſane alius hoc feciſſet.

XANTHIA. Quid vero?

BACCHUS. Jacuiſſet olfaciens, ſi timidus eſſet: ego autem ſurrexi, & ad hæc abſterſi nates.

XANTHIA. Fortia ſane facta, ô Neptune!

BACCHUS. Ita hercle, opinor. At tu nonne formidaſti ſtrepitum verborum & minas?

XANTHIA. Flocci non feci, ita me Jupiter amet.

BACCHUS. Agedum, quandoquidem animoſus & fortis es, tu fias ego, clava hac ſumta & leonina pelle, ſi quidem nullo timore quatiuntur viſcera tua: ego vero in partem ero tibi bajulus.

XANTHIA. Cedo ea celeriter; mos enim gerendus eſt: & intuere Herculeum Xanthiam, an timidus futurus ſim, & tui ſimilem habiturus animum.

BACCHUS. Non pol mei ſimilis eris, ſed revera ille Melitenſis verbero. Agedum ſtragula iſta tollam.

ANCILLA. O cariſſume, veniſtin' Hercules? huc ingredere. Nam Diva, ut audivit te adveniſſe, ſtatim pinſuit panes, coxit leguminum freſorum ollas, pultis duas aut tres; bovem aſſavit integrum, placentas torruit, collabos: ſed ingredere.

XANTHIA. Bene vocas: gratia eſt.

ANCILLA. Ita me Apollo amet, ut ego te nunquam ſinam abire; quandoquidem & carnes avium elixavit, & bellaria frixit, & vinum miſcuit ſuaviſſumum. Sed ingredere mecum.

XANTHIA. Perbenigne.

BACCHUS. Nugas agis: non enim te amittam.

ANCILLA. Namque & tibicina tibi una eſt intus pulcherrima, & ſaltatrices duæ aut tres.

XANTHIA. Quid memoras? ſaltatrices?

ANCILLA. Pubeſcentes, & recens vulſæ. Sed ingredere: nam coquus jam piſces erat detracturus foco, & menſa intro ferebatur.

XANTHIA. Agedum dic primo tibicinis illis, quæ intus ſunt, me ipſum jam ingredi. Tu, puer, ſequere me hac & fer ſtragula.

BACCHUS. Heus tu, ſiſte gradum. Nequaquam, opinor, pro re ſeria habes, quod te joculo feci Herculem: nec ultro nugeris, Xanthia: ſed ſublata rurſus hæc fer ſtragula.

XANTHIA. Quid eſt? non cogitas, ut puto, mihi adimere, quæ ipſe dediſti.

BACCHUS. Non ſane cogito, ſed jam iſtuc facio. Depone pellem.

XANTHIA. Teſtes horum ego deos voco, iisque ultionem committo.

BACCHUS. Quos deos? annon vero ineptum & ſtultum eſt, te ſperare, ut Alcumenæ filius ſis, qui ſervus es & mortalis?

XANTHIA. Bene ſane. Habe hæc. Forte enim aliquando mei indigebis, ſi deus volet.

CHORUS. Hoc viri eſt cordati & ſapientis, quique multum circumnavigaverit, convertere ſeipſum ſemper ad illud latus navis, quod bono ſtatu eſt, potius quam, inſtar pictæ imaginis, ſtare, eodem retento habitu. At convertere ſe ad molliorem ſortem, ſciti eſt hominis, & plane Theramenis.

BACCHUS. Annon vero ridiculum eſſet, ſi Xanthia quidem ſervus, in Mileſiis ſtragulis proſtratus, ſubagitans ſaltatricem, matulam me ſibi ferre juberet: ego vero hunc intuens mentulam mihi fricarem; iſte vero, utpote homo vafer, hoc animadverteret, & impacto pugno anteriores mihi dentes e maxilla excuteret?

CAUPONA I. Plathana, Plathana huc ades. Hic ille eſt ſceleſtus, qui in cauponam ingreſſus aliquando, ſedecim panes nobis comedit.

CAUPONA II. Sane ecaſtor ille ipſe eſt.

XANTHIA. Malum imminet nonnemini.

CAUPONA I. Et carnium inſuper elixarum fruſta viginti, ſemiobolaria ſingula.

XANTHIA. Pœnas dabit nonnemo.

CAUPONA I. Et multa illa allia.

BACCHUS. Mulier, nugas agis, nec ſcis quid dicas.

CAUPONA I. Ergone ſperabas, quod cothurnos haberes, me non te amplius agnituram?

CAUPONA II. Quid vero? multa illa ſalſamenta nondum dixi, neque ecaſtor caſeum illum recentem, miſera ego, quem una cum ipſis fiſcellis devoravit: deinde quum pecuniam ab ipſo exigerem, intuitus eſt me torve, & mugiit.

XANTHIA. Hujus omnino facta hæc ſunt; ita ſolet ubique.

CAUPONA II. Et gladium ſtrinxit furibundo ſimilis.

XANTHIA. Ita hercle, ô miſera.

CAUPONA II. Nos autem pavidæ metu in ſuperiorem contignationem illico nos proripuimus: at ille impetu aufugit, ſumtis etiam ſtoreis.

XANTHIA. Et hoc hujus factum eſt. Sed aliquid vobis faciendum erat.

CAUPONA I. Agedum voca mihi huc Cleonem, patronum meum.

CAUPONA II. Tu vero mihi, ſi modo inveneris, Hyperbolum, ut iſtum funditus perdamus.

CAUPONA I. O faucem improbam! quam libenter tibi lapide dentes molares effringerem, quibus contriviſti meum peculium!

CAUPONA II. Ego vero in Barathrum velim te injectum.

CAUPONA I. Ego vero, ſumta falce, guttur tibi vellem exſcindere, quo panes ſuccineritios deglutiſti. Sed Cleonem arceſſam, qui eum hodie in jus vocabit, & hæc ejus facta extricabit.

BACCHUS. Peſſume peream, niſi Xanthiam deamo.

XANTHIA. Novi, novi mentem tuam, deſine loqui. Nolim Hercules fieri.

BACCHUS. Minume gentium hoc dixeris, mi Xanthiſce.

XANTHIA. Et quomodo Alcumenæ filius fieri poſſem ego, qui ſimul ſervus & mortalis ſum?

BACCHUS. Scio, ſcio te iratum eſſe, idque non injuria. Etiam ſi me verberares, tecum non expoſtularem. Immo ſi in poſterum unquam tibi ornamenta hæc ademero, radicitus & ego & uxor liberique peſſumis exemplis pereamus, ut Archedemus lippus.

XANTHIA. Accipio jusjurandum, & hac conditione ornatum adſumo.

CHORUS. Nunc tuum eſt officium, poſtquam ornatum hunc rurſus accepiſti, quem habebas prius, juvenilem animum oſtendere uſque, & rurſus torvum tueri, dei memorem illius, cujus præ te fers ſpeciem. Quod ſi ſtulte rem gerere deprehenderis, & aliquid commiſeris, quod mollem & ignavum arguat, denuo tollere te ſtragula neceſſe erit.

XANTHIA. Bène monetis, ô amici: ſed & ipſus eadem jam mecum cogito. Iſtum quidem, ſi boni evenerit quidpiam, hæc adimere rurſus conaturum mihi ſat ſcio: ſed tamen ego præbebo me fortem & animoſum, & acerbe, velut origanum, tuentem. Ita faciundum erit, ut videtur: nam audio jam crepitum januæ.

ÆACUS. Conſtringite ocius hunc canifurem, ut pœnas det: properate.

BACCHUS. Imminet nonnemini malum.

XANTHIA. Nonne in malam rem ibitis? ne accedite.

ÆACUS Eia etiam pugnare incipis? Tu Dityla, & tu Sceblia, tuque Pardoca, accedite huc & depugnate cum iſto.

BACCHUS. Nonne ergo res indigna eſt? iſtumne alios verberare, qui furari aliena ipſe ſolet?

XANTHIA. Infinitum quantum.

ÆACUS. Indignum quidem & intolerandum, fateor.

XANTHIA. Atqui per Jovem juro; ſi unquam veni huc, emori volo, aut ſi quicquam tuorum furatus ſum, quod vel unius pili facias. Et ecce incipiam facinus generoſum: accipe hunc ſervum, & tormentis ex eo rem quære, atque, ſi me injurium deprehenderis, abduc me & occidito.

ÆACUS. Quomodo ergo quæram?

XANTHIA. Omnibus modis: in ſcala eum ligans, ſuſpendens, flagellis cædens, excorians, torquens, quin naribus acetum infundens, lateres imponens: cetera omnia fac: tantum ne porris verberes eum, nec alliis novis.

ÆACUS. Æqua prædicas: tum ſi verberibus mutilavero tibi ſervum, præſentarium a me petito argentum.

XANTHIA. Non utique ego: ſed ita hunc abductum torque.

ÆACUS. Immo in hoc ipſo loco, ut coram in os tibi dicat. Tu depone ſarcinas ocius, ac vide ut nihil hîc dicas mendaci.

BACCHUS. Edico ut me nemo torqueat, qui ſum immortalis: ſin, tua culpa tibi evenire putato, quidquid evenerit mali.

ÆACUS. Quid ais?

BACCHUS. Aio me immortalem eſſe, Bacchum, Jovis filium: hunc autem eſſe ſervum.

ÆACUS. Hæccine audis?

XANTHIA. Profecto audio; & multo magis eſt flagris cædendus. Si enim deus eſt, non ſentiet.

BACCHUS. Quidni igitur, ſiquidem & tu ais deum te eſſe, tu quoque pariter mecum plagas accipis?

XANTHIA. Juſta eſt hæc oratio. Utrum autem noſtrûm videris priorem plorare, aut rationem aliquam habere verberum, hunc tu pro deo nē habeas.

ÆACUS. Procul dubio tu generoſus es homo: nam non refugis id quod juſtum eſt. Exuite jam veſtes.

XANTHIA. Quomodo igitur quæſtionem exercebis, ut par eſt?

ÆACUS. Facile. Alternis plagas accipietis.

XANTHIA. Recte autumas. Ecce, ſpecta an me videas commoveri.

ÆACUS. Jam percuſſi te.

XANTHIA. Minume hercle.

ÆACUS. Nec mihi videris ſenſiſſe. Sed ad hunc ibo & percutiam eum.

BACCHUS. Quando tandem?

ÆACUS. Atqui jam percuſſi.

BACCHUS. Quomodo ergo non ſternutavi?

ÆACUS. Neſcio: hunc rurſus tentabo.

XANTHIA. Nonne igitur properabis? Iattatæ!

ÆACUS. Quid ſibi volt hoc *iattatæ?* num doluit?

XANTHIA. Non hercle. Sed cogitabam, quando Diomenſes Herculis feſtum celebrant.

ÆACUS. Hominem religioſum! huc rurſus eundum.

BACCHUS. Hei, hei!

ÆACUS. Quid eſt?

BACCHUS. Equites video.

ÆACUS. Quid itaque fles?

BACCHUS. Cepas olfacio.

ÆACUS. Itane verbera nihili facis?

BACCHUS. Nihil curo.

ÆACUS. Eundum igitur eſt ad hunc rurſus.

XANTHIA. Hei mihi!

ÆACUS. Quid eſt?

XANTHIA. Spinam hanc mihi exime.

ÆACUS. Quid hoc rei eſt? huc rurſus eundum.

BACCHUS. *Apollo, qui forte nunc Delum aut Delphos incolis* --

XANTHIA. Indoluit. Nonne vidiſti?

BACCHUS. Haud ego quidem: nam iambi Hipponactis reminiſcebar.

XANTHIA. Namque nihil efficis: ſed ilia cæde.

ÆACUS. Nihil profecto efficio. Sed jam præbe ventrem.

BACCHUS. *Neptune* --

XANTHIA. Indoluit nonnemo.

BACCHUS. *Qui Ægei promontoria tenes, aut cœrulei regnas maris in fundo* —

ÆACUS. Neutiquam, ita me Ceres amet, cognoſcere poſſum, uter veſtrûm ſit deus. Sed ingredimini: nam herus ipſe vos cognoſcet, & Proſerpina, quum ſint dii ipſi etiam.

BACCHUS. Recte autumas. Vellem autem hoc te prius feciſſe, antequam plagas acciperem.

CHORUS. Ad ſacros choros ades, Muſa, & veni, ut delecteris carmine meo, viſura numeroſam populorum multitudinem, ubi ſapientiæ innumeræ ſedent, ambitioſiores Cleophonte, cujus in labris garrulis acerbe fremit Thracia hirundo, ſuper barbaro folio ſeſſitans: cantat autem lugubre luſciniæ carmen, ut ſit periturus, etiamſi pares fuerint calculi.

SEMICHORUS. Æquum eſt ut ſacer chorus, quod in rem eſt civitatis moneat & doceat. Primum itaque videtur nobis exæquandos eſſe cives cum civibus, & metus adimendos: tum ſi quis aliquid peccaverit, deceptus Phrynichi artificiis, aio oportere facultatem eſſe illis, qui tunc lapſi ſunt, cauſa dicta, diluendi priora peccata. Præterea neminem in civitate aio oportere ab honoribus excludi. Etenim turpe eſt illos, qui ſemel interfuerunt prælio navali, & Platæenſes ſtatim fieri, & dominos pro ſervis. Equidem nec iſtud negare poſſim recte ſe habere; verum laudo: hæc enim ſola ſapienter feciſtis. Præterea æquum eſt vos illis, qui vobiscum ſæpe jam, ut & parentes eorum, interfuerunt præliis navalibus, quique genere vobis propinqui ſunt, unam hanc noxam remittere, idque petentibus. Sed, ô ſapientiſſimi, ira nonnihil laxata, demus operam, ut omnes homines nobis quaſi cognatos faciamus, & ut omnibus adipiſci honores & eſſe civibus liceat, qui una decertarint prælio navali. Si autem in concedenda civitate tumidos & ſuperbos nos geſſerimus, præſertim quum in ulnis fluctuum jactemur, in poſterum non recte ſapere videbimur.

CHORUS. Quod ſi ego callidus ſum diſpicere vitam hominis & mores, qui plorabit aliquando, non diu immorabitur vel ſimius ille, qui nunc moleſtus eſt, puſillus Cligenes, balneator ille peſſumus omnium quotquot tractant cinerem ex falſo nitro & creta mixtum. Hoc autem quum ſciat, non erit pacatus, ne forte ſpolietur veſtibus ebrius, ſine ligno incedens.

SEMICHORUS. Sæpe animadvertimus civitati noſtræ evenire

idem circa bonos & probos cives, quod ei evenit circa veteres nummos & novos. Nam & illis, quamvis non ſint adulterini, ſed optumi omnium, ut conſtat, nummorum, & ſoli probe cuſi, & tinnitu probati ubique, tam apud Græcos, quam apud barbaros, non utimur omnino: ſed malis his æneis nuper cuſis, notæ peſſumæ. Et cives illos, quos ſcimus eſſe ingenuos & modeſtos, virosque juſtos, bonos item & probos, & educatos in palæſtris & choris & muſica, indigniſſumis contumeliis adficimus: iſtis autem æreis & peregrinis, & Pyrrhiis, malis & malo genere prognatis, ad omnia utimur, licet poſtremi venerint; quibus civitas antehac ne pro piacularibus quidem facile uſa fuiſſet. Sed nunc ſaltem, ô ſtolidi, mutatis moribus, utimini rurſus bonis viris: nam hoc, ſi bene vobis ceſſerit, laudem merebitur: ſin aliquid fuerit offenſum, ſaltem ex honorato ligno pati videbimini, ſi quid patiamini.

ÆACUS,

ÆACUS, XANTHIA, CHORUS INITIATORUM.

ÆACUS. Egregius vero, ita me Jupiter Servator amet, est vir tuus herus.

XANTHIA. Quomodo non egregius, qui potare & futuere tantum scit?

ÆACUS. Illud vero annon mirum, quod te non verberaverit, mendaci palam convictum, qui servus herum te diceres?

XANTHIA. Ploraſſet utique.

ÆACUS. Istuc quidem servile illico feciſti, quod ego lubenter facio.

XANTHIA. Lubenter, obsecro?

ÆACUS. Immo Epopta esse mihi videor, quando clam hero maledico.

XANTHIA. Quid vero, quando, acceptis plagis multis, foras abeundo mussitas?

ÆACUS. Tunc etiam voluptate adficior.

XANTHIA. Quid autem, quando curioſus es?

ÆACUS. Adeo hercle, ut nihil sciam dulcius.

XANTHIA. Pro germane Jupiter! etiamne sermones captans, quando heri colloquuntur?

ÆACUS. Immo plus quam insano modo.

XANTHIA. Quid demum, quando extraneis sermones illos prodis?

ÆACUS. Pol ego, quando hoc facio, semen emittere mihi videor.

XANTHIA. O Phœbe Apollo! injice mihi dextram, & da te osculandum, ipseque me osculare, atque dic mihi, per Jovem ob-

ſecro, qui nobis eſt converbero, quis iſte eſt tumultus intus & clamor & concertatio?

ÆACUS. Æſchyli & Euripidis.

XANTHIA. Vah!

ÆACUS. Motus enim, motus ingens exortus eſt inter mortuos, & magna omnino ſeditio.

XANTHIA. Quanam ex re?

ÆACUS. Lex quædam hîc ſtatuta eſt, ut ex artibus majoribus & elegantioribus ille, qui eſt præſtantiſſumus ſui generis artificum, in Prytaneo cibum capiat, ſedemque proxume a Plutone habeat, —

XANTHIA. Intellego.

ÆACUS. Uſquedum veniat in ea arte ſapientior ipſo alius quispiam: tunc autem loco cedere oportet.

XANTHIA. Cur autem hoc turbavit Æſchylum?

ÆACUS. Tenebat ille tragicum ſolium, ut qui eſſet præſtantiſſumus in iſta arte.

XANTHIA. Nunc vero quis?

ÆACUS. Euripides quum primum huc deſcendit, edidit ſpecimen artis graſſatoribus, & crumeniſecis, & parricidis, & parietum perfoſſoribus, quorum hominum apud Inferos viliſſima eſt annona: illi autem audientes contrarias diſputationes, & flexuras, & ſtrophas, ſummopere inſanierunt ejus amore, & ſapientiſſumum judicarunt: deinde fiducia elatus capeſſit ſolium, ubi Æſchylus ſedebat.

XANTHIA. Et lapidibus non fuit impetitus?

ÆACUS. Non hercle: ſed multitudo clamabat judicio decernendum eſſe, uter artis peritia excelleret.

XANTHIA. Scilicet ſceleratorum illorum?

ÆACUS. Et pol altiſſumo clamore.

XANTHIA. Æſchylo vero non adſiſtebant adjutores alii quipiam?

ÆACUS. Bonorum exiguus eſt numerus, ut hîc etiam.

XANTHIA. Quid ergo Pluto facere cogitat?

ÆACUS. Certamen quamprimum committere, comparationemque & probationem instituere eorum in arte peritiæ.

XANTHIA. Sed quî factum, ut sibi non Sophocles vindicaret solium?

ÆACUS. Haudquaquam ille hercle. Sed quum primum huc advenit, osculatus est Æschylum, & injecit ei dextram, & sponte cessit, nullam de solio controversiam movens. Nunc autem sedet, ut ait Clidemides, observator certaminis: & si Æschylus vicerit, continebit se in suo loco: sin minus, de artis peritia decertaturum se dixit cum Euripide.

XANTHIA. Quid ergo fiet?

ÆACUS. Edepol non ita multo post, & quidem hoc ipso in loco, horrendum illud certamen exorietur. Etenim in trutina perpendetur ars musica.

XANTHIA Quid? tragœdiamne ad libram appendent?

ÆACUS. Et regulas efferent & normas versuum, & quadrata compactilia formabunt instar laterum, & diametros & cuneos. Nam Euripides tragœdias se examinaturum ait, singulis seorsum sumtis versibus.

XANTHIA. Mirum ni graviter ista ferat Æschylus.

ÆACUS. Ideo torvum intuebatur, capite in terram demisso.

XANTHIA. Quis vero judex erit?

ÆACUS. Hoc difficile erat: nam sapientum virorum magnam deprehenderunt penuriam. Neque enim Æschylo cum Athenienſibus conveniebat, —

XANTHIA. Multos forte inter eos esse putabat perfossores parietum.

ÆACUS. Ceterosque nugaces esse existimabat in dignoscendis ingeniis poëtarum. Rem deinde commiserunt hero tuo, quia peritus artis erat. Sed ingrediamur. Nam quum majori studio quidpiam agunt heri nostri, parata nobis sunt verbera.

CHORUS. Mirabor, ni vir grandiloquus horrendam iram in præcordiis foveat, quando celerem loquacitatem animadvertet dentes

exacuentis adverſarii: tum demum præ furore acerrimo oculos diſtorquebit. Exiſtent autem verborum alte criſtatorum galeatæ & veloces concertationes, ſcindularumque ſubtilium audaces rotationes, & ramenta operum, refutante altero viro artificis ingenioſi verba ſeſquipedalia. Tum iſte erigens comantis cervicis hirſutam ſetam, horribile ſupercilium contrahens, rugiens, emittet verba compaginata, tanquam tabulas, ea revellens, giganteo ſpiritu. Hinc jam dicendi magiſtra, verſuum examinatrix, lubrica lingua volubilis invidioſos concutiens frenos, concidens adverſarii verba, minutatim refellet pulmonum plurimum laborem.



EURIPIDES, BACCHUS, ÆSCHYLUS, CHORUS INITIATORUM, PLUTO.

EURIPIDES. Nolim a ſolio deſiſtere, ne adhorteris: nam iſto me potiorem eſſe aio in arte noſtra.

BACCHUS. Æſchyle, quid taces? non enim te fugiunt hæc dicta.

EURIPIDES. Cum gravitate aliquamdiu ſtabit tacitus primo, id quod identidem in tragœdiis factitabat præſtigiator ille.

BACCHUS. O bone, ne nimis magna loquere.

EURIPIDES. Ego hunc novi, & dudum perſpexi, hominem feros fingentem mores, contumaci præditum, effreni, impotenti, & bipatenti ore, ſine ullo modo loquentem, turgida verba cumulatim fundentem.

ÆSCHYLUS. Itane, ô fili ruſticæ divæ? tu in me hæc dicis, ô blateramentorum collector, & mendicorum fictor, & pannorum conſutor? at faxo ut cum magno tuo malo dixeris.

BACCHUS. Deſine, Æſchyle, neve excandeſcas iracundia.

ÆSCHYLUS. Minime vero, priusquam oſtendero perſpicue, qualis homo ſit iſte claudorum fictor, qui nunc adeo ferox eſt.

BACCHUS. Nigram, pueri, nigram pecudem efferte: nam turbo erumpere conatur.

ÆSCHYLUS. O qui Creticas colligis monodias, nuptiasque nefarias infers in artem!

BACCHUS. Reprime te, ô valde honorande Æſchyle: tu vero, ô ærumnoſe Euripide, ſi ſapis, a grandinibus remove te ocius, ne grandiori verbo tempora tibi feriens præ iracundia, excutiat Telephum. At tu, Æſchyle, non iracunde, ſed leniter argue & arguitor. Conviciari autem non decet viros poëtas, tanquam mulieres quæ

panem vendunt: tu vero ſtatim vociferaris eodem ſtrepitu, quo ilex incenſus.

EURIPIDES. Equidem paratus ſum, & non refugio, mordere, aut morderi prior, ſi huic videtur, in verſibus, in melicis, in tragœdiæ nervis, & mehercle in Peleo, & Æolo, & Meleagro, immo etiam in ipſo Telepho.

BACCHUS. Tu vero quid cogitas facere? dic Æſchyle.

ÆSCHYLUS. Voluiſſem quidem hîc non contendere; nam ex æquo nobis non eſt certamen.

BACCHUS. Quid ita?

ÆSCHYLUS. Quia mea poëſis mecum non interiit: quæ autem fecit ille, cum eo interiere, ita ut quæ dicat habiturus ſit. Tamen, quoniam tibi videtur, mos tibi gerendus eſt.

BACCHUS. Agedum thus aliquis huc & ignem mihi det, ut, antequam hi argutentur, preces concipiam, ut certamen iſtuc quam ſcitiſſime decidam. Vos vero Muſis carmen aliquod accinite.

CHORUS. Jovis ô novem filiæ virgines, caſtæ Muſæ, quæ ſubtiles in diſſerendo adſpicitis ſolertes mentes virorum ſententias procudentium, ſiquando in arenam cum ſuis acute excogitatis deſcendant verſutisque artibus luctatoriis, contradicendo inter ſe certaturi; adeſte inſpecturæ vim duorum facundiſſimorum orium: præbete autem verba, & ſubtilem ſcobem verſuum. Nunc enim magnum illud ſapientiæ certamen incipit.

BACCHUS. Precamini jam vos etiam aliquid, priusquam verſus recitetis.

ÆSCHYLUS. O Ceres, quæ meam mentem aluiſti, effice me dignum tuis myſteriis.

BACCHUS. Tu etiam ſume thus & in ignem inde.

EURIPIDES Recte. Sunt enim alii dii, quos ego invoco.

BACCHUS. Peculiaresne quipiam tibi, & novæ notæ?

EURIPIDES. Admodum.

BACCHUS. Age ergo, invoca peculiares tuos deos.

EURIPIDES. Æther, meum pabulum, & linguæ volubilitas, &

intellegentia, & nares olfactoriæ, adnuite ut recte redarguam dicta, quæ carpere aggrediar.

CHORUS. Et nos quidem avemus ex viris ſapientibus audire ſermones aliquos concinne modulatos, doctoque adeſſe certamini. Etenim lingua eorum efferari cœpit, animusque haud ignavus ambobus eſt, nec pigra mens. Par eſt igitur ut ſperemus alterum quidem aliquid urbani & limati dicturum: alterum autem convellentem illud, grandibus verbis irruendo, diſſipaturum multas verborum tricas.

BACCHUS. Sed ocius oportet orationes incipere, ita tamen ut dicatis urbana, & nec imagines, nec qualia poſſit alius dicere.

EURIPIDES. Equidem de me ipſo, qualis poëta ſim, dicam poſtremo loco: primo autem oſtendam hunc fuiſſe jactatorem & impoſtorem, quibusque rebus ſpectatores deceperit, quos fatuos acceperat, apud Phrynichum educatos. Primo enim unum quemlibet ſedere faciebat obvelatum, Achillem forte, aut Niobam, faciem ejus non oſtendens, prætextum tragœdiæ, nec tantillum mutientes.

BACCHUS. Non hercle quicquam.

EURIPIDES. Chorus autem protrudere ſolebat ſeries carminum continuas quatuor: at illi ſilebant.

BACCHUS. Ego vero gaudebam hoc ſilentio, & me illud delectabat non minus, quam ſi qui hodie loquantur.

EURIPIDES. Stolidus enim eras: ſcias hoc velim.

BACCHUS. Et mihimet ipſi videor. Cur autem hoc faciebat ille?

EURIPIDES. Nempe ex oſtentatione, ut ſpectator ſederet exſpectans, quando Nioba loqueretur tandem: interea ipſum drama procedebat.

BACCHUS. Hominem improbum! quam turpiter ergo ab eo deceptus ſum! quid pandicularis & impatiens es?

EURIPIDES. Quia eum convinco. Deinde, ubi ad hunc modum nugatus fuiſſet, dimidia jam dramatis parte acta, verba quædam grandia duodecim eloquebatur, ſupercilioſa & criſtata, horrenda veluti terriculamenta, ignota ſpectatoribus.

ÆSCHYLUS. Hei miſero mihi!

BACCHUS. Tace.

EURIPIDES. Perſpicuum autem nihil dicebat.

BACCHUS. Ne frende dentibus.

EURIPIDES. Sed aut Scamandros, aut foſſas, aut clypeorum inſignia, ære ductas grypho-aquilas, & verba grandia prærupta, quæ conjectura adſequi non erat facile.

BACCHUS. Ita hercle: nam ego aliquando longo tempore noctis vigilavi quærens mecum, quinam ſit ales flavus ille equo-gallus.

ÆSCHYLUS. Inſigne eſt, ô perquam ruſtice, quod navibus adpingi ſolet.

BACCHUS. At ego Eryxin putabam eſſe Philoxeni filium.

EURIPIDES. Ergone in tragœdiis oportebat & gallos fingere?

ÆSCHYLUS. Tu vero, diis inviſe, quæ feciſti, cedo, qualia ſunt?

EURIPIDES. Non edepol equigallos feci, nec capricervos, ut tu, cujusmodi in aulæis Perſicis pingi ſolent. Sed quum primum artem a te accepi turgentem inani faſtu, & verbis moleſtis, primulum eam ſtatim attenuavi, & ei pondus detraxi, ſubſtitutis verſiculis & deambulationibus, & betis minutis, additoque nugamentorum ſucco e libris expreſſo & percolato: deinde eam nutrivi monodiis, admiſto Cephiſophonte. Tum non garriebam quidlibet temere, neque quæcunque ſe offerrent miſcebam: ſed qui prodibat in ſcenam, ſtatim is mihi primo genus ediſſerebat fabulæ.

BACCHUS. Nam iſtud hercle tibi magis decorum erat, quam tuum ipſius dicier.

EURIPIDES. Deinde a primis inde verſibus nullam perſonam otioſam ſivi: ſed loquebatur mihi & mulier, & nihil minus ſervus, atque herus, item virgo & anus.

ÆSCHYLUS. Ergone non eras morte dignus his auſis?

EURIPIDES. Non hercle. Nam populare eſt iſtuc meum factum.

BACCHUS. Iſtud quidem, ô bone, omitte; non enim ea de re pulchra tibi diſputatio.

EURIPIDES. Deinde iſtos artem dicendi do[illegible]ui.

ÆSCHYLUS. Fateor equidem. Sed antequam doceres, utinam medius fuisses disruptus!

EURIPIDES. Et subtilium regularum usum, verborumque flexus, animadvertere, videre, intellegere, versare dolos, amare, machinari astutias, suspicari, comminisci quidlibet.

ÆSCHYLUS. Non equidem nego.

EURIPIDES. Res domesticas introducens, quibus utimur & adsuevimus; unde etiam facile reprehensus fuissem: nam isti harum rerum gnari reprehendissent artem meam. Non autem fastuosum strepitum edidi, spectatores ab intellegendo abducens; neque eos perterrefaciebam, Cycnos inducens & Memnonas, equos agitantes phaleris & tintinnabulis ornatos. Dignosces autem utriusque, hujus, & meos discipulos. Hujus enim sunt Phormisius, Megænetusque ille servus, tubis, hastis, barbis horridi, amarulento risu Sinidem referentes: mei autem sunt Clitophon, & Theramenes ille scitus.

BACCHUS. Theramenes? vir sane callidus & acris ad omnia, qui si in malum aliquod incidat, & prope adstet, elabi solet, non Chium, sed Cium se professus.

EURIPIDES. Talem equidem prudentiam istis induxi hominibus, ratiocinatione indita arti tragicæ, & consideratione, ut jam intellegant omnia, & perspiciant; & cum alia, tum rem familiarem administrent melius, quam antidhac, & speculentur singula, sic dicentes: *Quomodo istuc se habet? Ubi illud est? Quis hoc sumsit?*

BACCHUS. Ita edepol. Proinde jam Athenienssium quilibet, ut intravit domum, inclamat servos, scitaturque: *Ubi est olla? Quis caput comedit mænæ? Catinus proximo anno emtus interiit mihi. Ubi allium illud hesternum? Quis adrosit olivam?* Antea vero stolidi ore hiante, ut Mammacuthi quidam & Melitidæ, sedebant.

CHORUS. *Hæc quidem adspicis, inclyte Achilles.* Tu vero, age, quid ad hæc dices? hoc tantum vide, ne te abripiat iracundia, & extra oleas ferat: nam acerba in te dixit. Sed, ô generose, cave ne iracunde contradicas; verum contractis velis, extrema eorum

ora ventum accipe: deinde magis magisque navem guberna, & obſerva quando ventum lenem & placidum nactus fueris. Sed, ô qui primus Græcorum alte exſtruxiſti magnifica verba, & exornaſti tragicas nugas, audacter emitte rivum.

ÆSCHYLUS. Iraſcor equidem ob hunc congreſſum, & fervent mihi bile viſcera, quod mihi contra hunc diſputandum erit: ne tamen dicat ad incitas me redactum, age, reſponde mihi, cujus rei gratia admirari oportet poëtam?

EURIPIDES. Dexteritatis & diſciplinæ, quia homines efficimus meliores in civitatibus.

ÆSCHYLUS. Hoc igitur ſi tu non feciſti, verum ex bonis & generoſis eos improbiſſumos reddidiſti, quo ſupplicio dices te dignum eſſe?

BACCHUS. Morte. Ne hunc interroga.

ÆSCHYLUS. Specta igitur quales eos a me primum acceperit; an fortes & quadricubitales, nec detrectantes munia publica, nec circumforaneos, nec verſutos, ut nunc ſunt, neque præſtigiatores; verum ſpirantes haſtam & lanceas & galeas cum albis criſtis, & caſſidas & ocreas, & animos ſeptemplicem clypeum geſtantis Ajacis.

BACCHUS. Sane procedit hoc malum: enecabit me galeas usque commemorans.

EURIPIDES. Tu vero quanam ratione eos tam fortes eſſe docuiſti?

BACCHUS. Dic Æſchyle, neque adeo ſævi ferociter te jactans.

ÆSCHYLUS. Tragœdiam faciens Marte refertam.

BACCHUS. Quamnam?

ÆSCHYLUS. *Septem ad Thebas*, quam nemo ſpectavit, quin cuperet bellator fieri.

BACCHUS. Atqui male hoc abs te factum eſt: nam Thebanos audaciores reddidiſti ad movendum bellum: ideoque vapula.

ÆSCHYLUS. At vobis licebat bellicis rebus operam dare; ſed eo non vos convertiſtis. Deinde edita tragœdia *Perſis*, itidem eos docui

cupidos esse vincendi hostes perpetuo, adornavique opus pulcherrimum.

BACCHUS. Utique gavisus sum, auditis quæ nuntiabantur de Dario suo, quumque statim Chorus, manibus sic complosis exclamavit, *iu, iu.*

ÆSCHYLUS. Hæc nempe tractare decet poëtas. Namque considera inde ab initio, quam utiles fuerint præstantiores illi poëtæ, Orpheus enim initiationes docuit, & a cædibus abstinere: Musæus autem remedia morborum & vaticinia: Hesiodus vero agriculturam, fructuum tempora & sementis: at ille divinus Homerus unde gloriam & decus adeptus est, nisi ex eo quod utilia docuerat, acies ordinare, virtutes bellicas, armis viros instruere?

BACCHUS. Attamen Pantaclem edocere non potuit ineptissimum illum: nuper enim quum pompam duceret, impositam capiti suo galeam primum subligavit, deinde cristam ei adligare tandem cogitavit.

ÆSCHYLUS. Sed alios edocuit multos & fortes, quorum unus est Lamachus heros. Ab hoc autem Homero exempla expressit mens mea, & multas virtutes effinxit Patroclorum, Teucrorum, Thymoleontum, quibus excitarem unumquemque civem, ut se his adæquaret, siquando tubæ signum audiret. At hercle Phædras non faciebam impudicas nec Sthenebœas: nec scio an in ullam unquam feminam amantem versus fecerim.

EURIPIDES. Non hercle: nam nihil Veneris tibi inerat.

ÆSCHYLUS. Nec opto ut insit: tibi autem tuisque plurima Venus semper insideat, ut & te ipsum pessumdedit.

BACCHUS. Ita est per Jovem: nam quæ alienarum mulierum commentus es flagitia, iisdem impetitus pœnas luisti.

EURIPIDES. Et quid civitati nocent, ô infortune, meæ Sthenebœæ?

ÆSCHYLUS. Quia ingenuas feminas ingenuorum virorum uxores adduxti, ut cicutam biberent, quod puderet eas propter tuos Bellerophontas.

EURIPIDES. An vero hiſtoriam de Phædra compoſui aliter ac exſtabat?

ÆSCHYLUS. Immo hercle, ut exſtabat. Sed, quod malum eſt, oportet poëtam celare, & non producere, nec in ſcenam edere. Nam uti puerulos magiſter docet, ita adultos poëtæ. Omnino autem decet nos utilia memorare.

EURIPIDES. Si ergo tu Lycabetos memores nobis & Parnaſorum altitudines, hoccine eſt utilia docere? quem oportebat humano more loqui.

ÆSCHYLUS. Sed, ô perdite, neceſſe eſt magnarum ſententiarum & cogitationum ſimilia etiam verba producere. Alias par eſt etiam ſemideos grandioribus verbis uti: nam & veſtibus multo ſplendidioribus utuntur, quam nos. Quæ quum ego pulchre inſtituiſſem, tu fœdaſti.

EURIPIDES. Quo facto?

ÆSCHYLUS. Primo quum reges pannis induiſti, ut miſerabiles hominibus viderentur eſſe.

EURIPIDES. Ergone in hac re nocui? quo facto?

ÆSCHYLUS. Idcirco jam nemo dives vult triremem inſtruere ſuo ſumtu: verum pannis ſeſe involvens unusquisque flet, & pauperem ſe eſſe ait.

BACCHUS. Et quidem, ita me Ceres amet, ſubtus habens tunicam e molli lana textam: qui vero hæc dicens fefellerit, eum in foro piſcatorio emergere videas.

ÆSCHYLUS. Deinde loquacitatem excolere & argutias docuiſti, quæ res & palæſtras evacuavit, & culos contrivit adoleſcentulorum nugas garrientium, & nautis perſuaſit, ut refragarentur magiſtris. At tum, quando ego vivebam, nihil aliud ſciebant, quam offam poſcere & *Rhyppapæ* clamare.

BACCHUS. Ita hercle, & oppedere etiam in os inferiori remigi, & concacare commenſalem, & nave egreſſi veſte aliquem ſpoliare: nunc autem obloquuntur, & non amplius agunt remos, & huc illuc navigant.

ÆSCHYLUS. Quorum vero ſcelerum non eſt auctor? nonne lenas oſtendit iſte, & parientes in fanis mulieres, & concubitu fratrum miſtas, & quæ dicant, *vitam non eſſe vitam?* Hinc etiam civitas noſtra ſcribis impleta eſt, & ſcurris, qui, ſimiarum more, populum fraudibus decipiunt ſemper: lampadem vero nemo ſcit ferre jam amplius exercitationis neglectu.

BACCHUS. Nemo hercle: ita ut riſu pene emortuus ſim in Panathenæis, quum tardus quidam homo curreret incurvus, albus, obeſus, longo intervallo relictus, & miſere ſe torquens: deinde Ceramicenſes in portis ſtantes percutiebant ei ventrem, latera, ilia, nates: ille vero percuſſus palmis, ſubinde pedendo, extincta lampade, currebat.

CHORUS. Magnum negotium, vehemens concertatio, grave bellum inſtat. Itaque operoſum erit diſcernere, ubi alter contenderit valide, alter vero refutare poſſit & obniti ſcite. Sed nolite in eodem conſiſtere: ſunt enim viæ & aliæ multæ argutiarum. Quicquid igitur habetis ad diſceptandum, hoc dicite, percurrite, & revelate tam vetera quam recentia; & audete aliquid ſubtile & ſcitum atque argutum eloqui. Si vero id veremini, ne inſcitia quadam laborent ſpectatores, ita ut, ſi quæ ſubtilia dicatis, intellegere nequeant, ne timete: quoniam hoc non amplius ita ſe habet. Nam exercitati ſunt, & librum quisque habens diſcit ſapientiam: præterea ingenio maxume pollent, quod nunc ipſis acutius etiam eſt. Nihil itaque timete, ſed omnia percurrite, ſpectatorum, utpote ſapientum, gratia.

EURIPIDES. Igitur ad ipſos prologos me tibi convertam, ut, quod primum eſt in tragœdia, primo examinem ſciti illius poëtæ: erat enim obſcurus in rebus enuntiandis.

BACCHUS. Et quemnam illius prologum examinabis?

EURIPIDES. Multos admodum. Primum recita mihi illum ex Oreſtea.

BACCHUS. Silete jam omnes. Recita Æſchyle.

ÆSCHYLUS. *Mercuri Terreſtris, qui paterna inſpectas imperia,*

ſervator mihi ſis & adjutor roganti: venio enim in hanc terram & revertor --

BACCHUS. Eſtne in iſtis quidpiam quod carpere velis?

EURIPIDES. Plus quam duodecim.

BACCHUS. At vero omnia iſta non ſunt plura, quam tres verſus.

EURIPIDES. Sed unusquisque eorum habet viginti peccata.

BACCHUS. Æſchyle, auctor tibi ſum ut taceas: ſin minus, præter hos tres iambos, reus eris plurium.

ÆSCHYLUS. Egone ut coram hoc taceam?

BACCHUS. Si me audis.

EURIPIDES. Quippe initio ſtatim peccavit immane quantum. Viden' ut nugaris?

BACCHUS. Nil curo.

ÆSCHYLUS. Quomodo dicis me peccaſſe?

EURIPIDES. Repete denuo.

ÆSCHYLUS. *Mercuri Terreſtris, qui paterna inſpectas imperia* —

EURIPIDES. Annon Oreſtes hoc dicit in tumulo patris mortui?

ÆSCHYLUS. Haud aliter dico.

EURIPIDES. Anne ergo Mercurium inſpectaſſe dicit, ut [illegible] interierit ſuus per vim manu muliebri, clandeſtinis dolis?

ÆSCHYLUS. Non illum inquam Doloſum, ſed Eriu[illegible]curium vocavit *Terreſtrem*, quod & addito declaravit [illegible]ia *paternum* iſtud munus obtinet.

EURIPIDES. Majus adhuc, quam volebam, peccatum [illegible]miſiſti. Si enim quod *Terreſtris* ſit, *paternum* hoc habet mu[illegible] —

BACCHUS. Hoc pacto eſſet inde a patre tumulorum [illegible],

ÆSCHYLUS. Bacche, non uteris vino fragrante.

BACCHUS. Recita ei alium: tu vero vitium obſerva.

ÆSCHYLUS. *Servator mihi ſis & adjutor roganti: venio enim in terram hanc & revertor* —

EURIPIDES. Bis idem nobis dixit ſapiens Æſchylus.

BACCHUS. Quomodo bis?

EURIPIDES. Conſidera orationem : ego autem tibi declarabo. *Venio enim in terram hanc*, inquit, *& revertor.* Idem eſt autem *venio* quod *revertor.*

BACCHUS. Ita hercle, tanquam ſi quis vicino ſuo dicat : *Commoda mihi mactram, aut, ſi vis, magidem.*

ÆSCHYLUS. Non utique iſtud, ô garrule homo, idem eſt : ſed verſus eſt omnium optumus.

BACCHUS. Quomodo ergo? doce me qua ratione iſtuc dicas.

ÆSCHYLUS. *Venire* quidem *in terram* cuicunque licet, qui patriæ particeps eſt : hic enim calamitatis expers venit. At exſul & *venit* & *revertitur.*

BACCHUS. Bene, ita me Apollo amet. Quid tu dicis, Euripide?

EURIPIDES. Nego Oreſtem domum *reverſum fuiſſe* : clam enim venit, non impetrata venia ab iis, penes quos imperium erat.

BACCHUS. Bene, ita me Mercurius amet. At quod dicis non intellego.

EURIPIDES. Recita igitur alium.

BACCHUS. Age tu recita, Æſchyle, ocius : Tu vero ad vitium reſpice.

ÆSCHYLUS. *Tumuli in vertice hæc renuntio patri, ut audiat & auſcultet.*

EURIPIDES. Idem alterum rurſus dicit. Nam *audire* & *auſcultare* idem eſt planiſſume.

BACCHUS. Mortuis enim loquebatur, ô improbe, quibus ne ter quidem dicentes ſufficimus.

ÆSCHYLUS. Tu vero quemnam ad modum faciebas prologos?

EURIPIDES. Ediſſeram : & ſi alicubi bis idem dixero, aut ſi farturam videris ineſſe, quæ nihil ad rem pertineat, me deſpue.

BACCHUS. Agedum fare : non enim meæ ſunt loquendi partes, ſed auſcultandi, quam recte ſe habeant tuorum prologorum verſus.

EURIPIDES. *Erat Oedipus ab initio beatus homo —*

ÆSCHYLUS. Non hercle, non inquam: ſed ipſa natura miſer, utpote quem, prius quam fatus eſſet, Apollo prædixit patrem ſuum occiſurum, & prius quam natus eſſet. Quomodo is *erat ab initio beatus homo?*

EURIPIDES. *Deinde factus eſt miſerrimus mortalium.*

ÆSCHYLUS. Non hercle, non inquam: nam non deſiit idem eſſe qui ante. Quo enim pacto? quando ipſum recens jam editum hiberno tempore in teſta expoſuerunt, ne educatus patris fieret interfector: deinde cum magno ſuo malo pervenit ad Polybum tumentibus pedibus: poſtea vetulam juvenis ipſe duxit uxorem, & ad hæc ſuam ipſius matrem: denique ſe ipſum excœcavit.

BACCHUS. Beatus fuiſſet, ſi cum Eraſinide etiam claſſis præfectus fuiſſet.

EURIPIDES. Deliras: ego vero prologos recte facio.

ÆSCHYLUS. At jam hercle non vellicabo verſuum ſingula verba: ſed, diis propitiis, a lecythulo prologos tuos diſperdam.

EURIPIDES. A lecythulo tu meos?

ÆSCHYLUS. Unico tantum. Nam ſic facis verſus, ut tuis iambis adaptari poſſint omnia, & pellicula, & lecythulus, & culeolus. Id autem oſtendam illico.

EURIPIDES. Ecce vero! tu id oſtendes?

ÆSCHYLUS. Aio.

BACCHUS. Recitare jam oportet.

EURIPIDES. *Ægyptus, ut fama maxume pervulgata eſt, cum filiis quinquaginta navi Argos appellens* —

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

EURIPIDES. Quid rei erat hic lecythulus? non plorabit?

BACCHUS. Recita ei alium prologum, ut rurſus cognoſcat.

EURIPIDES. *Bacchus, qui thyrſis & hinnulorum pellibus inſtructus inter tædas ſuper Parnaſum ſaltat choreas agens* —

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

BACCHUS. Heu! rurſus percuſſi fumus a lecytho.

EURIPIDES. Sed non amplius moleſtus erit. Nam ad iſtum prologum

prologum non poterit applicare lecythum. *Beatus haud eſt ullus ab omni parte: vel enim ſummo natus genere opibus caret, vel ignobilis* --

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

BACCHUS. Euripide.

EURIPIDES. Quid eſt?

BACCHUS. Vela tibi ſubmittenda ſunt, ut mihi videtur: nam lecythulus iſte validum emittet ventum.

EURIPIDES. Nihil moror, ita me Ceres amet: nunc enim ei excutietur ille.

BACCHUS. Age recita alium, & cave a lecytho.

EURIPIDES. *Cadmus, relicta quondam urbe Sidonia, Agenoris filius* --

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

BACCHUS. O bone, lecythum eme, ne nobis corrumpat prologos.

EURIPIDES. Quid ita? Egone ab hoc emam?

BACCHUS. Si me audis.

EURIPIDES. Minume vero. Nam multos prologos potero dicere, ubi iſte non poterit aptare lecythum. *Piſam profectus Tantalo natus Pelops velocibus equis* --

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

BACCHUS. Viden'? rurſus aptavit lecythum. Sed, ô bone, adhuc nunc vende eum quovis pacto: emes enim obolo pulchrum omnino & bonum.

EURIPIDES. Nondum hercle: ſunt enim adhuc multi mihi. *Oeneus aliquando ex arvis* --

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

EURIPIDES. Sine recitem prius totum verſum. *Oeneus aliquando ex arvis copioſa collecta ſegete, e primitiis ſacra faciens* --

ÆSCHYLUS. Lecythulum deperdidit.

BACCHUS. Inter ipſa ſacra? Ecquis illum ei abſtulit?

EURIPIDES. Mitte istum, ô bone: ad hunc enim dicat. *Jupiter, ut ab ipsa Veritate dicitur* —

BACCHUS. Perdet te: dicet enim: *Lecythulum deperdidit.* Quippe lecythulus iste prologis tuis, tanquam ficus oculis, adhæret. Sed, obsecro per deos, ad cantica ejus te converte.

EURIPIDES. Equidem possum demonstrare, ipsum esse malum canticorum auctorem, atque eadem subinde repetere.

CHORUS. Quid tandem fiet? nam ego sane sollicitus cogito, quamnam reprehensionem conferet in virum, qui multo plurima jam & pulcherrima carmina fecit, præ omnibus istis qui nunc sunt poëtæ. Miror sane, quomodo reprehensurus hunc sit Baccheum regem: & ei timeo.

EURIPIDES. Admiranda scilicet carmina! res ipsa mox indicabit. Nam in unum omnia ejus carmina concidam.

BACCHUS. Et ista ego, sumtis calculis, computabo.

(Tibicen diaulium accinit.)

EURIPIDES. *Achilles Phthiota, cur, audita hominum cæde, non festinas in auxilium, laboris remedium? Mercurium generis auctorem honoramus, paludis adcolæ. Non festinas in auxilium, laboris remedium?*

BACCHUS. Duo isti jam sunt *labores* tibi, Æschyle.

EURIPIDES. *Inclutissume Achæorum, Atrei multis imperans gnate, percipe hæc: non festinas in auxilium, laboris remedium?*

BACCHUS. Tertius, Æschyle, tibi *labor* iste.

EURIPIDES. *Favete linguis. Melissarum præsides jam in eo sunt, ut Dianæ domum aperiant. Non festinas in auxilium, laboris remedium? Penes me est jus invocandi justum imperium sanctorum virorum. Non festinas in auxilium, laboris remedium?*

BACCHUS. O Jupiter Rex! res *laborum* quanta illa est! Equidem in balneum ire volo: præ *laboribus* enim renes mihi intumuere.

EURIPIDES. Ne, quæso, prius quam & aliud audieris statarium canticum, e citharœdicis modis concinnatum.

BACCHUS. Age expedi, & *laborem* ne adde.

EURIPIDES. *Ut in Achæorum duplex imperium, Græciæ pubem, Phlattothrattophlattothrat, ſphingem triſtificam, rectorem canem, mittit, Phlattothrattophlattothrat, cum haſta & manu ſtrenua bellicoſus ales, Phlattothrattophlattothrat, poſtquam permiſit audacibus canibus aëra pervagantibus, ut inciderent, Phlattothrattophlattothrat, in eos qui ad Ajacem una inclinarent, Phlattothrattophlattothrat.*

BACCHUS. Quid rei eſt iſtud *Phlattothrat?* Eſtne ex Marathone? aut unde collegiſti reſtionis carmina?

ÆSCHYLUS. At ego ex bono in aliud bonum traduxi hæc, ne idem cum Phrynicho Muſarum ſacrum pratum viderer carpere. Sed hic quæ canit, ea ſumit ab omnibus meretriculis, ſcoliis Meliti, Caricis tibiarum modis, leſſis, choricis cantilenis; quod & illico palam fiet. Ferat huc aliquis lyram. Sed quid lyra ad iſtum? ubi eſt muliercula teſtulis crepitantibus ludens? adesdum Euripidis Muſa, ad quam cantare iſta decet carmina.

BACCHUS. Nunquamne hæc Muſa Lesbias imitata eſt? non?

ÆSCHYLUS. *Alcedones, quæ apud perennes maris fluctus cantillatis, tingentes humidis alarum guttis corpus, rore humectatæ: & vos, quæ ſub tectis in angulis habitantes araneæ e e e e evolvitis digitis extenta jugo fila, pectinis arguti curas; ubi tibiarum amans delphin exſultabat proris cæruleis, oracula & ſtadia: florentis vitis lætitiam, uvæ capreolum curas ſolventem. Circumda mihi brachia, nate. Viden' hunc pedem?*

BACCHUS. Video.

ÆSCHYLUS. *Quid vero? an hunc vides?*

BACCHUS. Video, inquam.

ÆSCHYLUS. Hujuscemodi quum tu facias, audes mea carmina reprehendere, qui duodecim figuras Cyrenæ imitaris modulando? hæc quidem ſunt tua carmina: volo autem adhuc monœdiarum tuarum percurrere rationem. *O Noctis atra caligo, quodnam mihi triſte inſomnium mittis e tenebris, Orci miniſtrum, animam ina-*

nimem habentem, nigræ Noctis filium, horribili ſpecie, pulla veſte indutum, truculenta tuentem, magnos ungues habentem? ſed mihi, ô famulæ, lucernam accendite, & in urceis e fluviis rorem adferte, & aquam caleſacite, ut divinum inſomnium luſtrem. Io marine dive! hoc illud eſt. Io contubernales, iſta prodigia ſpectate. Rapto meo gallo evaſit Glyca. Nymphæ montigenæ! O Mania comprehende eam. At ego miſera tum forte intenta eram operi meo, fuſum oppletum lino e e e e evolvens manibus, glomerem faciens, ut primo mane in forum ferrem & venderem. At ille ſubvolabat in ætherem leviſſimo alarum motu, mihique dolores reliquit; lacrimasque oculis fundebam miſera. Sed, ô Cretenſes, Idæ filii, ſumtis ſagittis, ſuccurrite, cruraque leviter movete, & cingite domum. Simulque Dictynna virgo, Diana formoſa, canes habens ſecum, perluſtret domum quaquaverſum. Tu vero Jove nata Hecata, geminam protendens facem velociſſimis manibus, præluceas mihi in domum Glycæ, ut ingreſſa detegam furtum.

BACCHUS. Miſſa jam facite carmina.

ÆSCHYLUS. Et mihi ſatis. Nam ad ſtateram volo hunc ducere, quæ ſola oſtendet utriusque noſtrûm poëſin, qualis ſit: explorabit enim pondera verborum.

BACCHUS. Adeſte huc, ſiquidem hoc etiam mihi faciundum eſt, ut poëtarum artem ad libram tanquam caſeum vendam.

CHORUS. Induſtrii ſunt ſapientes. Nam iſtuc aliud eſt monſtrum novum, mirabilitatis plenum, cujusmodi quis alius excogitaſſet? Edepol ego, ſi quis id mihi dixiſſet quispiam e vulgo, ne credidiſſem unquam, ſed putaſſem eum nugas agere.

BACCHUS. Agite jam, accedite ad lances.

EURIPIDES. En adſum.

BACCHUS. Easque prehendentes verſum uterque recitet, nec dimittatis, prius quam ego vobis coccyzavero.

EURIPIDES. Prehendimus.

BACCHUS. Verſum jam recitate ad ſtateram.

EURIPIDES. *Utinam Argoa nunquam pervolaſſet navis,*

ÆSCHYLUS. *Sperchie fluvie, & boum paſcua.*

BACCHUS. Cucu. Dimittite. Multo ſane inferius vergit hujuſce verſus.

EURIPIDES. Quamobrem?

BACCHUS. Quia impoſuit fluvium, illorum more, qui lanas vendunt, madefaciens verſum, tanquam lanam: tu vero verſum alatum impoſuiſti.

EURIPIDES. Sed alium quempiam recitet contraque appendat.

BACCHUS. Prehendite igitur rurſus.

EURIPIDES. En prehendo.

BACCHUS. Recita.

EURIPIDES. *Non eſt Suadæ templum aliud quam oratio.*

ÆSCHYLUS. *Sola enim ex diis Mors dona non appetit.*

BACCHUS. Dimittite, dimittite: hujus verſus rurſus vergit deorſum: Mortem enim indidit graviſſumum malorum omnium.

EURIPIDES. At ego Suadam, verſum egregium plane.

BACCHUS. Sed Suada res levis eſt, & mente caret. At tu alium quære ex illis, qui ſunt majoris ponderis, qui tibi lancem impellat deorſum, robuſtum quempiam & magnum.

EURIPIDES. Age ergo ubi eſt mihi talis? ubi eſſe dicam?

BACCHUS. *Jecit Achilles duo puncta & quatuor.* Recitate: nam hæc ultima eſt appenſio.

EURIPIDES. *Inſtar ferri grave dextra comprendit lignum.*

ÆSCHYLUS. *Super curru currus, ſuper cadavere cadaver.*

BACCHUS. Circumvenit te nunc etiam.

EURIPIDES. Quidum?

BACCHUS. Duos currus indidit & cadavera duo, ita ut ne centum quidem Ægyptii pondus tollerent.

ÆSCHYLUS. Nec mecum amplius ſingulis verſibus certet: ſed in ſtateram ipſemet, liberi, uxor, Cephiſopho, ingreſſus ſedeat, adſumtis etiam libris: ego vero duos tantum meorum verſuum recitabo.

BACCHUS. Amici, equidem a judicio abſtinebo: nam neutrum

illorum volo mihi infensum reddere. Alterum enim sapientem judico, altero delector.

PLUTO. Nihil igitur eorum efficies, quorum causa venisti.

BACCHUS. Si vero sententiam pronuntiavero, quid tum?

PLUTO. Altero adsumto abibis, utrumlibet prætuleris, ne frustra huc veneris.

BACCHUS. Dii te ament. Agite vos auscultate mihi: ego poëtam huc veni quæsitum.

EURIPIDES. Qua gratia?

BACCHUS. Ut sospitata civitas choros instituat. Uter itaque vestrum civitati suaserit quidpiam utile, hunc abducere constitui. Primum ergo de Alcibiade qualem fovetis utrique sententiam? civitas enim male habet.

EURIPIDES. Quid autem de illo sentit?

BACCHUS. Quid sentiat? & desiderat eum, & odit, & cupit habere. Sed quid sentiatis de illo, dicite.

EURIPIDES. Odi civem, qui ad juvandam patriam tardus est, ad lædendam vero, promtissimus, quique se ex difficultatibus celeriter expedit, civitati autem prospicere nequit.

BACCHUS. Euge, ô Neptune! tu vero quam habes sententiam?

ÆSCHYLUS. Non oportet leonis catulum in urbe educare: si vero aliquis educatus fuerit, moribus ejus obsecundandum.

BACCHUS. Nescio, ita me Jupiter amet, utram in partem sententiam feram: alter enim sapienter dixit: alter perspicue. Sed adhuc unam uterque sententiam dicite, ecquam rationem habetis servandæ civitatis.

EURIPIDES. Si quis pro alis Cleocrito applicet Cinesiam, & auræ utrumque tollant super maris æquor.

BACCHUS. Ridiculum quidem videretur. Sed quid sibi volt hoc commentum?

EURIPIDES. In prælio navali acetabula manibus tenentes, acetum inspergerent oculis hostium. Sed aliud quid novi & dicere volo.

BACCHUS. Dic.

EURIPIDES. Si illa, quæ nunc infida ſunt, pro fidis habeamus: & illa, quæ fida ſunt, pro infidis.

BACCHUS. Quomodo? non intellego. Rudius aliquanto dic & planius.

EURIPIDES. Si civibus, quibus nunc fidimus, illis diffidamus: & quibus non utimur, iſtis utamur, forte ſoſpitaremur. Si enim nunc illorum opera infelices ſumus, quomodo contraria iſtis agentes, ſalvi non eſſemus?

BACCHUS. Bene ſane, ô Palamedes! ô ingenium lepidiſſumum! num ipſus hæc inveniſti, an Cephiſopho?

EURIPIDES. Ego ſolus: ſed acetabula Cephiſopho.

BACCHUS. Quid autem dicis tu?

ÆSCHYLUS. Civitatem primumdum dic mihi, qualibus viris utatur. Num probis?

BACCHUS. Quî? odit eos peſſume.

ÆSCHYLUS. Malis autem delectatur?

BACCHUS. Non ſane illa quidem: ſed neceſſitate coacta iis utitur.

ÆSCHYLUS. Quomodo ergo aliquis ejusmodi urbem ſervaverit, cui nec laneum, nec pelliceum ſtragulum convenit.

BACCHUS. Quæſo reperi aliquid, ſi forte e malis emergere denuo poſſit.

ÆSCHYLUS. Illic dicam: hîc autem nolo.

BACCHUS. Minume. Sed hinc mitte ſurſum bona.

ÆSCHYLUS. Quando terram hoſtium putaverint ſuam eſſe; ſuam vero, hoſtium: & quæſtum eſſe naves, inopiam vero eſſe quæſtum.

BACCHUS. Bene quidem: ſed judex hæc deglutit ſolus.

PLUTO. Fer ſententiam.

BACCHUS. Hoc erit judicium voſtrum. Eligam enim eum quem cupit animus meus.

EURIPIDES. Memor itaque deorum, per quos abducturus me juraſti domum, elige amicos tuos.

BACCHUS. *Lingua juravit*: Æſchylum vero eligam.

EURIPIDES. Quid feciſti, impuriſſume hominum?

BACCHUS. Egone? Judicavi viciſſe Æſchylum. Nam quidni?

EURIPIDES. Adhucne me adſpicis, in quem turpiſſumum admiſiſti flagitium?

BACCHUS. Quid turpe, ſi ſpectatoribus non ita videtur?

EURIPIDES. Improbe, patierisne ut mortuus maneam?

BACCHUS. Quis ſcit an *vivere* ſit *mori*, *ſpirare* vero *cœnare*; & *dormire*, *vellus?*

PLUTO. Itote ergo intro, Bacche.

BACCHUS. Quam ob rem?

PLUTO. Ut hoſpitali epulo vos excipiam, priusquam abeatis.

BACCHUS. Recte hercle autumas: hæc enim res mihi moleſta non eſt.

CHORUS. Beatus vir eſt, qui perfectam habet ſapientiam: quod multis ex argumentis diſcere eſt. Etenim iſte, quia ſapere viſus eſt, rurſus redibit domum, bono civium, & bono ſuorum cognatorum & amicorum, quia perſpicax & prudens eſt. Pulchrum itaque eſt, non Socrati adſidentem garrire, abjecta arte muſica, omiſſisque iis, quæ præcipua ſunt artis tragicæ. Sermonibus autem tetricis & ſubtilitatibus nugarum immorari otioſum, deſipientis eſt hominis.

PLUTO, ÆSCHYLUS, CHORUS INITIATORUM.

PLUTO. Agedum, Æschyle, lætus abi, & serva urbem nostram præceptis utilibus, & castiga stultos: sunt autem multi. Atque istuc trade Cleophonti, & hoc quæstoribus illis, Murmeci simul & Nicomacho; hoc autem Archenomo: & dic ipsis ut cito ad me huc veniant, & ne cunctentur. Ni vero cito venerint, ego, ita me amet Apollo, fodicabo ipsos, & quadrupedes constrictos, una cum Adimanto Leucolophi filio, mox huc demittam.

ÆSCHYLUS. Faciam hæc: tu autem solium meum da Sophocli custodiendum & servandum, si forte aliquando huc redeam. Nam hunc mihi secundum esse judico in sapientia. Memineris vero, ut vafer ille homo & falsiloquus & scurra nunquam in sede mea vel invitus sedeat.

PLUTO. Prælucete igitur vos huic lucernis sacris, simulque prosequimini, suis ipsum canticis & carminibus celebrantes.

CHORUS. Principio felix iter abeunti poëtæ & in lucem properanti date, Dii inferi: deinde civitati magnorum bonorum bonas excogitationes. Nam magnis malis & acerbo armorum conflictu liberaremur hoc pacto. Pugnet autem Cleopho, & alius quicunque istorum voluerit, in patrio suo solo.

FINIS RANARUM.

ARISTOPHANIS
PLUTUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

CARIO famulus.
CHREMYLUS herus.
PLUTUS.
CHORUS RUSTICORUM.
BLEPSIDEMUS amicus Chremyli.
PAUPERTAS.
MULIER uxor Chremyli.
VIR JUSTUS.
SYCOPHANTA.
ANUS.
ADOLESCENS.
MERCURIUS.
SACERDOS JOVIS.

CARIO, CHREMYLUS, PLUTUS, CHORUS.

CARIO. O Jupiter Diique, quam moleſta res eſt ſervum eſſe deſipientis domini! Si enim optuma quæque ſervus dixerit, ſecus autem facere hero videatur, ſervo evenire aliquid mali neceſſe eſt. Nam qui natura corporis ſui dominus eſt, eum in illud jus habere non ſinit Fortuna, ſed illum qui id emerit. Atque hæc quidem ita ſe habent. Sed Loxiam, qui vaticinatur e tripode aureo, accuſo hac juſta accuſatione, quod, medicus quum ſit & vates, ut ajunt, ſapiens, atra bili percitum dimiſit herum meum; qui pone ſequitur hominem cœcum, contra faciens atque eum conveniebat facere. Nam nos, qui videmus, cœcos ducimus: iſte autem ſequitur, ac me inſuper ſequi cogit, nihil prorſus mihi reſpondens. Quapropter non poteſt fieri ut taceam, niſi dixeris, cur hunc ſequamur tandem, here; ſed faceſſam tibi negotium: non enim me verberabis, qui coronam habeo.

CHREMYLUS. Immo hercle, detracta prius corona, ſi mihi moleſtus eris, ut magis dolorem ſentias.

CARIO. Nugæ! non enim quieſcam, priusquam dicas mihi, quis tandem ſit iſte. Animo namque prorſus benevolo hoc ſciſcitor.

CHREMYLUS. At te non celabo: meorum enim vernarum fideliſſimum te duco & occultiſſumum. Ego, qui vir ſum pius & juſtus, iniqua utebar fortuna, & pauper eram.

CARIO. Novi equidem.

CHREMYLUS. Alii autem diteſcebant ſacrilegi, cauſidici, & ſycophantæ, & ſceleſti.

CARIO. Credo.

CHREMYLUS. Scitatum igitur profectus ſum ad deum, meam quidem hominis miſeri rem familiarem fere jam exiſtumans exhauſtam

esse: de filio autem, qui mihi unicus est, interrogaturus, an eum oporteat mutatis moribus fieri improbum, injustum, omnis honestatis expertem, utpote qui vitæ id putarem conducere.

CARIO. Quid ergo Phœbus profatus est e sertis?

CHREMYLUS. Audies. Clare namque Deus dixit mihi hocce: *cui occurrerem primum egressus, ab eo me jussit non amplius discedere, eique persuadere, ut me sequatur domum.*

CARIO. Cui ergo primo occurristi?

CHREMYLUS. Huic.

CARIO. Itane non intellegis mentem dei, hominum ineptissume, quæ tibi dicit clarissume, filium tuum ut educes vernaculo more?

CHREMYLUS. Quonam argumento istuc judicas?

CARIO. Nimirum vel cœcus cognoscere sibi hoc videatur, *valde esse conducibile nihil boni conari hoc tempore.*

CHREMYLUS. Non potest fieri ut oraculum illo vergat, sed ad majus aliud quidpiam. Quod si nobis dixerit iste, quinam sit, & qua gratia, & cujus rei indigens venerit nobiscum huc, intelligeremus quænam sit mens oraculi nostri.

CARIO. Agedum tutemet te indica, quinam sis, priusquam faciam quæ deinceps consecutura sunt. Dicere oportet quam citissume.

PLUTUS. Equidem ejulare te jubeo.

CARIO. Intellegis quem se dicat esse?

CHREMYLUS. Tibi hoc dicit, non mihi. Nam rustice & duriter eum interrogas. At tu, si tibi placent hominis candidi mores, dic mihi.

PLUTUS. Plorare equidem tibi dico.

CARIO. Amplectere virum & omen oblatum a Deo.

CHREMYLUS. Haud impune, ita mihi Ceres propitia sit, id feres amplius.

CARIO. Nisi enim declares qui sis, male te malum perdam.

PLUTUS. O boni, discedite a me.

CHREMYLUS. Haudquaquam.

CARIO. Equidem optumum est quod dico, here: perdam ho-

minem hunc peſſume. Statuam enim eum in loco aliquo prærupto; poſt ibi relicto homine abibo, ut inde delapſus cervices frangat.

CHREMYLUS. Tolle vero ſublimem ocius.

PLUTUS. Nequaquam.

CHREMYLUS. Dicesne igitur?

PLUTUS. Sed ſi audiatis me, qui ſim, ſat ſcio, aliquid mali facietis mihi, nec me dimittetis.

CHREMYLUS. Nos quidem hercle, ſi modo velis ipſe.

PLUTUS. Amittite nunc me primum.

CHREMYLUS. Ecce amittimus.

PLUTUS. Audite jam. Neceſſe eſt enim, ut videtur, me dicere, quæ celare conſtitueram. Ego enim ſum Plutus.

CHREMYLUS. O impuriſſume hominum omnium! itane vero tacebas, Plutus quum eſſes?

CARIO. Tu Plutus, tam æruminoſo ſtatu?

CHREMYLUS. O Phœbe Apollo, & dii & dæmones & Jupiter! Quid ais? illene revera es tu?

PLUTUS. Ille inquam.

CHREMYLUS. Is ipſusne es?

PLUTUS. Ipſiſſumus.

CHREMYLUS. Unde igitur, dic mihi, ſqualidus incedis?

PLUTUS. E Patroclis domo venio, qui non lavit poſtquam natus eſt.

CHREMYLUS. Cœcitatem autem hanc dic mihi, undenam te afflictet?

PLUTUS. Jupiter ita me male habuit, hominibus invidens. Ego enim quum eſſem adhuc adoleſcentulus, minatus eram, me ad juſtos & ſapientes & modeſtos ſolos iturum: ille autem me fecit cœcum, ut ne dignoſcerem illorum quemquam: adeo ille probis invidet.

CHREMYLUS. Atqui a probis honore adficitur ſolis & a juſtis.

PLUTUS. Adſentior tibi.

CHREMYLUS. Age, quid ergo? ſi rurſus cerneres, ut antidhac, fugitaresne tum malos?

PLUTUS. Ita ajo.

CHREMYLUS. Iresne vero ad bonos?

PLUTUS. Maxume quidem: multo enim eos non vidi tempore.

CHREMYLUS. Et nihil mirum sane: nec enim ego, qui cerno.

PLUTUS. Dimittite nunc me. Jam enim me & mea omnia cognoscitis.

CHREMYLUS. Non hercle: sed multo magis te retinebimus.

PLUTUS. Nonne dicebam fore ut molestias exhibeatis mihi?

CHREMYLUS. At tu sine, quæso, ut hoc tibi persuadeam, & ne deseras me. Non enim invenies me ipso, etiamsi quæras, hominem melius moratum. Non inquam, Jovem testor: nec enim est alius, præterquam ego.

PLUTUS. Hæc dicunt omnes: quando autem me adepti sunt revera, & evaserunt divites, plane supra modum fiunt mali.

CHREMYLUS. Ita quidem obtinet: sunt tamen non omnes mali.

PLUTUS. Non hercle omnes modo, sed ad unum omnes simul.

CARIO. Flebis largiter.

CHREMYLUS. At tu ut scias, quanta, si apud nos maneas, eventura sint bona, advorte animum, ut intellegas. Arbitror enim, modo deus adnuat, me ista te liberaturum cœcitate, restituto tibi visu.

PLUTUS. Minume istuc feceris; nolo enim rursus visum recipere.

CHREMYLUS. Quid ais?

CARIO. Homo iste ingenio natus est ad miseriam.

PLUTUS. Jupiter enim, sat scio, quum primum stulta horum facta animadvertet, penitus me perdet.

CHREMYLUS. Nunc vero nonne hoc facit, qui te passim offendentem errare sinit?

PLUTUS. Nescio: at ego illum formido maxume.

CHREMYLUS. Itane? ô timidissume omnium deorum! Putasne vero fore Jovis tyrannidem & fulmina trioboli, si visum recipias tu vel in modicum tempus?

PLUTUS. Vah! ne dixeris ista, miser.

CHREMYLUS. Quiesce: ego enim ostendam te Jove multo plus posse.

PLUTUS.

PLUTUS. Mene tu?

CHREMYLUS. Per cœlum juro. Et primum quidem per quemnam imperat Jupiter Diis?

CARIO. Per argentum: plurimum enim est ei.

CHREMYLUS. Age, quis itaque est, qui hoc ei præbet?

CARIO. Hicce.

CHREMYLUS. Per quem vero sacrificant illi? nonne per hunc?

CARIO. Et quidem hercle precantur palam, ut ditescant.

CHREMYLUS. Nonne igitur hicce causa est, & facile finem imponat, si velit, his rebus?

PLUTUS. Quid ita?

CHREMYLUS. Quia haud quisquam hominum sacrificaret amplius nec bovem, nec libum, nec aliud quicquam, te nolente.

PLUTUS. Quomodo?

CHREMYLUS. Quomodo? nullo modo fiet, ut emat scilicet, nisi tu præsens ipse des argentum: itaque Jovis potentiam, si tibi molestus fuerit, tolles solus.

PLUTUS. Quid autumas? Per me sacrificant ei?

CHREMYLUS. Aio ego. Atque hercle si quid est præclarum & pulchrum, aut venustum hominibus, id per te fit: omnia enim divitiis parent.

CARIO. Sane equidem propter pauxillum argenti servus ipsum factus, quod non æque essem dives.

CHREMYLUS. Et meretriculas aiunt Corinthias, siquando eas pauper quispiam adtentaverit, ne animum quidem advortere; si vero dives, clunem eas extemplo illi obvortere.

CARIO. Quin & pueros aiunt idem istuc factitare, non amatorum, sed pecuniæ gratia.

CHREMYLUS. Non probos vero, sed meritorios, quoniam non flagitant pecuniam probi.

CARIO. Quid ergo?

CHREMYLUS. Alius equum generosum, alius canes venaticos.

CARIO. Namque dum pudet eos forte pecuniam petere, verbo involvunt malitiam.

CHREMYLUS. Artes item omnes propter te & commenta quævis callida inter homines ſunt inventa. Alius enim eorum corium ſecat in ſutrina ſedens.

CARIO. Alius ferrum cudit, alius fabricatur e ligno.

CHREMYLUS. Alius aurum fundit, quod a te accepit.

CARIO. Alius edepol obvios in viis expilat, alius parietes perfodit.

CHREMYLUS. Alius fullonicam exercet.

CARIO. Alius lavat pelles.

CHREMYLUS. Alius coria macerat: alius vendit cepas.

CARIO. Alius deprehenſus in adulterio propter te vulſuram patitur.

PLUTUS. Hei me miſerum! hæc me dudum latuerant.

CARIO. Magnus vero Rex nonne propter hunc ſuperbit?

CHREMYLUS. Concio nonne propter hunc agitur?

CARIO. Quid? triremes nonne tu imples? dic mihi.

CHREMYLUS. Conductum vero in Corintho exercitum nonne hic alit?

CARIO. Pamphilus nonne propter hunc plorabit?

CHREMYLUS. Nonne Belonopoles una cum Pamphilo?

CARIO. Nonne Agyrrius propter hunc pedit?

CHREMYLUS. Nonne Philepſius tui cauſa fabulas narrat?

CARIO. Nonne propter te auxilia ſunt Ægyptiis?

CHREMYLUS. Nonne propter te Philonidem amat Laïs?

CARIO. Timothei autem turris --

CHREMYLUS. Ea quidem te obruat. Nonne omnia negotia propter te geruntur? ſolus enim omnino tu es omnium cauſa, & malorum & bonorum: hoc probe ſcias ita eſſe.

CARIO. Itaque & in bellis ſuperiores identidem ſunt, ſuper quibus iſte ſeſſitaverit ſolus.

PLUTUS. Egone tanta poſſum ſolus efficere?

CHREMYLUS. Et istis hercle multo plura. Ideo nec plenus tui quisquam est factus unquam. Nam aliarum rerum est omnium satietas: amoris.

CARIO. Panum.

CHREMYLUS. Musicæ.

CARIO. Bellariorum.

CHREMYLUS. Honoris.

CARIO. Placentarum.

CHREMYLUS. Virtutis.

CARIO. Ficuum.

CHREMYLUS. Ambitionis.

CARIO. Pultis.

CHREMYLUS Imperi.

CARIO. Lentis.

CHREMYLUS. Tui autem plenus nemo unquam fuit. Sed si quis talenta lucratus fuerit tredecim, multo magis cupit sedecim lucrarier: quæ si confecerit, quadraginta volt, aut sibi vitalem vitam esse negat.

PLUTUS. Recte quidem mihi videmini dicere omnino: sed de uno tantum sollicitus sum.

CHREMYLUS. Qua de re? memora.

PLUTUS. Quo pacto ego potentiæ hujus, quam vos dicitis habere me, compos fiam.

CHREMYLUS. Enimvero hercle haud temerarium est, quod dicant omnes, rem plenam timoris esse divitias.

PLUTUS. Minume vero: sed me calumniatus est parietum perfossor quispiam. Quum enim aliquando irrepsisset in domum, nihil potuit illinc auferre, occlusis omnibus repertis: tum providentiam meam nominavit *timiditatem*.

CHREMYLUS. Ne jam tibi curæ sit quicquam: nam si eris promto & parato animo ad res agendas, faxo, ut cernas acutius Lynceo.

PLUTUS. Quomodo igitur poteris hoc efficere, mortalis quum sis?

CHREMYLUS. Spem aliquam bonam foveo ex illis, quæ mihi dixit Phœbus ipſe, Pythicam quatiens laurum.

PLUTUS. Ergone ille etiam horum eſt conſcius?

CHREMYLUS. Ita inquam.

PLUTUS. Videte --

CHREMYLUS. Liquido es & tranquillo animo, ô bone: ego enim, ſcias hoc velim, tametſi me neceſſe ſit mortem oppetere, ipſe hæc efficiam.

CARIO. Et, ſi voles, ego etiam.

CHREMYLUS. Multi autem erunt & alii nobis adjutores, quibus, utpote juſtis viris, non eſt unde vitam ſuſtentent.

PLUTUS. Papæ! miſeros utique prædicas nobis adjutores.

CHREMYLUS. Non; ſi modo diteſcant denuo. Sed tu curriculo curre.

CARIO. Quid faciam? dic.

CHREMYLUS. Socios noſtros agricolas arceſſe (forte autem invenies in agris eos cum ærumnis conflictantes) ut quilibet huc veniens, æqualem nobiscum accipiat hujus Pluti partem.

CARIO. Jam eo: ſed carnis hoc fruſtum aliquis e domo capiat, & intro ferat.

CHREMYLUS. Mihi erit curæ: ſed perge currere. Tu vero, Plute, deorum omnium præſtantiſſume, intro mecum huc ingredere: domus enim hæc eſt, quam te divitiis oportet hodie implere, qua jure qua injuria.

PLUTUS. At ægre admodum fero, deos teſtor, quod mihi identidem in domum alienam ingrediundum ſit. Quippe nihil inde boni mihi obtigit unquam. Si enim ad parcum forte ingreſſus fuero, continuo me defodit in ima terra: tum ſi quis accedat probus homo & amicus rogatum, ut ſibi commodet pauxillum pecuniæ, negat ſe vidiſſe me unquam. Sin ad inſanum & prodigum hominem intravero, ſcortis & aleis objectus, nudus domo excido, cis breviſſimum tempus.

CHREMYLUS. Non enim in hominem moderatum incidiſti

unquam, qualis fere ſum ego ſemper; nam & parſimonia delector, ut nemo alius; & rurſus, ſiquando uſus veniat, ſumtibus. Sed ingrediamur: nam volo ut te videat uxor mea, & gnatus unicus, quem ego poſt te amo maxume.

PLUTUS. Credo.

CHREMYLUS. Cur enim tibi quispiam veritatem non dicat?

CARIO. O qui ſæpe jam cum hero meo commune allium ediſtis, amici viri & populares, laborisque amantes, ite, properate, feſtinate: nam tempus non eſt cunctandi, ſed eſt in ipſo articulo, quo oportet vos opem ferre.

CHORUS. Nonne vides nos jamdudum properantes alacriter, ut par eſt viros imbecillos & jam ſenes? at tu forte æquum cenſes me currere, priusquam iſtuc dicas mihi, qua gratia herus tuus arceſſiverit nos.

CARIO. Nonne jamdudum tibi dico? ipſe vero non audis. Herus etenim meus dicit vos jucunde omnes victuros, frigida iſta & dura vivendi ratione ſolutos.

CHORUS. Quænam vero res eſt illa, aut unde, quam ille narrat?

CARIO. Advenit huc habens ſecum ſenem quemdam, ô miſeri, ſqualidum, incurvum, ærumnoſum, rugoſum, calvum, edentulum, & hercle etiam arbitror verpum eum eſſe.

CHORUS. O qui aureum nuntium adportas, quid ais? iteradum iſta mihi: ſignificas enim eum cum acervo pecuniarum advenire.

CARIO. Immo cum acervo ſenilium malorum.

CHORUS. Num putas, ſi nos deluſeris, id te impune laturum, me præſertim baculum habente?

CARIO. Prorſusne vero hominem ingenio me putatis adeo verſuto eſſe, nec unquam arbitramini me ſani quicquam dicere?

CHORUS. Quam ſeverus eſt perditiſſumus ille! at tibiæ tuæ clamant, *Iu*, *iu*, chœnices & compedes deſiderantes.

CARIO. Quum jam ſorte ducta litera jus in loculo dicturus ſis, quid ire ceſſas? Charon vero tibi ſymbolum dat.

CHORUS. Disrumparis! ut moleſtus es & ingenio verſipelli, qui deludis nos, & nondum dicere ſuſtinuiſti, cujus rei cauſa nos herus tuus vocaverit huc; qui multis laboribus exerciti, quamvis non eſſet otium, ſtrenue huc advenimus, per multas alliorum radices transeuntes.

CARIO. Sed non celabo amplius: venit enim, ô amici, Plutum adducens herus: qui vos divites faciet.

CHORUS. An revera divitibus eſſe nobis licet omnibus?

CARIO. Ita hercle: & quidem Midas faciet, ſi aures aſininas ſumatis.

CHORUS. Ut lætor, ut delector, ut cupio tripudiare præ gaudio! ſiquidem tu hæc re ipſa vera prædicas.

CARIO. At ego volo, *threttanelo*, Cyclopem imitans, & hoc modo pedibus impellens, vos agere. Sed eia filioli clamitantes, & cum balatu edentes ovicularum caprarumque olentium carmina, ſequimini, arrectisque veretris, inſtar hircorum laſcivite.

CHORUS. Nos autem conabimur, *threttanelo*, Cyclopem te, ubi balantes invenerimus ſordibus inquinatum, peram habentem & olera agreſtia, vino gravem, ducentem oviculas, temere alicubi ſomno oppreſſum, excœcare, ſumta ingenti & præuſta ſude.

CARIO. At ego Circam illam, quæ medicamina miſcet, quæ ſodalibus Philonidis aliquando Corinthi perſuaſit, ut tanquam porci ſubactam merdam comederent, quam ipſa ſubegerat illis, imitabor omnibus modis: vos autem præ gaudio grunnientes, ſequimini matrem porcelli.

CHORUS. Nos itaque te Circam, miſcentem medicamina, & offuciis ſublinentem atque contaminantem ſocios, comprehendentes, præ gaudio Laërtis filium imitantes, a tefticulis ſuſpendemus; ſtercoreque tibi oblinemus, tanquam hirco, nares: tu vero, ut Ariſtyllus, ore hiante lambens, dices: *Sequimini matrem porcelli.*

CARIO. Sed ohe! omiſſis jam cavillationibus, ad aliud cantici genus convertimini: ego autem domum ingreſſus, clam hero meo, volo ſumere nonnihil panis & carnis; atque ubi manducavero, ſic poſtea opus obire.

CHORUS. *(Deeſt cantiuncula Chori.)*

CHREMYLUS, CHORUS, BLEPSIDEMUS, PAUPERTAS.

CHREMYLUS. Si ſalvos vos eſſe jubeam, ô populares, ea jam antiqua eſt & obſoleta compellatio: itaque amanter vos complector, quod veniſtis promte & contente, nec ſocorditer. Facite autem ut etiam in ceteris rebus mihi adjutores adſitis, ſimulque veri hujus dei ſervatores.

CHORUS. Confide: namque videbor tibi prorſus martium quiddam intueri. Eſſet enim abſurdum, ſi propter tres quidem obolos identidem in concione alii alios trudimus & impellimus, ipſum autem Plutum paterer a quoquam mihi eripi.

CHREMYLUS. Atqui video etiam Blepſidemum hunece accedentem. Satis apparet ex inceſſu ejus & feſtinatione, eum aliquid harum rerum inaudiviſſe.

BLEPSIDEMUS. Quid hoc rei ſit? unde & quomodo Chremylus divus factus ſit repente? non credo. Tameſi mehercle ſermones multi ferebantur hominum in tonſtrinis deſidentium, eum repente factum eſſe divitem. Eſt autem cum hoc ipſum mirandum, tum quod, proſpera utens fortuna, amicos arceſſit. Non ſane facit hoc pro recepto hîc more.

CHREMYLUS. Sed nihil celando, ita me dii ament, dicam, ô Blepſideme. Melius quam heri nobiscum nunc agitur: adeoque participem te fieri bonorum, nihil prohibet; es enim unus ex amicis.

BLEPSIDEMUS. Verene es factus, uti prædicant, dives?

CHREMYLUS. Fiam equidem actutum, ſi deus volet: ineſt, ineſt enim periculum quidpiam in hoc negotio.

BLEPSIDEMUS. Quale?

CHREMYLUS. Rogas?

BLEPSIDEMUS. Dic cito, quod dicere vis.

CHREMYLUS. Ut, si rem istam ex sententia geramus, simus perpetuo fortunati: sin aliquid fuerit offensum, ut funditus pereamus.

BLEPSIDEMUS. Mala merce mihi videris onustus; nec mihi istuc placet. Nam subito sic ditari nimis, & rursus in metu esse, hominis est qui nihil boni patravit.

CHREMYLUS. Quemadmodum nihil boni?

BLEPSIDEMUS. Si nimirum quidpiam furatus inde venis, aut argentum aut aurum ab Apolline, & nunc forte facti te pœnitet.

CHREMYLUS. Pro averrunce Apollo! haud equidem hercle.

BLEPSIDEMUS. Desine nugari, ô bone; novi enim clare.

CHREMYLUS. Noli tu quicquam tale de me suspicari.

BLEPSIDEMUS. Heu! quam nihil omnino sani est apud quemquam! verum omnes ad unum serviunt lucro.

CHREMYLUS. Per Cererem haud sana mente mihi esse videris.

BLEPSIDEMUS. Quam multum recessit a pristinis moribus!

CHREMYLUS. Mi homo, te certe atra bilis agitat.

BLEPSIDEMUS. At neque voltu est satis compositio & quieto; sed & is indicio est eum aliquid mali perpetrasse.

CHREMYLUS. Tu quidem quid blateres, novi: nempe, quasi ego quidpiam furatus fuerim, cupis particeps fieri.

BLEPSIDEMUS. Particeps fieri cupio? cujusnam?

CHREMYLUS. At non ita se res hæc habet: sed aliter longe.

BLEPSIDEMUS. Num vi aliquid, non furto, abstulisti?

CHREMYLUS. Larvæ te ac intemperiæ agitant.

BLEPSIDEMUS. At vero nec cuiquam damnum fecisti?

CHREMYLUS. Non certe ego.

BLEPSIDEMUS. O Hercules! age, quonam igitur quis se vertat? nam verum non vis fateri.

CHREMYLUS. Accusas enim, prius quam rem cognoveris.

BLEPSIDEMUS. O amice, hoc tibi negotium exiguo admodum sumtu volo expedire, priusquam audiant ista cives, os oratorum nummis obturans.

CHREMYLUS. Et quidem hercle, ut mihi videris, tribus hanc in rem impensis minis, familiariter mihi duodecim imputares.

BLEPSIDEMUS. Video nonneminem qui ad tribunal sedebit, & supplex olivæ ramum protendet, cum liberis & uxore; qui prorsus non differet quicquam ab Heraclidis Pamphili.

CHREMYLUS. Apage istæc, insane: solos enim probos, & lepidos, & modestos mox divites reddam.

BLEPSIDEMUS. Quid ais? adeone multa furatus es?

CHREMYLUS. Vah! tu istis commemorandis malis me perdes.

BLEPSIDEMUS. Tu quidem te ipsum, ut mihi videris.

CHREMYLUS. Non equidem; quoniam Plutum, ô stulte, habeo.

BLEPSIDEMUS Tu Plutum? Quemnam?

CHREMYLUS. Ipsum deum.

BLEPSIDEMUS. Et ubinam est?

CHREMYLUS. Intus.

BLEPSIDEMUS. Ubi?

CHREMYLUS. Apud me.

BLEPSIDEMUS. Apud te?

CHREMYLUS. Omnino.

BLEPSIDEMUS. Nonne in malam rem abibis? Plutus apud te?

CHREMYLUS. Ita inquam, per deos adjuro.

BLEPSIDEMUS. Verane dicis?

CHREMYLUS. Aio.

BLEPSIDEMUS. Per Vestam obsecro.

CHREMYLUS. Testor Neptunum.

BLEPSIDEMUS. Marinumne dicis?

CHREMYLUS. Si alius est quispiam Neptunus, alium etiam illum.

BLEPSIDEMUS. Itane ad nos amicos tuos non transmittes eum?

CHREMYLUS. Res nondum in eo est.

BLEPSIDEMUS. Quid ais? non in eo, ut nos participes facias?

CHREMYLUS. Non hercle: oportet enim prius —

BLEPSIDEMUS. Quid?

CHREMYLUS. Curare nos ut videat —

BLEPSIDEMUS. Quisnam videat? effare.

CHREMYLUS. Plutus, ut antehac, quovis tandem pacto.

BLEPSIDEMUS. Estne enim revera cœcus?

CHREMYLUS. Ita: cœlum testor.

BLEPSIDEMUS. Non temere ergo factum, quod ad me nunquam venerit.

CHREMYLUS. At jam porro veniet, si dii voluerint.

BLEPSIDEMUS. Annon medicum oportuit introducere aliquem?

CHREMYLUS. Quis vero medicus est nunc in urbe? Nam & merces nihili est, & ars.

BLEPSIDEMUS. Videamus tamen.

CHREMYLUS. At nullus est.

BLEPSIDEMUS. Neque mihi videtur.

CHREMYLUS. Non hercle. Verum, quod dudum meditabar ego, optumum est, si illum in Æsculapi fano incubare faciamus.

BLEPSIDEMUS. Multo quidem certe, ita me dii ament. Ne igitur cunctare; sed da operam, ut perficias aliquid.

CHREMYLUS. Atqui jam vado.

BLEPSIDEMUS. Festina igitur.

CHREMYLUS. Hoc ipsum facio.

PAUPERTAS. O qui facinus audax & impium & nefarium facere sustinetis, homunculi miseri! quo? quo? quid fugitis? nonne resistetis?

BLEPSIDEMUS. Hercules, te invoco.

PAUPERTAS. Ego enim vos perdam malos male: facinus enim audetis non tolerabile, sed quale nemo alius unquam est ausus neque deus, neque homo: adeoque periistis.

CHREMYLUS. Tu vero, quænam es? pallida namque mihi videris esse.

BLEPSIDEMUS. Fortasse Erynnis est ex tragœdia: & quidem furibundum quid & tragicum intuetur.

CHREMYLUS. At vero faces non habet.

BLEPSIDEMUS. Plorabit igitur.

PAUPERTAS. Quam vero putatis me esse?

CHREMYLUS. Cauponam, aut ovorum venditricem: non enim tanto clamore nos adorta esses, nulla provocata injuria.

PAUPERTAS. Itane? annon vero graviſſima perpetraſtis, qui me cogitatis ex omnibus locis ejicere?

CHREMYLUS. Nonne ſupereſt tibi Barathrum? ſed quænam ſis, quidni ſtatim dicis?

PAUPERTAS. Quæ efficiam hodie, ut detis pœnas, pro eo quod me quæritis hinc penitus exſtirpare.

BLEPSIDEMUS. Numquid eſt caupona iſta ex vicinia, quæ iniqua cotylarum ſuarum menſura ſemper me fraudatur?

PAUPERTAS. Equidem Paupertas ego ſum, quæ vobiscum habito a multis annis.

BLEPSIDEMUS. *(aufugiens, audito Paupertatis nomine)* O Rex Apollo, diique, quo quis fugiat?

CHREMYLUS. Heus tu, quid agis? ô timidiſſumum animal! nonne manebis?

BLEPSIDEMUS. Minume omnium.

CHREMYLUS. Non manebis? ſed viri duo feminam fugimus unam?

BLEPSIDEMUS. Paupertas enim eſt, ô miſer, qua nusquam ulla nata eſt belua peſtilentior.

CHREMYLUS. Sta, obſecro, ſta.

BLEPSIDEMUS. Non ego certe.

CHREMYLUS. Atqui, tibi dico, ſcelus multo peſſumum omnium ſcelerum admittimus, ſi deum ſolum relinquentes aliquorſum fugerimus, hujusce metu, neque depugnaverimus.

BLEPSIDEMUS. Quibus armis, aut qua potentia freti? Quam enim loricam, quem clypeum impuriſſuma hæc pignori non opponit?

CHREMYLUS. Bono animo es: ſcio enim deum illum ſolum facile hanc profligaturum.

PAUPERTAS. Etiamne vos mutire audetis, ô piacula, quum manifeſte in flagitio peſſumo deprehenſi ſitis?

CHREMYLUS. Tu vero, perditiſſuma, quid conviciis inceſſis nos, ne tantillum quidem injuriæ paſſa?

PAUPERTAS. Nullane, quæſo, putatis vos me injuria adficere, qui Plutum facere conamini oculatum denuo?

CHREMYLUS. Quid vero? injuriine in te ſumus, ſi univerſis hominibus bona præbemus?

PAUPERTAS. At quid vos boni excogitare poſſitis?

CHREMYLUS. Quid? Primumdum ſi te ejiciamus e Græcia.

PAUPERTAS. Si me ejiciatis? & quonam putatis vos malo majore mactaturos homines?

CHREMYLUS. Quonam? ſi nimirum hujus incepti obliviſcamur.

PAUPERTAS. Atqui primum ipſa volo vobis de hac re rationem reddere. Et ſi oſtendero ſolam me vobis omnium eſſe bonorum cauſam, meoque beneficio vos vivere, recte eſt: ſin minus, facite jam quodcunque vobis videbitur.

CHREMYLUS. Hoccine tu audes, impuriſſuma, dicere?

PAUPERTAS. Patere modo te doceri: nam perquam facile arbitror me oſtenſuram, te tota via errare, ſi juſtos te ais ditaturum.

CHREMYLUS. O fuſtes & nervi, nonne opem feretis?

PAUPERTAS. Ne quiritare, neve exclama, priusquam rem intellegas.

BLEPSIDEMUS. Ecquis vero poſſit non exclamare *Iu*, *iu*, talia audiens?

PAUPERTAS. Qui mente eſt integra.

CHREMYLUS. Quam ergo multam tibi irrogabo, ſi cauſa cecideris?

PAUPERTAS. Quæcunque tibi videbitur.

CHREMYLUS. Recte autumas.

PAUPERTAS. Idem enim, ſi vincamini, vobis patiundum erit.

BLEPSIDEMUS. Putasne ſufficere mortes viginti?

CHREMYLUS. Huic quidem: at nobis duæ ſufficient ſolæ.

PAUPERTAS. Effugere non poteritis, quin hoc patiamini: aut quid possit habere aliquis, quod mihi jure opponat?

CHORUS. Sed jam oportet vos argutum quidpiam proferre, quo vincatis hancce, adlatis rationibus ei contradicentes: nihil vero molliter & remisse agatis.

CHREMYLUS. Ego me arbitror cognovisse, istuc omnibus ex æquo esse in promtu, nimirum justum esse, ut bonis hominibus bene sit; malis autem & impiis, contra. Hoc quum nos cuperemus, vix tandem invenimus, quo id effectum daremus, consilium pulchrum & generosum, & per omnia utile. Si enim Plutus nunc cernat, neque cœcus obambulet, ad bonos homines ibit, & eos non deseret: malos autem & impios fugitabit: atque sic deinde efficiet, ut omnes fiant boni & divites, rerumque divinarum observantes. Atqui quod hominibus melius sit istoc ipso, quis invenire possit?

BLEPSIDEMUS. Nemo. Ego tibi hujus rei testis ero: ne hanc interroges.

CHREMYLUS. Ut enim nunc humana vita comparata est, quis non putabit insaniam esse, vel potius furorem? Plurimi enim hominum, licet sint mali, opibus abundant, quas injuste collegerunt: plurimi autem, quamvis probi admodum, inopia & fame laborant, & tecum maxumam ætatis partem degunt. Aio itaque, si Plutus cernat aliquando, esse aliam, quæ his rebus finem imponat, viam, quam si ingrediatur ille, majora bona hominibus præbeat.

PAUPERTAS. At ô qui omnium facillume hominum adducti estis, ut insaniretis, duo vetuli, in delirando & allucinando socii, si hoc fiat quod vos cupitis, nego id vobis profuturum esse. Si enim Plutus de integro cernat, distribuatque æqualiter sese, nec artem ullam, nec scientiam quisquam hominum colet. Ambabus autem istis sublatis, quis volet ferrum cudere, aut naves compingere, aut vestes consuere, aut rotas facere, aut coria secare, aut lateres coquere, aut vestimenta polire, aut coria macerare, aut, aratris profciſſo terræ solo, Cereris fruges metere, si otiosis esse licebit vobis, ista omnia neglegentibus?

CHREMYLUS. Nugaris. Nam iſta omnia nobis, quæcunque modo enumeraſti, famuli perficient.

PAUPERTAS. Unde igitur habebis famulos?

CHREMYLUS. Ememus ſcilicet pecunia.

PAUPERTAS. At primo quis erit, qui vendat, quando pecuniam & ille habebit?

CHREMYLUS. Lucri cupidus mercator quispiam e Theſſalia veniens, a plurimis plagiariis.

PAUPERTAS. At primo nec plagiarius erit ullus, juxta iliam nempe quam dicis rationem. Quis enim dives volet iſtuc faciens diſcrimen adire vitæ? itaque ipſe arare coactus & fodere & alia opera facere, multo ærumnoſius teres ætatem, quam nunc.

CHREMYLUS. In caput tuum vertat!

PAUPERTAS. Præterea non poteris aut in ſponda dormire; non enim erit: aut in tapetibus; quis enim texere volet, cui aurum ſuppetat? neque unguentis inungere poteritis ſponſam, quando eam ducetis domum, nec eam ornare ſumtuoſis veſtibus oſtro perfuſis & acu pictis. Atqui diteſcere quid juvat iſtis omnibus egentes? apud me autem ea omnia in promtu ſunt, quibus indigetis. Ego enim tanquam domina adſideo, cogens opificem, ut propter egeſtatem & penuriam quærat, unde victum habeat.

CHREMYLUS. Tune vero præbere quicquam boni poſſis, præter puſtulas e balneo, & puerulorum eſurientium anicularumque turbas, numerumque pediculorum & culicum & pulicum, nec dico quantum præ multitudine? qui moleſto circa caput ſtridore expergefaciunt, canentes, *Eſuries*, *ſed ſurge*. Præterea ut habeant pro veſte pannos, pro lecto ſtramentum e juncis, culicibus plenum, quod dormientes excitat: & ſtoream ut habeant pro tapete putridam, pro pulvino lapidem prægrandem ſub capite: & ut pro pane comedant malvæ germina: pro pulte folia exilium raphanorum. utque habeant pro ſcamno fracti urcei operculum: pro mactra dolioli latus, idque etiam rimoſum. Numquid multorum bonorum te omnibus hominibus oſtendo eſſe cauſam?

PAUPERTAS. Tu quidem meam vitam non memorasti : illam autem mendicorum exagitasti.

CHREMYLUS. Atqui mendicitatis paupertatem dicimus esse sororem.

PAUPERTAS. Vos quidem, qui etiam Thrasybulo Dionysium similem esse dicitis. Verum mea vita nihil tale experta est; nihil hercle, neque experietur. Mendici enim vita, quam tu dicis, est, vivere nihil habentem : pauperis autem, vivere parce, laboribus addictum; nihil quidem ei superesse, verum etiam nihil deesse.

CHREMYLUS. Pro Ceres! quam beatæ memoriæ vitam ejus narras! si parcendo & laborando tantum non relinquat, unde sepeliri possit.

PAUPERTAS. Deridere incipis & cavillari, posthabitis seriis; ignorans me homines meliores reddere, quam Plutus, & ingenio & specie. Nam apud hunc podagrosi, ventriosi, & crassi suras, pinguesque sunt supra modum: apud me autem tenues & graciles, hostibusque formidabiles.

CHREMYLUS. Forsan enim a fame hanc ipsis gracilitatem præstas.

PAUPERTAS. De temperantia jam differam vobis, & demonstrabo mecum esse modestiam, Pluti autem esse, injurias inferre.

CHREMYLUS. Sane itaque furari modestum est, & parietes perfodere.

BLEPSIDEMUS. Ita hercle : si quidem latere hæc facientem oportet, quidni modestum est?

PAUPERTAS. Adspice modo oratores in urbibus, ut se, quamdiu sunt pauperes, populo & reipublicæ justos præstant, at e publicis pecuniis ditati, mox injusti fiunt, & insidiantur plebi, popularisque status fiunt hostes.

CHREMYLUS. At non mentiris horum quicquam, licet valde sis maledica. Verumtamen nihilominus plorabis, ne propterea superbias, quoniam studes nobis persuadere meliorem esse paupertatem divitiis.

PAUPERTAS.

PAUPERTAS. Tu vero refutare me nondum potes in ista re, sed nugaris, & frustra strepis.

CHREMYLUS. Quî fit ergo, ut te omnes fugitent?

PAUPERTAS. Quia meliores eos reddo. Contemplari licet hoc maxume in pueris: etenim illi patres fugitant, qui bene cupiunt ipsis: adeo difficile est dignoscere id quod justum est.

CHREMYLUS. Dices itaque Jovem non satis dignoscere quod sit optumum: nam & ille divitias habet.

BLEPSIDEMUS. Hanc autem ad nos ablegat.

PAUPERTAS. At ô qui mentem lippientem habetis Saturniis gramiis, Jupiter inops est utique; idque jam clare te docebo. Si enim dives esset, quomodo instituens ipse Olympiacum certamen, ubi Græcos universos quinto quoque anno congregat, proclamaret victores athletas, coronatos oleastri ramo? atqui auro potius oportebat, si esset dives.

CHREMYLUS. Hoc ipso ergo ostendit ille, se magni facere divitias. Dum enim parcit & nihil earum volt erogari, dumque rebus nihili victores coronat, divitias sibi servat.

PAUPERTAS. Rem ei multo turpiorem, quam est inopia, studes adfingere, si, dives quum sit, adeo est sordidus & lucri cupidus.

CHREMYLUS. Sed te Jupiter perdat oleastro prius redimitam.

PAUPERTAS. Vosne mihi ausos contradicere, quasi non omnia vobis bona eveniant propter paupertatem!

CHREMYLUS. Ex Hecata hoc quærere licet, an ditescere, an vero esurire sit melius. Dicit enim eos, qui abundant opibus, cœnam sibi singulis mensibus adpositum venire, eam vero pauperes homines rapere, priusquam adposita sit. Sed perieris, & ne mutias quicquam amplius. Non enim persuadebis, tametsi persuadeas.

PAUPERTAS. *O cives Argivi, audite qualia dicat.*

CHREMYLUS. Pausonem invoca commensalem tuum.

PAUPERTAS. Quid agam misera?

CHREMYLUS. In maxumam malam crucem abi ocius a nobis.

PAUPERTAS. Quorſum autem eam?

CHREMYLUS. In nervum ito: ne ceſſa, ſed propera.

PAUPERTAS. Atqui vos me aliquando huc arceſſetis.

CHREMYLUS. Tum redibis: nunc vero te aufer. Melius eſt enim ut ego diteſcam: tuo autem capiti male ſit.

BLEPSIDEMUS. Equidem hercle volo dives factus convivari cum liberis meis & uxore; & lotus atque nitidus procedens e balneo, opificibus & Paupertati oppedere.

CHREMYLUS. Nobis quidem abiit perdita iſta: ego vero & tu Deum quam citiſſume ducamus in Æſculapi fanum, ut illic incubet.

BLEPSIDEMUS. Ne vero ceſſemus, ne rurſus aliquis accedens impedimento ſit, quo minus faciamus, quod ad rem pertineat.

CHREMYLUS. Heus Cario famule, ſtragula efferre oportet, ipſumque deum ducere, ut moris eſt, ceteraque ſimul, quæ intus parata ſunt.

CHORUS. *(Deeſt Chori canticum.)*

CARIO, CHORUS, MULIER, PLUTUS, CHREMYLUS.

CARIO. O qui ſæpe Theſeis tenuiter epulati eſtis, ſenes, pane admodum modico, quam nunc eſtis fortunati, quam beata eſt ſors veſtra, ceterique omnes, qui probis eſtis moribus!

CHORUS. Quid eſt, optume tuorum ſodalium? videris enim advenire nuntius alicujus boni.

CARIO. Herus meus factus eſt fortunatiſſumus, vel potius ipſe Plutus: nam ex cœco factus eſt oculatiſſumus, habetque nitentes pupillas, Æſculapio uſus medico propitio.

CHORUS. Nuntias mihi quod gaudeam, nuntias mihi quod exclamem.

CARIO. Licet jam lætari, velitis nolitis.

CHORUS. Alta voce laudabo optumi patris filium, & ingens illud mortalibus jubar, Æſculapium.

MULIER. Quisnam iſte clamor eſt? nuntiabitne aliquid boni? hoc enim cupiens ego dudum intus deſideo, hunc opperiens.

CARIO. Cito, cito affer vinum, hera, ut & ipſa bibas: lubens enim oppido hoc facis. Nam omnia bona uno quaſi faſce comprehenſa tibi fero.

MULIER. Ubi ergo ſunt?

CARIO. Ex illis quæ dicam cognoſces illico.

MULIER. Age igitur expedi quidquid dicis tandem.

CARIO. Auſculta igitur: nam ego rem omnem a calce usque in caput tibi demenſam dabo.

MULIER. Ne quæſo in caput mihi.

CARIO. Annon bona ea, quæ modo evenerunt?

MULIER. Non res ipſas inquam.

CARIO. Etenim quum extemplo pervenimus ad Deum, virum ducentes tunc quidem miſerrumum, at nunc felicem ac beatum, ſi quisquam alius, primum quidem ipſum ad mare deduximus, deinde abluimus.

MULIER. Edepol næ ille beatus erat: homo ſenex, frigido lotus mari.

CARIO. Deinde ad delubrum Dei conceſſimus. Poſtquam autem in ara placentæ & liba conſecrata fuere flamma Vulcani, reclinavimus Plutum, uti par erat: noſtrûm autem unusquisque torum ſibi conſarcinavit.

MULIER. Aderantne alii etiam, opem Dei deſiderantes?

CARIO. Unus quidem Neoclides, qui cœcus quidem eſt, at furando facile videntes ſuperat; aliique multi omnis generis morbis impliciti. Poſtquam autem lucernis exſtinctis nos juſſit dormire Dei miniſter, edixitque, ut, ſi quis ſonitum ſentiret, taceret, omnes placide decubuimus. Ego autem dormire non poteram, ſed me pultis olla quædam percellebat, poſita non procul a capite aniculæ cujuſdam, ad quam miſere cupiebam adrepere. Deinde ſuſpiciens video ſacerdotem liba rapere & caricas de ſacra menſa. Poſtilla circumibat aras omnes ordine, ſicubi aliquod panificium eſſet relictum: deinde hæc ſacro ritu condebat in ſacculum aliquem. Ego autem exiſtumans jam omnino fas eſſe talia facere, ad ollam illam pultis erigor.

MULIER. Sceleſtiſſume hominum! non verebaris Deum?

CARIO. Immo equidem hercle, ne prius ad ollam accederet cum ſuis corollis: nam ſacerdos ejus mihi documento fuerat. Anicula vero, quum jam ſtrepitum meum ſentiret, manu ollam ſubtrahere conata eſt: ego autem, ſibilo edito, mordicus eam adripui, non ſecus ac ſi pareas anguis fuiſſem: illa vero extemplo manum retraxit, jacuitque quiete, ſtragulis involuta, præ metu viſiens acerbius muſtela. At ego tunc bonam partem pultis abſorbui: poſt impletus requievi.

MULIER. Deus vero ad vos non accederat?

CARIO. Nondum. Posthæc etiam ridiculum quiddam feci: nam accedente ipso vehementer admodum pepedi: nam venter meus inflatus erat.

MULIER. Mirum ni illi nauseam moveris.

CARIO. Minume: verum Iaso quædam, quæ ipsum sequebatur, erubuit: & Panacea sese avertit, naribus compressis: nam thus ego non pedo.

MULIER. Ipse autem Deus?

CARIO. Ne id quidem hercle curavit.

MULIER. Utique inurbanum hunc deum esse dicis.

CARIO. Neutiquam hercle: sed merdivorum.

MULIER. Hem scelus!

CARIO. Post illa me ipse etiam extemplo cooperui timens: ille autem ivit circum circa, morbos inspiciens omnes recte admodum atque ordine: deinde puer ei lapideum mortariolum adposuit, & pistillum, & capsulam.

MULIER. Lapideam?

CARIO. Non hercle inquam, non ipsam capsulam.

MULIER. At vero quo modo videbas, ó tervenefice, qui te coopertum fuisse dicis?

CARIO. Per palliolum: pol enim foramina habebat non pauca. Primo itaque Neoclidi medicamentum ad illinendum cœpit terere, injectis alliorum Teniorum tribus capitibus: deinde contudit illa in mortario, admiscens gummi & scillam: his deinde aceto perfusis Sphettio, oblevit ei palpebras extrorsum versas, ut cruciaretur magis. At ille vociferans atque clamans fugit exiliens: ipse autem Deus ridens dixit: *Hîc jam sede perlitus, ut mea opera desinas interesse concioni, possisque eam ejurare.*

MULIER. Quam amans reipublicæ est ille Deus & sapiens!

CARIO. Posthinc Pluto adsedit; & primo quidem caput attrectavit: deinde puro sudario sumto, palpebras circumabsterfit: Panacea vero obvelavit ei caput purpureo involucro, & faciem totam;

deinde Deus ſibilavit, atque proſiluerunt illico e delubro ſerpentes duo immani magnitudine.

MULIER. Dii boni!

CARIO. Iſti autem tacite purpureum involucrum ſubeuntes, palpebras circumlambebant, ut mihi quidem videbatur; & priusquam tu heminas vini decem ebiberes, Plutus, hera mea, ſurrexit videns. Ego autem plauſi præ gaudio, herumque excitavi. At deus ſtatim ſe abſcondit ipſique ſerpentes in delubrum. Qui autem juxta ipſum cubabant, quantopere exiſtumas? Plutum amplexi ſunt, & tota nocte vigilarunt, usquedum illuxit. Ego autem laudabam deum maximopere, quod cito Plutum feciſſet videntem, Neoclidem vero magis feciſſet cœcum.

MULIER. Quantam habes potentiam, ô rex domine! Sed dic mihi, ubi eſt Plutus?

CARIO. Venit. Verum circa eum erat immenſa hominum turba. Qui enim prius juſti fuerant, victumque habuerant modicum, ipſum amplexabantur, ſalutabantque omnes gaudio perfuſi: quicunque autem fuerant divites, opesque multas habuerant, & victum ſibi injuſta ratione acquiſiverant, ſupercilia contrahebant, voltumque præ ſe ferebant tetricum. Illi autem pone ſequebantur, ſertis redimiti, ridentes, bona verba dicentes: perſonabat autem calceus ſcenum, in numerum compoſitis greſſibus euntium. Sed eia omnes pariter uno ordine ſaltate, tripudiate, choreas ducite: nemo enim vobis domum ingreſſis nuntiabit, farinam non ineſſe in ſacco.

MULIER. Equidem, ita mihi Hecate propitia ſit, volo coronare te, ob lætum nuntium, panum clibanitiorum ſerie, qui talia nunciaveris.

CARIO. Ne ergo cunctare amplius: jam enim viri adſunt prope oſtium.

MULIER. Age vero domum ingreſſa, afferam bellaria, tanquam in recens emtos oculos effundenda.

CARIO. Ego autem obviam procedere illis volo.

CHORUS. *(Deeſt Chori cantiuncula.)*

PLUTUS. Et quidem primum ſaluto Solem, deinde almæ Palladis inclytum ſolum, univerſamque Cecropis regionem, quæ me excepit. Pudet autem me miſeriæ meæ. Mene cum iſtiusmodi hominibus inſcium convixiſſe! illos autem, qui digni erant meo conſortio, fugitavi, omnium rerum ignarus, ego miſer. Quam male utrumque feci! ſed omnibus in contrarium converſis, oſtendam deinceps cunctis hominibus, quam invitus me ipſum improbis tradiderim.

CHREMYLUS. Faceſſe in malam rem. Quam moleſti ſunt amici, qui ſtatim apparent protinus, quum quis proſpera utitur fortuna! Etenim fodicant, & tibias fricant, declarantes unusquiſque benevolentiam quamdam. Nam quis me non ſalutavit? quænam me in foro non circumdedit ſenilis turba?

MULIER. Cariſſume vir, & tu & tu ſalvete. Age nunc, moris enim eſt, bellaria iſta ſumam & te iis perfundam.

PLUTUS. Nequaquam. Me enim primum, poſtquam viſum recepi, domum ingrediente, nihil efferre decet, ſed potius inferre.

MULIER. Itane non accipies bellaria hæc?

PLUTUS. Intus quidem apud focum, uti mos eſt. Præterea irriſionem ſic quoque vitabimus. Non enim decet poëtam caricas & bellaria ſpectatoribus projicere, & iſtis eos ad riſum compellere.

MULIER. Recte prorſus autumas. Nam ecce Dexinicus iſte jam ſurrexit, tanquam arrepturus caricas.

CHORUS. *(Deeſt canticum Chori.)*

CARIO, VIR JUSTUS, CHREMYLUS, SYCOPHANTA, CHORUS.

CARIO. Quam ſuave eſt, ô viri, rem feliciter gerere, præſertim ſi nihil domo extuleris. Nobis enim bonorum acervus in domum irruit, ſine ullo cujusvis intertrimento. Panarium quidem plenum eſt alba farina: amphoræ autem vino rubro fragranti: argento & auro omnia nobis vaſa efferta ſunt, adeo ut mirari ſubeat: puteus oleo plenus: ampullæ unguentis refertæ; cœnaculum caricis. Acetabula omnia, & patellæ, & ollæ æreæ jam ſunt: ſcutellas vero putidas, piſcarias illas, argenteas jam videre eſt: muſcipula autem nobis repente facta eſt eburnea. At nos famuli ludimus par impar ſtateribus aureis: nates autem detergimus, non lapillis amplius, ſed alliis, præ luxuria, ſemper. Et nunc herus quidem meus immolat ſuem & hircum & arietem coronatus: me autem exire compulit fumus; nec enim poteram intus manere: nam palpebras mihi mordebat.

JUSTUS. Sequere me, puer, ut ad Deum eamus.

CHREMYLUS. Eia quis iſte eſt, qui huc accedit?

JUSTUS. Homo prius quidem miſer, nunc autem fortunatus.

CHREMYLUS. Apparet e numero bonorum te eſſe.

JUSTUS. Maxume.

CHREMYLUS. Quid itaque vis tibi?

JUSTUS. Ad deum iſtum venio: nam is mihi magnorum bonorum auctor eſt. Ego enim quum facultates ſatis amplas a patre mihi relictas accepiſſem, ſubveniebam inopibus amicis, exiſtumans hoc in vita eſſe utile.

CHREMYLUS. Mirum, ni te cito defecerit pecunia.

JUSTUS. Omnino.

CHREMYLUS. Itaque poſtea miſer eras?

JUSTUS. Omnino. Et ego quidem arbitrabar, quibus antea benefeciſſem indigentibus, eos me habiturum amicos vere firmos, ſiquando egerem: illi autem me averſabantur, & me videre ſe diſſimulabant.

CHREMYLUS. Etiam deridebant te, ſat ſcio.

JUSTUS. Omnino. Squalor enim meæ ſupellectilis me perdidit.

CHREMYLUS. Sed jam non amplius.

JUSTUS. Eapropter ad deum merito huc veni, ut eum adorem.

CHREMYLUS. Sed quid detritum pallium facit ad deum, quod fert puer hic, qui te comitatur? dic mihi.

JUSTUS. Et hoc dedicaturus ad deum venio.

CHREMYLUS. Num in hoc pallio initiatus es majoribus myſteriis?

JUSTUS. Non: verum in eo alſi annos tredecim.

CHREMYLUS. Calcei vero?

JUSTUS. Et iſti una hibernum frigus tolerarunt.

CHREMYLUS. Ergo iſtos etiam dedicandos adtuliſti?

JUSTUS. Ita hercle.

CHREMYLUS. Lepida ſane dona deo ferens venis.

SYCOPHANTA. Hei infortunatus ego! quam penitus perii miſer! ô terque quaterque infortunatus & quinquies, & duodecies, & decies-millies. Iu, iu! ita multiplici obrutus ſum infortunio.

CHREMYLUS. Apollo averrunce & dii ſervatores! quid eſt quod huic homini evenit mali?

SYCOPHANTA. Annon vero intoleranda mihi nunc evenerunt mala? qui amiſi omnia, quæ domi habebam, per deum hunc, qui futurus eſt cœcus de integro, ſi modo jura non deficiant.

JUSTUS. Ego propemodum rem cognoſcere me arbitror: accedit enim aliquis oppreſſus calamitate: videtur autem eſſe homo prayæ notæ.

CHREMYLUS. Ita hercle. Recte ergo ei fit, quod perit.

SYCOPHANTA. Ubi, ubi eſt iſte, qui ſolus nos omnes opulentos

extemplo ſe facturum pollicitus fuerat, ſi modo viſum rurſus reciperet? at ille multo potius perdidit nonnullos.

CHREMYLUS. Et quemnam ſic male adfecit?

SYCOPHANTA. Me ipſum.

CHREMYLUS. Num unus ex improbis eras & parietum perfoſſoribus?

SYCOPHANTA. Nihil hercle ſani vobis ambobus ineſt: nec fieri poteſt, quin meam habeatis pecuniam.

CARIO. Pro magna Ceres! quam ſe ferocem intulit hic ſycophanta! apparet eum fame urgeri.

SYCOPHANTA. Tu quidem mox cito ad forum ibis: ibi enim tormentis cogeris in rota confiteri tua ſcelera.

CARIO. At tu ejula.

JUSTUS. Ita me Jupiter Servator amet, ut magni faciendus eſt Græcis omnibus Deus ille, quod ſycophantas perditurus eſt malos male.

SYCOPHANTA. Hei miſer ego! Num tu etiam hujus furti particeps, me derides? nam alioqui unde accepiſti veſtimentum hocce? heri autem te vidi detrito amictum pallio.

JUSTUS. Nihil te moror: geſto enim emtum drachma ab Eudamo anulum huncce.

CHREMYLUS. Sed nullum reperias contra ſycophantæ morſum.

SYCOPHANTA. Quid eſt, niſi hoc inſignis contumelia eſt? irridetis; at quid hîc agatis, nondum dixiſtis. Etenim nulli bono hîc eſtis.

CHREMYLUS. Non tuo hercle: ſcias hoc velim.

SYCOPHANTA. De meo enim edepol cœnabitis.

CHREMYLUS. Ut hoc verum eſt, ita tu cum tuo teſte disrumparis, nullo cibo repletus.

SYCOPHANTA. Negatis? intus eſt, ô impuriſſumi, magna vis piſcium in fruſta conciſorum, & carnium aſſarum. Uhu, uhu, uhu, uhu, uhu, uhu.

CHREMYLUS. Odorarisne aliquid, ſcelus?

JUSTUS. Frigus fortaſſe, quia tam detrito amictus eſt pallio.

SYCOPHANTA. Hæccine toleranda ſunt, ô Jupiter diique ceteri! mene ab iſtis ſic ludibrio haberi! heu, quam crucior, quod vir bonus & patriæ amans hæc mala ſuffero!

CHREMYLUS. Tune patriæ amans & vir bonus?

SYCOPHANTA. Ut nemo alius.

CHREMYLUS. Atqui reſponde mihi quod te interrogabo.

SYCOPHANTA. Quidnam?

CHREMYLUS. Esne agricola?

SYCOPHANTA. Tu me adeo inſanire putas?

CHREMYLUS. Sed mercator?

SYCOPHANTA. Sane eum me eſſe ſimulo, ſiquando uſus venit.

CHREMYLUS. Quid ergo? num artem aliquam addidiciſti?

SYCOPHANTA. Non hercle.

CHREMYLUS. Quomodo igitur victitabas, aut unde, quum nihil ageres?

SYCOPHANTA. Publica negotia procuro & privata omnia.

CHREMYLUS. Tune? qua impulſus cauſa?

SYCOPHANTA. Sic lubet.

CHREMYLUS. Quomodo igitur tu ſis vir bonus, ô parietum perfoſſor, ſi in iis, quæ nihil ad te adtinent, odium tibi concilias?

SYCOPHANTA. Itane vero ad me non adtinet de mea mihi patria me bene mereri pro meis viribus, ô fatue?

CHREMYLUS. Bene mereri de patria eſtne aliena curare?

SYCOPHANTA. Eſt ſane legibus ſuccurrere, quæ poſitæ fuerint, & non permittere, ſi quis peccet.

CHREMYLUS. Annon vero data opera civitas judices conſtituit, qui his præſint?

SYCOPHANTA. At quis nomina defert?

CHREMYLUS. Qui volt.

SYCOPHANTA. Atqui is ego ſum: proinde in me recidunt civitatis negotia.

CHREMYLUS. Improbum igitur hercle præſidem habet. At nonne malles tranquillitate perfruens in otio vivere?

SYCOPHANTA. At tu pecudis vitam commemoras, ſi nullum erit ſtudium, in quo ætatem teras.

CHREMYLUS. Nec meliora te doceri ſineres?

SYCOPHANTA. Non, ſi mihi dares Plutum ipſum & Batti ſilphium.

CHREMYLUS. Depone ocius veſtem.

CARIO. Heus tu, tibi dicit.

CHREMYLUS. Deinde calceos exue.

CARIO. Omnia hæc tibi dicit.

SYCOPHANTA. Quin age, accedat aliquis veſtrûm huc ad me, ſi quis volt.

CARIO. Atqui is ſum ego.

SYCOPHANTA. Hei miſer! interdiu veſtibus ſpolior.

CARIO. Tu enim vis, aliena negotia curans, cibum habere.

SYCOPHANTA. *(ad teſtem)* Viden' tu quæ facit? horum te teſtem voco.

CHREMYLUS. Sed in pedes ſe conjecit, quem adduxti teſtem.

SYCOPHANTA. Væ mihi! ſolus ab iſtis circumcluſus ſum.

CARIO. Nunc clamitas?

SYCOPHANTA. Væ iterum mihi!

CARIO. Da tu mihi detritum iſtud pallium, quo amiciam ſycophantam huncce.

JUSTUS. Minume vero: nam Pluto conſecratum eſt dudum.

CARIO. Ubinam ergo melius dedicabitur, quam ſi homini nequam & parietum perfoſſori injiciatur. At Plutum ornari decoris veſtimentis par eſt.

JUSTUS. Calceis autem iſtis quid faciemus? dic mihi.

CARIO. Et iſtos actutum ad frontem, tanquam ad oleaſtrum, clavis adfigam huic.

SYCOPHANTA. Abibo: nam ſentio me multo inferiorem eſſe vobis. Si vero ſocium mihi adſcivero quempiam, tametſi ficulneum,

potens iſte Deus ut mihi pœnas det, faxo hodie; quandoquidem ſolus & unus tollit manifeſto popularem ſtatum, re nec in ſenatu, nec apud populum deliberata.

JUSTUS. Tu vero, quoniam armatura mea inſtructus incedis, age in balneum curre: deinde ibi primam ſtationem obtinens te calefacias: nam & eandem ego olim tenui.

CHREMYLUS. Sed balneator protrahet eum foras prehenſum teſticulis: nam, ubi eum viderit, animadvertet ipſum eſſe ex ſequioris notæ hominibus. At nos ingrediamur, ut adores Deum.

CHORUS. *(Deeſt Chori canticum.)*



ANUS, CHORUS, CHREMYLUS, ADOLESCENS.

ANUS. Anne, optumi ſenes, ad domum novi iſtius Dei vere pervenimus, aut tota via aberravimus?

CHORUS. At ſcito ad ipſum te perveniſſe oſtium, adoleſcentula: nam lepide ſciſcitaris.

ANUS. Age ergo, familiarium quempiam evocabo foras.

CHREMYLUS. Ne faxis: ego enim ipſe egreſſus ſum. Sed quamobrem maxume veneris, dicere te par eſt.

ANUS. Perpetior gravia & nefaria, ô amice: nam ex quo Deus iſte cœpit videre, haud vitalem reddidit vitam mihi.

CHREMYLUS. Quid vero eſt? num tu etiam ſycophantria inter mulieres eras?

ANUS. Haud ecaſtor ego.

CHREMYLUS. Aut literam non ſortita es, quæ tibi jus daret gratiis bibendi?

ANUS. Irrides: ego vero perii. Ita uror miſera.

CHREMYLUS. Annon itaque properabis dicere, quid te tam male urat?

ANUS. Auſculta. Erat mihi aduleſcentulus, quem amabam, pauper quidem, ſed venuſto voltu, & pulcher & probus. Nam ſi qua re mihi forte opus eſſet, omnia faciebat mihi decenter & ſcite; ego vero viciſſim in iiſdem omnibus operam ei dabam.

CHREMYLUS. Quid autem erat, quod a te peteret maxume?

ANUS. Non multa: etenim me impendio reverebatur. Sed viginti drachmas petebat quandoque ad veſtem emendam: octo autem ad calceos: & tunicam ſororibus emere me jubebat, matrique pallam, frumentique petebat modios quatuor.

CHREMYLUS. Haud multa ſane, ita me Apollo amet, iſta ſunt, quæ commemoraſti: ſed apparet illum te reveritum eſſe.

ANUS. Et hæc quidem non ex avaritia petere ſe a me dicebat, verum amicitiæ gratia, ut meam geſtans veſtem, mei recordaretur.

CHREMYLUS. Hominem narras ſupra modum tui amantem.

ANUS. Sed nunc ſceleſtus non eodem amplius erga me eſt animo: verum prorſus eſt immutatus. Quum enim placentam iſtam, ceteraque ei bellaria, quæ huic lanci impoſita ſunt, miſiſſem, & ſubindicaſſem me ad veſperam venturam --

CHREMYLUS. Quid fecit? dic mihi.

ANUS. Placentulam iſtam nobis inſuper remiſit, ea lege, ut ne amplius illuc venirem, addito etiam hoc dicterio: *Olim fuere fortes Mileſii.*

CHREMYLUS. Apparet moribus fuiſſe non improbis: deinde dives factus, non amplius capitur lenticula: antehac autem præ inopia omnia devorabat.

ANUS. Atqui antehac quotidie, ita me amet Ceres & Proſerpina, ad oſtium meum accedebat ſemper.

CHREMYLUS. Efferendi cauſa?

ANUS. Non ecaſtor, ſed tantum vocis meæ audiendi cupidus.

CHREMYLUS. Quin immo accipiendi gratia.

ANUS. Tum pol, ſiquando triſtem me eſſe ſentiret, *anaticulam* me & *palumbulam* blande vocabat.

CHREMYLUS. Deinde forte nummos petebat ad calceos.

ANUS. Majoribus autem Eleuſiniis quia vectam me carpento forte quis adſpexiſſet, ob id toto die vapulavi: tanta æmulatio inceſſerat illum adoleſcentulum.

CHREMYLUS. Nam lubenter, uti videtur, comedebat ſolus.

ANUS. Quin & manus me perpulchras habere ſolebat dicere.

CHREMYLUS. Quum ſcilicet porrigerent viginti drachmas.

ANUS. Cutemque meam ſuave dicebat olere.

CHREMYLUS. Merito hercle, ſiquando nimirum Thaſium infunderes.

ANUS. Adſpectumque me habere mollem & pulchrum.

CHREMYLUS. Non inficetus erat homo, ſed ſciebat vetulæ ſubantis viatica comedere.

ANUS. Hæc itaque Deus iſte, ô amice, non recte facit, qui profitetur ſe injuria laceſſitis præſto futurum ſemper.

CHREMYLUS. Quid igitur faciat, dic; & effectum dabitur.

ANUS. Ecaſtor æquum eſt cogere eum, qui a me beneficia acceperit, ut mihi viciſſim benefaciat: aut indignus eſt qui ne minumo quidem fruatur bono.

CHREMYLUS. Nonne igitur ſingulis tibi noctibus referebat gratias?

ANUS. At dicebat ſe vivam me nunquam deſerturum.

CHREMYLUS. Recte quidem: at nunc non amplius vivere te putat.

ANUS. Præ mœrore enim contabui, ô amiciſſume.

CHREMYLUS. Non: ſed putrefacta es, ut mihi videris.

ANUS. Itaque profecto per anulum me tranſire feceris.

CHREMYLUS. Si quidem is anulus ſit cribri circulus.

ANUS. Sed eccum, ipſus hic advenit aduleſcentulus, de quo dudum conqueror. Videtur comiſſatum ire.

CHREMYLUS. Apparet. Coronam etenim geſtans & facem incedit.

ADOLESCENS. Salvere jubeo.

ANUS. Quid ait?

ADOLESCENS. Amica vetus, celeriter ſane incanuiſti, cœlum teſtor.

ANUS. Miſera ego, quanta contumelia adficior!

CHREMYLUS. A multo tempore te non videtur vidiſſe.

ANUS. Quanto tempore, miſer, qui heri apud me fuerit?

CHREMYLUS. Ergo contra ei evenit, atque aliis plerisque: ebrius enim, ut apparet, acutius cernit.

ANUS. Minume: ſed ſemper incompoſitis fuit moribus.

ADOLESCENS.

ADOLESCENS. O rex maris Neptune, & dii ſeniles, quantum rugarum in facie habet!

ANUS. Ah, ah! facem mihi ne admove.

CHREMYLUS. Recte ſane autumat. Si enim ipſam vel unica ſcintilla attigerit, tanquam vetuſtum oleæ ramum eam comburet.

ADOLESCENS. Vin' aliquantiſper mecum ludere?

ANUS. Ubinam, miſer?

ADOLESCENS. Iſtic, ſumtis nucibus.

ANUS. Quemnam ludum?

ADOLESCENS. Quot habes dentes?

CHREMYLUS. At cognoſcam ego etiam: habet enim tres fortaſſe, aut quatuor.

ADOLESCENS. Solve: nam unicum tantum molarem habet.

ANUS. Homo miſerrume! non mihi videris eſſe ſanæ mentis, qui coram tot viris me conviciis perfundis.

ADOLESCENS. Equidem tibi prodeſſet, ſi quis te calida perfunderet.

CHREMYLUS. Non ſane, quia nunc mangonice ſeſe habet: ſin abluatur iſta ceruſſa, videbis manifeſto faciei rugas.

ANUS. Quum ſis homo ſenex, deliras, uti video.

ADOLESCENS. Fortaſſe attentat te, & papillas contrectat tuas, exiſtumans hæc ſe clam me facere.

ANUS. Non meas quidem, non inquam, ſceleſte, ita me Venus amet.

CHREMYLUS. Non ſane, ita mihi Hecate propitia ſit: nam utique inſanirem. Verum tamen, ô adoleſcens, non ſinam adoleſcentulam ut odio habeas iſtam.

ADOLESCENS. Ego vero eam efflictim amo.

CHREMYLUS. Atqui te accuſat.

ADOLESCENS. Qua de re accuſat?

CHREMYLUS. Ait te petulantem eſſe & dicere, *Olim fortes fuiſſe Mileſios.*

ADOLESCENS. Ego de hac tecum non contendam.

CHREMYLUS. Quid ita?

ADOLESCENS. Reverentia ætatis tuæ: nam nunquam alteri conceſſiſſem ut iſtuc faceret. Nunc vero lætus abi adſumta aduleſcentula.

CHREMYLUS. Novi mentem tuam, novi: non amplius forte vis eſſe cum illa.

ANUS. Quis autem eſt permiſſurus?

ADOLESCENS. Non ſollicitarem ſane anum ſubagitatam inde a tredecies mille annis.

CHREMYLUS. At tamen quoniam vinum non dedignatus es bibere, etiam fæx tibi exhaurienda erit.

ADOLESCENS. Sed hæc fæx eſt nimis vetus & putris.

CHREMYLUS. Ergo colum iſtis omnibus medebitur.

ADOLESCENS. Sed abi intro: Deo enim volo ingreſſus dedicare coronas haſce, quas habeo.

ANUS. Ego vero ei etiam aliquid dicere volo.

ADOLESCENS. At ego jam non intrabo.

CHREMYLUS. Bono animo es: nihil formida: non enim tibi vim inferet.

ADOLESCENS. Recte omnino mones: nam ſatis multo tempore eam ſublevi.

ANUS. I præ: ego autem pone te ingrediar.

CHREMYLUS. Quam pertinaciter, ô ſupreme Jupiter, hæc anicula, velut oſtreum, aduleſcenti adhæreſcit!

CHORUS. *(Deeſt Chori canticum.)*

CARIO, MERCURIUS, SACERDOS JOVIS, CHREMYLUS, ANUS, CHORUS.

CARIO. Quis eſt, qui pultat fores? quid hoc eſt? nemo, ut videtur, pultat: ſed nimirum oſtiolum ſic temere ſonitu edito gemit.

MERCURIUS. Tibi, tibi inquam dico, Cario, reſiſte.

CARIO Eho, dic mihi, tune fores pultabas tam improbe?

MERCURIUS. Non hercle, ſed jam pultaturus eram: deinde occupaſti aperire. Sed curriculo curre & evoca huc herum, deinde uxorem ejus & liberos, deinde & famulos, deinde canem, deinde te ipſum, deinde porcum.

CARIO. Dic mihi, quid eſt?

MERCURIUS. Jupiter, ô miſerrume, volt in eodem vos commiſtos catino univerſos in Barathrum injicere.

CARIO. Iſtiusmodi rerum nuntio lingua exciditur. Sed cur tandem hæc facere cogitat nobis?

MERCURIUS. Quia facinus graviſſumum patraſtis. Ex quo enim denuo cœpit videre Plutus, nemo nec thus, nec laurum, nec libum, nec victimam, nec aliud quicquam nobis diis ſacrificat.

CARIO. Non hercle; neque ſacrificabit. Male enim noſtri curam gerebatis tunc.

MERCURIUS. De ceteris quidem diis minus anxie laboro: at ego perii & interii.

CARIO. Recte ſapis.

MERCURIUS. Antea enim apud cauponas mane ſtatim habebam omnis generis lautitias, offam vino ſubactam, mel, caricas, quæcunque par eſt Mercurium edere: nunc autem eſuriens, ſurſum porrectis pedibus, requieſco.

CARIO. Nonne vero merito, ut qui damno cauponas mactabas ſubinde, quum tamen iſtiusmodi bona ab illis haberes?

MERCURIUS. Heu miſer ego! heu placentam quarto cujuſvis menſis die piſtam!

CARIO. *Abſentem deſideras & fruſtra vocas.*

MERCURIUS. Eheu pernam, quam ego comedebam!

CARIO. Uni tu pernæ innixus hîc ſub dio ſalta.

MERCURIUS. Et inteſtina calida, quæ ego comedebam!

CARIO. Inteſtinorum tormina te videntur vexare.

MERCURIUS. Eheu calicem æquali portione vini & aquæ temperatum!

CARIO. Hoc inſuper epoto, quamprimum hinc faceſſe.

MERCURIUS. Numquid me amicum tuum ope tua juvares?

CARIO. Si ejusmodi re tibi opus eſt, in qua tibi prodeſſe poſſim.

MERCURIUS. Si mihi panem bene piſtum præbens, comedere dares, & magnum fruſtum carnis victimarum earum, quibus intus ſacruficatis.

CARIO At illa efferri nefas eſt.

MERCURIUS. Atqui quando aliquod vaſculum heri tui furripiebas, ſemper ego faciebam, ut latere poſſes.

CARIO. Ea quidem conditione, ut ipſe particeps fieres, ô parietum perfoſſor: nam obvenire tibi ſolebat grandis placenta bene piſta.

MERCURIUS. Quam deinde ſolus comedere ſolebas.

CARIO. Non enim partem æquam plagarum mecum accipiebas, ſiquando deprehenderer flagitio aliquo commiſſo.

MERCURIUS. Ne memineris veterum malorum, ſi Phylen occupaſti. Sed, per deos obſecro, contubernalem me recipite.

CARIO. Itane, diis relictis, hîc manebis?

MERCURIUS. Veſtra enim conditio eſt melior multo.

CARIO. Quid vero? num transfugere tibi lepidum videtur?

MERCURIUS. *Patria enim eſt omnis regio ubi homini bene eſt.*

CARIO. Quem, quæſo, uſum nobis præſtabis, ſi hîc fueris?

MERCURIUS. Januæ vertundæ me præſidem facitote.

CARIO. Vertundæ? atqui nihil opus eſt verſutiis.

MERCURIUS. At negotiationum.

CARIO. At nunc diteſcimus. Quid ergo Mercurium Cauponarium alere nobis opus eſt?

MERCURIUS. Itaque doli artificem.

CARIO. Doli? minume. Non enim opus eſt jam dolo, ſed ſimplicibus moribus.

MERCURIUS. At viæ ducem.

CARIO. Sed Deus jam videt: adeoque duce non amplius indigebimus.

MERCURIUS. Itaque certaminum præſes ero: & quid adhuc dices? Pluto enim convenientiſſumum eſt inſtituere certamina muſica & gymnica.

CARIO. Quam bonum eſt cognomina multa habere! iſte enim hac ratione invenit ſibi victum. Non temere omnes judices omni ſæpe ſtudio contendunt, ut multis tribunalium literis inſcribantur.

MERCURIUS. Itaque hac conditione ingrediar.

CARIO. Et quidem elue ipſe ad puteum accedens exta victimarum, ut ſtatim officioſum te mihi probes.

SACERDOS. Quis poſſit mihi certo indicare, ubi ſit Chremylus?

CHREMYLUS. Quid eſt, vir optume?

SACERDOS. Quid, niſi male? Ex quo enim Plutus iſte cœpit videre, pereo fame: nam quod comedam, non habeo, tametſi ſum ſacerdos Jovis Servatoris.

CHREMYLUS. Quænam vero, amabo, cauſa eſt hujus rei?

SACERDOS. Nemo dignatur amplius ſacruficare.

CHREMYLUS. Quam ob rem?

SACERDOS. Quia omnes ſunt divites. At tunc, quum nihil habebant, mercator ſalvus revorſus domum mactabat victimam aliquam: alius item quispiam, quod judicio abſolutus fuiſſet: alius vero litabat, & invitabat ſacerdotem: nunc nemo ſacruficat prorſus quicquam, neque in fanum intrat, niſi cacatum plus quam decies milleni,

CARIO. Nonne ergo ex his, quæ tibi rite obveniunt, ſumis?

SACERDOS. Igitur ipſe etiam mihi videor, Jove Servatore deſerto, hîc manſurus.

CHREMYLUS. Bono animo es: nam Deo volente, bene erit. Jupiter enim Servator hîc adeſt, ſponte adveniens.

SACERDOS. Omnia bona itaque nuntias.

CHREMYLUS. Dedicabimus ergo actutum, manta modo, Plutum in eo loco, ubi antehac erat, ærarium Deæ perpetuo cuſtodiens. Sed efferat aliquis huc faces incenſas, ut tu eas geſtans præcedas ante Deum.

SACERDOS. Omnino quidem hæc fieri oportet.

CHREMYLUS. Plutum aliquis evocet foras.

ANUS. Ego vero quid faciam?

CHREMYLUS. Ollas, quibus Deum dedicabimus, cape, & in capite fer modeſte, ſiquidem veniſti varia veſte induta.

ANUS. At illa, quorum cauſa veneram?

CHREMYLUS. Omnia conſient. Veniet enim ad te aduleſcentulus ad veſperam.

ANUS. At tu quidem ſi pro illo ſpondeas venturum eum ad me, ita ecaſtor portabo ollas.

CARIO. Profecto ollis iſtis contra atque aliis evenit; nam ceteris quidem ollis anus in ſummo eſt: huic autem nunc anui in ſuperficie ſunt ollæ.

CHORUS. Haud amplius itaque decet nos cunctari, ſed recedere retrorſum: nos enim cantantes oportet iſtos a tergo ſequi.

FINIS PLUTI.



ARISTOPHANIS
COMŒDIÆ

IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ.

TOMUS II.



ARGENTORATI
apud Socios Bibliopolas BAUER & TREUTTEL.
MDCCLXXXI.

ARISTOPHANIS
ECCLESIAZUSÆ.

DRAMATIS PERSONÆ.

PRAXAGORA.

MULIERES QUÆDAM.

CHORUS MULIERUM.

BLEPYRUS maritus Praxagoræ.

VIR QUIDAM.

CHREMES.

VIR I. bona in medium depositurus.

VIR II. non depositurus.

VETULÆ III.

PUELLA.

ADOLESCENS.

ANCILLA.

HERUS.

PRAXAGORA, MULIERES QUÆDAM, CHORUS.

PRAXAGORA. O lucidum jubar lychni fictilis, conſpicuis in locis perquam commode ſuſpenſum, (namque tuam originem fortunasque exponemus, ô lychne; nempe rota ductus impulſu figuli, ſingulis in naribus ſplendidos Solis honores habes.) da motu tuo condicta flammæ ſigna. Tibi quippe uni aperimus conſilia noſtra; atque adeo merito, ſiquidem in cubiculis noſtris dum varias rei Venereæ ſchemas experimur, tu nobis ades, neque quisquam ex ædibus abigit oculum tuum, criſſantium corporum inſpectorem. Solus autem, ô lychne, in arcanos usque feminum receſſus luces, deuſtulans pullulantes pilos: tum etiam nobis cellas frugibus & Lyæo latice refertas furtim reſerantibus ades. Ac in hiſce omnibus adjutor quum ſis, nihil tamen vicinis enuntias. Quamobrem conſcius eris præſentium conſiliorum, quæcunque Sciris decreverunt mulieres amicæ meæ. Sed nulla earum adeſt, quas veniſſe oportuit: & tamen jamjam luceſcet hoc: actutum habebitur concio, & ſedes nobis capiendæ ſunt, ut olim Sphyromachus dixit, ſi ſatis meminiſtis: *Oportet mulieres inter viros ſedentes latere.* Quidnam autem ſit? an nondum conſuerunt barbas, quas ut haberent conſtitutum fuerat? an vero veſtes virorum ſubducere eis difficile fuerit? Atat advenientem lucernam proſpicio. Age, mihi retro huc concedendum eſt, ne forte qui horſum venit, vir aliquis ſiet.

MULIER I. Nunc eundi tempus eſt: præco enim modo prodeuntibus nobis domo altera vice cantavit.

PRAXAGORA. At ego vos opperiens noctem perpetem vigilavi. Verum age, hanc vicinam e proximo evocem, leniter ſcalpens januam. Cauto enim opus eſt, ne quid vir ejus perſentiſcat.

MULIER II. Audivi ſane, dum mihi induco calceos, ſcalptionem digitorum tuorum, quippe quæ non dormiebam; ſiquidem vir, ô mea tu, (Salaminius autem eſt quicum nupta ſum ego) tota me nocte uſque & uſque agitavit in ſtragulis. Itaque adeo illius veſtem nunc demum capere potui.

MULIER I. Atat video prodeuntem Clinaretam, & Soſtratam, & una cum iis vicinam hanc Philænetam.

PRAXAGORA. Ecquid feſtinabitis vos? Sancte enim dejeravit Glyce, quæ noſtrûm poſtrema venerit, eam tribus vini congiis & ciceruni chœnice multatum iri.

MULIER I. En, Smicythionis non vides Meliſtichen in virilibus calceis feſtinantem? Ea quidem ſola mihi videtur a viro exiſſe otioſe.

MULIER II. Quid? nonne vides cauponis uxorem Geuſiſtratam dextra lampadem tenentem, unaque Philodoreti & Chæretadæ ſponſam?

PRAXAGORA. Sed & alias bene multas video horſum tendentes, mulierum quæ ſunt in urbe excellentiſſimas quasque.

MULIER III. Ego quidem, ô dilecta, diu multumque fui ſollicita, donec e domo furtim elabi potuerim. Vir enim meus totam noctem miſere tuſſiit, trichiis here in cœna offertus.

PRAXAGORA. Sedete igitur, ut vos, quando huc omnes conveniſſe video, de iis interrogem, quæ in Sciris decreta ſunt, quo ſciam ea feceritis nec ne.

MULIER IV. Ego ſane: nam primum omnium alas habeo hirſutiores fruticeto, itidem ut convenerat. Tum vero, ſi quando vir meus ad forum ſe conferret, totum corpus perungebam, & ſic ſtans in ſole toto die excoquebar.

MULIER V. Ego quoque: novaculam enim domo ejeci extemplo, tota ut piloſa fierem, neque quicquam mihi cum muliere ſimile eſſet.

PRAXAGORA. Habetis vero barbas, quibuscum ut conveniremus, nobis omnibus edictum fuerat?

MULIER IV. Ego quidem, per Hecaten, pulchram hancce habeo.

MULIER V. Ego itidem unam, Epicratis barba non paulo pulchriorem.

PRAXAGORA. Vos autem quid autumatis?

MULIER IV. Habere se autumant: dictis enim adnuunt.

PRAXAGORA. Et quidem cetera vobis, ut video, factitata sunt: Laconicos enim calceos habetis & scipiones, vestesque viriles, prout a nobis præceptum fuerat.

MULIER VI. Ego quidem hunc Lamiæ dormientis baculum domo etiam mecum extuli.

MULIER I. Hic sane unus ex iis baculis est, quorum pressus pondere pedit Lamias. Aptus esset, per Jovem Servatorem, hic homo, si Panoptæ renonem indueret, carnificem quibus vellet modis ludificari.

PRAXAGORA. Dicite, quæso, dum adhuc astra in cœlo apparent, qui tandem ea, quæ posthæc agenda sunt, faciemus? conventus enim, ad quem nos accinximus, statim ab Aurora inchoabitur.

MULIER I. Sane Ecastor: itaque capere te sedem oportet ex adverso tribunalis, in quo Prytanes sedent.

MULIER VII. Hæc quidem mecum adtuli, ut congregata concione carminare possim.

PRAXAGORA. *Congregata?* misera.

MULIER VII. Ita sane, per Dianam. Quî enim minus bene rhetores audiam, si carminem? nudi autem mihi sunt pueri domi.

PRAXAGORA. Ecce vero carminantem! quam quidem nullum corporis membrum oportebat ostendere spectatoribus. Res vero bella & nimis jocosa nobis accideret, si frequenti in populi cœtu transcendens subsellia nostrûm quæpiam, rejecta veste eugium ostenderet. Sin priores sederimus, collectis vestibus, latebimus. Quum vero barbas demiserimus, quas illic ori nostro circumligabimus, quis, amabo, nos videns non reputaverit viros? Agyrrius enim Pronomi barbam habens, cunctos fefellit: atqui prius mulier erat: nunc autem, ut vides, summum in republica locum tenet. Quocirca, per

diem craſtinum obſecro, tam magnum audeamus facinus, ſi qua ratione urbis adminiſtrationem capere poſſimus, quo boni quidpiam in eam conferamus. Nunc enim nec velis nec remis ratem provehimus.

MULIER VII. At quæſo tandem, quonam fiet modo, ut mulierum conventus concionari poſſit?

PRAXAGORA. Sane vero nihil facilius. Quippe vulgo dictitant, eos ex adoleſcentibus, qui plurimum ſubiguntur, dicendi peritiſſimos eſſe: id autem nobis per fortem fortunam ſuppetit.

MULIER VII. Neſcio ego. Periculoſa autem res eſt inexperientia.

PRAXAGORA. Inde eſt quod huc data opera convenimus, ut ante meditemur quæ nobis illic dicenda erunt: age autem, nonne ocius barbam tibi circumligabis, tuque & ceteræ omnes, quæ in dicendo exercitæ ſunt?

MULIER VIII. Quænam autem, ô ſtulta, noſtrûm loqui neſcit?

PRAXAGORA. Age igitur, barbam tu tibi præliga, citoque vir fias. Ego autem, poſitis in medio coronis, barbam & ipſa mihi circumligabo, ſicut vos facietis, ſi forte quid dicere mihi videbitur neceſſe.

MULIER II. Age, ô dulciſſima Praxagora, aſpice ſodes, quam ridicula res videatur.

PRAXAGORA. Quî autem ridicula?

MULIER II. Veluti ſi ſepiis aſſatis barbam quis circumligaret.

PRAXAGORA. Heus luſtrator, muſtelam circumfer: prodi in medium. Ariphrades, linguam comprime, tranſi & ſedem cape. Quænam concionari vult?

MULIER VIII. Ego.

PRAXAGORA. Impone igitur capiti coronam, quod fauſtum & felix ſit.

MULIER VIII. Ecce.

PRAXAGORA. Verba facito.

MULIER VIII. Itane antequam biberim dicam?

PRAXAGORA. Ecce vero *biberim!*

MULIER VIII. Quid igitur, ô inepta, opus fuerat coronam ſumere?

PRAXAGORA. Apage te hinc. Talia fortaſſe nobis feciſſes & illic.

MULIER VIII. Sed enim nonne & viri in concione bibunt?

PRAXAGORA. En iterum *bibunt!*

MULIER VIII. Sane, per Dianam, & quidem meracius. Unde & decreta quæcunque faciunt, inſpicientibus & attente conſiderantibus inſana videntur & dementia, velut ebriorum hominum commenta. Quin etiam, per Jovem, libant: ſin minus, cujus rei gratia ita diis ſupplicarent, vinum niſi adeſſet? præterea conviciantur inter ſeſe, quaſi bene appoti; temulentosque, qui ſe gerant indecore, efferunt e cœtu lictores.

PRAXAGORA. Abi, abi ſis & ſede: mulier enim nihili es.

MULIER VIII. Ecaſtor næ mihi ſatius erat barbam non ſumere: ſiti enim, opinor, nunc miſeræ mihi diſſilient viſcera.

PRAXAGORA. Eſtne veſtrûm alia quæ velit dicere?

MULIER IX. Ego.

PRAXAGORA. Age ergo coronare: res quippe nunc agitur: daque operam ut viriliter & probe dicas, baculo decore innixa.

MULIER IX. *Profecto optaſſem quempiam eorum, qui dicendo aſſueti ſunt, ea dicere, quæ optima ſint, ut ſederem otioſus: at nunc ne unam cauponam ſivero, quantum quidem mea ſententia valuerit, in diverſorio ſuo lacus aquæ facere. Mihi quidem non placet, per Cererem & Proſerpinam —*

PRAXAGORA. *Per Cererem & Proſerpinam?* O miſera, ubinam tibi mens eſt?

MULIER IX. Quid vero eſt? Nondum enim a te petii bibere.

PRAXAGORA. Non ſane: ſed, quum vir ſis, per Cererem & Proſerpinam juraſti: quanquam cetera lepidiſſime locuta es.

MULIER IX. O per Apollinem!

PRAXAGORA. Deſine, quæſo: fruſtra enim concioni interfuerim, nihilque promoverim, niſi mos loquendi accurate obſervatus fuerit.

MULIER IX. Cedo coronam: nam rursus concionabor. Videor enim mihi satis apte quippiam meditata. *Mihi enim, ô mulieres, quæ hic sedetis* --

PRAXAGORA. *Mulieres* rursus, ô misella tu, compellas, quæ viros compellare debes.

MULIER IX. Erroris causa est Epigonus iste. Quippe eo respiciens, coram mulieribus dicere me putabam.

PRAXAGORA. Facesse hinc tu quoque, & posthac sede: ego enim ipsa, ut videor, sumta hac corona, vestrûm omnium causa concionabor, deos primum precata, ut, quæ constituimus, ad felicem exitum perducam. *Æque ad me adtinet hujus regionis cura, atque ad vos. Doleo autem & fero iniquo animo omnia urbis nostræ incommoda: quippe illam video præfectis utentem perpetuo malis: eorumque si quispiam vel diem unum bonus sit, totos decem dies malus est. Alii fortassis commiseris rempublicam? plura etiam mala facit. Difficile autem viros morosos monere; vos, inquam, ô cives, qui reformidatis eos, qui vos amare volunt: iis autem, qui amare nolunt, supplicatis perpetuo. Fuit tempus, quum conciliis nullo modo uteremur, sed Agyrrium pravum hominem censebamus: nunc autem, quum iis utamur, alius quidem accipiens pecuniam, id mirum in modum laudat; qui vero non accipit, eos morte dignos deputat, qui in conciliis mercedem ferunt.*

MULIER I. Per Venerem, hæc belle dicis.

PRAXAGORA. Misera, *Venerem* nominasti. Lepida vero & jocosa nobis faceres, in concione si id diceres.

MULIER I. At non dicerem.

PRAXAGORA. Ne igitur nunc assuesce dicere. *Præterea confœderationem hanc quum considerabamus, deque ea deliberabamus, vulgo diditabant perituram civitatem, si minus illa fieret: postquam inita est, indigne ferre cœperunt: rhetorum autem ille, qui eam suaserat, extemplo fugiens abiit. Naves in mare deduci, satis placet inopi: divitibus autem & agricolis non placet. Corinthiis succensetis: illi autem tibi, ô popelle, boni & commodi sunt: iis*

tidem commodus esto. Argeus rudis est, Hieronymus autem sapiens. Salus leviter caput exseruit, at illam respuitis, ne Thrasybulum ipsum advocantes.

MULIER I. Eugepæ, quam prudens vir!

PRAXAGORA. Nunc, ut decet, laudasti. *Vos enim, ô populi, horum omnium causa estis, qui pecuniam publicam in mercedem vestram fertis. Privatim singuli spectatis, quod quisque lucrabitur; commune autem, quemadmodum Æsimus, volvitur. Atqui si mihi auscultaveritis, adhuc servabimini. Mulieribus enim aio oportere vos urbem nostram tradere: etenim illis domi procuratricibus & dispensatricibus utimur.*

MULIER II. Bene, bene, per Jovem, bene. Perge, ô bone.

PRAXAGORA. *Ut autem melius quam nos moratæ sunt, ego docebo. Primum enim cunctæ lavant lanas aqua calida pro more veteri: neque temere novi quid tentantes ipsas videas. Athenienstum vero civitas, si hoc bene teneret, nonne servaretur, nisi quid aliud novi curiose frustraque adiitaret? Sedentes illæ frigunt obsonia, sicut & prius: capite ferunt, sicut & prius: Thesmophoria agunt, sicut & prius: viros suos male habent, sicut & prius: adulteros domi habent, sicut & prius: & ut illis dent, obsonantes fallunt, sicut & prius: vinum meracum amant, sicut & prius: subagitatæ gaudent, sicut & prius. His igitur, ô viri, urbem tradentes, non est, quod frustra argutemur; neque rogitemus, quid illæ acturæ sint: sed omnimodo sinamus illas imperare, hoc unum considerantes, quod videlicet matres quum sint, milites servare cupiunt. Dein cibaria quisnam melius submittat, quam quæ peperit? ad parandas divitias solertissimum est muliebre ingenium; & mulier si imperet, haud unquam facile decipiatur: quippe illæ decipere assuetæ sunt. Cetera quidem omittam: in his autem si mihi fidem habueritis, felices vitam omnem degetis.*

MULIER I. Bene, ô jucundissima Praxagora, & ingenioſe. Unde quæso hæc, ô bona, didicisti tam callide?

PRAXAGORA. Fugarum tempore cum viro habitavi in Pnyce:

tum sæpius ibi audiens rhetorum conciones, & ipsa concionari didici.

MULIER I. Non temere igitur, ô bona, dicendi perita es & sapiens; & te ducem mulieres abhinc eligimus, si hæc, quæ cogitas, facies. Verum si Cephalus irruens convicietur tibi, quo modo ei in concione contradices?

PRAXAGORA. Eum dicam delirare.

MULIER I. At hoc norunt omnes.

PRAXAGORA. Sed & atra bile percitum esse.

MULIER I. Hoc itidem sciunt omnes.

PRAXAGORA. Præterea & acetabula male fingere, rempublicam autem bene & pulchre.

MULIER I. Quid si Neoclides lippus probra tibi ingerat?

PRAXAGORA. Huic ego dicam, ut in canis culum inspiciat.

MULIER I. Quid, si te pulsent?

PRAXAGORA. Ego contra movebor, utpote quæ non imperita sim plurimarum pulsationum.

MULIER I. Hoc unum a nobis provisum non est: si te lictores trahant, quid tandem facies?

PRAXAGORA. Subnixis sic alis reluctabor: neque enim media prehendar.

MULIER I. Nos autem, si te sublimem rapiant, amittere jubebimus.

MULIER II. Hæc quidem nobis pulchre cogitata sunt: illud vero non prævidimus, quonam modo manus tollere tunc meminerimus: quippe non manus, sed pedes tollere adsuetæ sumus.

PRAXAGORA. Res ista difficilis est: tamen extendendæ manus ab humero nudantibus alterum brachium. Nunc autem agite, vestes succingite, induamini citissime Laconicos calceos, quemadmodum virum videtis, quum in concionem, aut foras singulis diebus iturus est. Tum vero, quum ea se bene habuerint, barbas vobis adligate. Quum vero bene compositæ illas scite aptaveritis vobis, tunc etiam virorum pallia, quæ subduxistis, ceteris superinjicite, & baculis innixæ, incedite, canticum aliquid senile canentes, more rusticorum incitatæ.

MULIER II. Bene autumas: nos autem præeamus illis. Nam & alias puto ex agris in Pnycem venturas exadvorſum mulieres.

PRAXAGORA. Verum feſtinate. Quippe mos eſt, ut qui uſque a mane in Pnyce non adfuerunt, abeant ne minimum quidem lucri referentes.

CHORUS. Progrediendi tempus eſt, ô viri; id enim nos memores dicere perpetuo oportet, ne forte nobis excidat: neque enim mediocre periculum nobis adſit, ſi deprehendamur aggreſſæ tale facinus in tenebris.

SEMICHORUS. Eamus in concionem, ô viri; nam interminatus eſt Theſmotheta ei, qui non primo mane, offuſis etiamnum tenebris ſuper terram, venerit pulvere conſperſus præ feſtinatione, acerba tuens, alliata muria contentus, ei inquam, non daturum ſe tres obolos. Sed, ô Charitimida, tuque Smicythe, & Drace, ſequere feſtinabunde, operam dans, ut nihil aberres ab iis, quæ te illic effecta dare neceſſe eſt. Ceterum ſymbolo accepto prope invicem ſedeamus, ut ea decernamus omnia, quæ amicarum noſtrarum in rem bene conducant. At vero quid loquor? *amicorum* enim dicere debueram.

SEMICHORUS. Vide autem ut propellamus iſtos, qui ex Aſtu veniunt; qui quidem antehac, quum unicum obolum acciperent ad concionem venientes, ſedebant confabulantes: nunc autem præ turba moleſti ſunt. At enim quum Archon erat generoſus ille Myronides, nemo auſus fuiſſet e reipublicæ adminiſtratione mercedem ferre: ſed veniebat unusquisque in ſacculo habens potum ſimul panemque & duas cepas, tresque olivas circiter. Nunc autem triobolum accipere poſtulant, quum aliquid publicæ rei faciunt, quaſi viles operarii, qui lutum ferunt.

BLEPYRUS, VIR QUIDAM, CHREMES, CHORUS, PRAXAGORA.

BLEPYRUS. Quid hoc rei eſt? Quonam mihi uxor evanuit? nam circa Auroram dies eſt; illa autem non apparet. At ego jaceo jamdiu cacaturiens, ſoleas quæritans in tenebris & pallium: poſtquam autem illud manibus ſtudioſe tentando non potui invenire, jam vero januam aderat pultans Copræus, hoc ego uxoris meæ amiculum capio, ejusque Perſicas induo. Sed ubinam locus eſt ſecretus? ubinam commode cacaverim? at ſane noctu ubicunque cacare vacat: neque enim me quiſquam nunc cacantem viderit. Hei miſero mihi, quod, ſenex quum eſſem, duxerim uxorem! quot ego verberibus plecti dignus ſum! Neutiquam enim boni quidpiam actura exiit. Verum utut hæc ſunt, interim cacandum eſt tamen.

VIR QUIDAM. Quis illic eſt? nonne Blepyrus vicinus? Per Jovem ille ipſus eſt. Dic mihi, quid ſibi vult hoc rubrum quo contegeris? an te Cineſias alicunde concacavit?

BLEPYRUS. Minume: ſed cum uxoris meæ crocotula, quam illa induere ſolet, domo exii.

VIR. Pallium vero tuum ubinam eſt?

BLEPYRUS. Dicere nequeo; in ſtragulis enim diu quæſitum non reperi.

VIR. Quid poſtea? tu non uxori imperaſti ut diceret?

BLEPYRUS. Non per Jovem: quippe imus non eſt: ſed clam me evaſit domo. Quamobrem metuo ne quid mali deſignet.

VIR. Per Neptunum, eadem tibi prorſus eveniunt, quæ mihi. Uxor etenim mea diſparuit, ſumto pallio, quod ego ferre ſoleo. Neque hoc me modo male habet; ſed & calceos ipſos abſtulit: nullibi enim eos reperire potui.

BLEPYRUS. Per Bacchum, nec ego meas Laconicas: ſed ſicut eram cacaturiens, pedibus in cothurnos immiſſis huc feſtinavi, ut ne cacarem in læna, quippe quæ recens lota & nitida eſt.

VIR. Quid, quæſo, illud ſit? num ad prandium eam amicarum quæpiam vocavit?

BLEPYRUS. Mea quidem ſententia: non enim malis morata eſt moribus, quod quidem ſciam.

VIR. At tu funem cacas. Mihi vero tempus eſt abeundi in concionem, ſi modo cepero pallium, quod mihi unicum eſt.

BLEPYRUS. Ego itidem, ubi cacavero: nunc autem pirum quoddam ſilveſtre occludens mihi podicem retinet cibos.

VIR. Num pirum illud eſt, quod Laconicis dixit Thraſybulus?

BLEPYRUS. Per Bacchum, tenaciter mihi adhæreſcit. At enim quid agam? nec enim ſolum me angit hoc præſens malum: ſed quando edero, quonam mihi abibit dehinc ſtercus? Nunc enim hic, quicunque tandem ille ſit Achraduſius vir, oſtium obſeravit. Quis igitur medicum mihi arceſſat, & quem? quis eorum, qui clunibus operam dant, artis eſt peritiſſimus? hanc ſane callet Amynon, at fortaſſe negabit. Antiſthenem quiſpiam huc evocet omni modo: hic enim homo, ut facile conjicias, ſi ingemiſcentem audias, novit quid ſibi velit culus cacaturiens. O veneranda Lucina, ne me ſiris diſrumpi obſerato podice, ut ne fiam laſanum comicum.

CHREMES. Heus tu, quid facis? num cacas?

BLEPYRUS. Egone? non equidem hercle amplius; ſed reſurgo.

CHREMES. Quid vero uxoris tuæ amiculum induiſti?

BLEPYRUS. Quippe illud temere in tenebris intus cepi. At unde agis te, quæſo?

CHREMES. E concione.

BLEPYRUS. Jamne ergo dimiſſa eſt?

CHREMES. Ita hercle, & quidem diluculo. Et pro Jupiter! plurimum riſum præbuit rubrica, quam undique ſparſerant.

BLEPYRUS. Proinde triobolum accepiſti.

CHREMES. Utinam vero! ſed tardior veni; unde hercle me

piget pudetque, quum præter inanem ſaccum nihil reportem domum.

BLEPYRUS. Quæ vero fuit cauſa?

CHREMES. Plurima hominum turba, quanta nunquam venit ſimul in Pnycem. Et ſane quum illos intueremur, cunctos pro ſutoribus coriariis habuimus. Quippe mirum in modum alba videbatur illa multitudo, quæ concionem replebat. Itaque non accepi triobolum, neque plurimi alii.

BLEPYRUS. Nec igitur ego acciperem, ſi nunc irem?

CHREMES. Quidum? non pol, etiamſi eo profectus fuiſſes, quum ſecunda vice cecinit gallus.

BLEPYRUS. Væ miſero mihi! *Antiloche, me viventem lugeas, magis quam triobolum: nullus enim ſum ego.* Verum quæ res fuit, cur tanta turba mature adeo convenerit?

CHREMES. Quid aliud, quam quod Prytanibus viſum eſt de ſalute reipublicæ ſententias rogare? Tum ſtatim primus Neoclides lippus prodiit: dein populus exclamat, quam putas valide? *Nonne indignum eſt audere hunc concionari, quum præſertim de ſalute reipublicæ agatur, qui ſibi palpebrarum pilos non potuerit ſalvare?* Ille autem reclamans & circumſpectans ait: *Quid enim me facere oportuit?*

BLEPYRUS. *Allia ſimul terentem cum ſilphio, Laconicumque miſcentem tithymallum, tibi inungere veſperi ſupercilia*, ei dixiſſem ego, ſi adfuiſſem.

CHREMES. Poſt hunc Euæon, ille ingenioſiſſimus, proceſſit nudus, ut quidem pleriſque videbatur: ipſe enim negabat ſe pallium habere. Deinde orationem habuit maxume popularem. *Videtis quidem*, inquit, *me ipſum quoque ſalutis egentem quatuor ſaterum: nihilominus dicam, quomodo rempublicam & cives ſervetis. Si enim indigentibus lænas præbeant fullones, ſtatim incipiente bruma, laterum dolor neminem noſtrûm capiat unquam. Quibuscunque autem lectus non eſt, nec ſtragulæ veſtes, eant illi apprime loti dormitum apud pellionum aliquem: is vero januam ſi claudat hiemis tempore, tribus ſcorteis penulis multetur.* BLEPYRUS.

BLEPYRUS. Per Bacchum, satis commoda. Si & hæc adjecisset, nemo, opinor, contra decrevisset; ut farinæ venditores scilicet indigentibus tres chœnices in cœnam præberent omnibus: sin minus, plurimum plorarent; ut id fructus & commodi plebs a Nausicyde ferat.

CHREMES. Posthæc autem formosus juvenis quidam, candido vultu, prosiluit, Niciæ similis, ut concionem haberet, & occepit dicere: *Oportere rempublicam mulieribus mandari.* Tum tumultuari cœpit furoria multitudo & clamare, *bene ipsum & apte dicere*: at ii, qui ex agris venerant, reclamarunt.

BLEPYRUS. Mentem enim habebant, per Jovem.

CHREMES. Verum inferiores erant numero: ille autem magis magisque vociferabatur, de mulieribus quidem bona plurima dicens, de te vero mala plurima.

BLEPYRUS. Quid autem dixit?

CHREMES. Primumdum dixit te versipellem & fraudulentum.

BLEPYRUS. Et te?

CHREMES. Ne adhuc me istud roges. Dein furem.

BLEPYRUS. Me solum?

CHREMES. Immo hercle & sycophantam.

BLEPYRUS. Me solum?

CHREMES. Immo hercle vero horuncce omnem multitudinem.

BLEPYRUS. Hoc quidem quis infitias iverit?

CHREMES. At feminam dicebat rem esse sapientia plenam, & parandis divitiis aptam: nec illas arcana ex Thesmophoriis identidem efferre: te vero & me ex curia, quidquid Senatus decrevisset, efferre dicebat.

BLEPYRUS. Et sane, per Mercurium, id mentitus non est.

CHREMES. Deinde mutuas inter se dare vestes, aurum, argentum, pocula, idque solas solis, non coram testibus, & ea omnia reddere, neque invicem fraudare; quod nostrum plurimos facere prædicabat.

BLEPYRUS. Sane, per Neptunum, & quidem coram testibus.

CHREMES. Tum mulieres neminem criminari, aut in jus vocare, neque popularem ſtatum evertere. Sed multa & bona aliaque quam plurima de mulieribus bene dicebat.

BLEPYRUS. Quid tandem decretum eſt?

CHREMES. Committi rempublicam illis: id enim unum videri quod in urbe noſtra nondum factum ſit.

BLEPYRUS. Ac decretum eſt?

CHREMES. Ita dico.

BLEPYRUS. Eaque omnia illis committuntur, quæ viris antehac curæ erant?

CHREMES. Ita ſe hæc habent.

BLEPYRUS. Neque ego amplius in foro jus dicam, ſed uxor?

CHREMES. Neque tu, quos habes liberos, ales in poſterum, ſed uxor.

BLEPYRUS. Neque ſuſpirare diluculo amplius opus erit mihi?

CHREMES. Non, per Jovem; ſed mulieribus ea curæ ſunt: tu autem ſecurus ſine gemitu pedens domi manebis.

BLEPYRUS. Hoc unum timendum eſt nobis æqualibus, ne ſcilicet illæ, ubi reipublicæ habenas ſuſceperint, tum nos vi cogant —

CHREMES. Nam quam rem?

BLEPYRUS. Subagitare ipſas.

CHREMES. Si vero non poſſumus?

BLEPYRUS. Prandium non dabunt.

CHREMES. Tu vero iſtuc hercle age, ut prandeas & futuas ſimul.

BLEPYRUS. Nihil tam odioſum eſt, quam invitum aliquid facere.

CHREMES. Verum ſi reipublicæ iſtud conducit, id viros omnes facere oportet. Nam & quoddam ſeniorum dictum circumfertur, nempe: *Quæcunque ſtulta & fatua decreverimus, ea omnia nobis in melius converti.* Atque utinam ita contingat, & convertantur quidem, ô veneranda Pallas & dii ceteri. Verum abeo: tu autem vale.

BLEPYRUS. Et tu, ô Chreme.

CHORUS. Incede, progredere: an eſt quisquam virorum, qui

nos ſequatur? converte te & adſpice: cuſtodi te caute, multi enim ſunt hîc fraudulenti & verſipelles, ne quis a tergo habitum noſtrum obſervet. Sed pedibus quam pote plurimum ſonans incede. Nobis enim dedecus afferat omnibus ea res, ſi a viris deprenſa fuerit. Quamobrem ſuccinge te, circumquaque obſervans, & illuc, & huc ad dextram, ne hæc res infortunio nobis ſit. Sed feſtinemus: namque prope illum jam ſumus locum, unde in concionem perreximus, quum eo ivimus. Quin conſpicitur jam domus, ex qua eſt dux illa, egregium commenta facinus, quod comprobarunt cives. Itaque non eſt, ut amplius cunctemur opperiéntes, barbasque mento aptatas habentes, ne quis forte nos videat, & medium in agmen noſtrum involet. Sed age huc in umbra accedens ad parietem, limis reſpiciens, rurſus habitum muta, & compone te ad eundem modum, quo antea culta eras: & ne cuncteris: quippe jam ducem noſtrûm omnium e concione venientem videmus. Sed feſtina omnis, & tædeat te barbam amplius habere, præſertim quum illæ adveniant veſtem ſolitam jam pridem indutæ.

PRAXAGORA. Hæ nobis res, ô mulieres, proſpere ceſſerunt, de quibus deliberavimus. Sed quam citiſſime antequam nos vir quiſpiam videat, projicite penulas: faceſſat hinc virilis calceus, Laconicorum laxate colligata lora, baculos dimittite. Ac tu quidem iſtas mulieres compone: ego vero volo intro ſubrepens, priusquam vir me videat, pallium ejus reponere eo, unde ſumſi, ut & alia, quæ domo extuli.

CHORUS. Omnia quæ dixti, jam compoſita ſunt: tuum autem eſt deinceps docere, quidnam agentes conducibile tibi videbimur recte auſcultare. Nunquam enim cum ulla muliere, quæ te peritior acriorque eſſet, ſcio me congreſſam fuiſſe.

PRAXAGORA. Opperimini nunc, ut ejus imperi, quod mihi modo mandatum eſt, vobis conſiliariis utar; ſi quidem illic in medio tumultu & rebus aſperis fortiſſimas vos experta ſum.

CHORUS. *(Deeſt Chori canticum.)*

BLEPYRUS, PRAXAGORA, CHORUS.

BLEPYRUS. Heus tu, unde venis, Praxagora?

PRAXAGORA. Quid tua, ô bone, interest?

BLEPYRUS. Quid mea interfit? quam inepte hoc rogas!

PRAXAGORA. Saltem de mœcho aliquo non mihi narrabis.

BLEPYRUS. Non de uno forte.

PRAXAGORA. Atqui istud tibi explorare licet.

BLEPYRUS. Quo modo?

PRAXAGORA. Si capite unguentum redoleo.

BLEPYRUS. Quid vero? non subagitatur etiam mulier absque unguento?

PRAXAGORA. Non ecastor ego.

BLEPYRUS. Cur igitur & quonam abiisti diluculo, subducto mihi pallio?

PRAXAGORA. Mulier quædam socia & amica nocte me arcessivit parturiens.

BLEPYRUS. Itane non poteras, priusquam eo ires, rem mihi dicere

PRAXAGORA. Mulieri præsto esse oportebat, cui tam prope instabat partus.

BLEPYRUS. Saltem mihi dixisses. Sed subest hìc aliquid mali.

PRAXAGORA. Non, per Cererem & Proserpinam. Sed sicut tum eram, abii. Rogabat enim ea, quæ me arcessebat, ut quam citissime possem, ad sese irem.

BLEPYRUS. Itane vero non oportebat te vestimenta tua sumere? sed postquam me meis exueras, injecto mihi tuo amiculo, abiisti, relinquens me tanquam mortuum, nisi quod non coronasti me, neque lecythum adposuisti.

PRAXAGORA. Frigus enim erat; ego autem gracilis & paulo infirmior; ideoque ut calefierem, ista indui: te vero in calore jacentem & stragulis reliqui, mi vir.

BLEPYRUS. Laconicæ autem meæ tecum abierunt, & baculus meus simul.

PRAXAGORA. Ut pallium tuerer, meos cum tuis calceos mutavi, te imitans, & pedibus sonans, & lapides feriens baculo.

BLEPYRUS. Scin' igitur amisisse te tritici sextarium, quem ego accepissem, si concioni interfuissem?

PRAXAGORA. Ne sollicitus sis: nam marem peperit puerum.

BLEPYRUS. Concio?

PRAXAGORA. Non ecastor: sed mulier illa ad quam ivi. Verum, amabo, habitane est concio?

BLEPYRUS. Ita hercle. Non memineras me tibi heri dixisse?

PRAXAGORA. At enim nunc reminiscor.

BLEPYRUS. Nec igitur quæ illic decreta sunt nosti?

PRAXAGORA. Pol horum nihil novi.

BLEPYRUS. Sede igitur sepias esitans. Vobis enim rempublicam mandatam esse dicunt.

PRAXAGORA. Quid ut faciamus? texamus?

BLEPYRUS. Non hercle; sed ut administretis.

PRAXAGORA. Quænam?

BLEPYRUS. Res omnes, quæ ad civitatem adtinent.

PRAXAGORA. Per Venerem, beata erit civitas in posterum.

BLEPYRUS. Quamobrem?

PRAXAGORA. Multis de causis. Non enim audacibus viris licebit turpia in eam & indigna patrare deinceps, neque ullo modo testimonium falsum dicere, neque criminari.

BLEPYRUS. Neutiquam, per deos obsecro, istuc feceris, neque mihi victum meum auferas.

CHORUS. O mi homo, sinito uxorem dicere.

PRAXAGORA. Non despoliatorem esse, non invidere vicinis; neminem nudum, neminem pauperem esse, non conviciari, non pignora a debitoribus auferre.

CHORUS. Per Neptunum, magna pollicetur, nisi mentiatur.

PRAXAGORA. At id ego effectum dabo, ita ut vera dixisse mihi tute sis testis, & hic ipse nihil contradicere possit.

CHORUS. Nunc demum illud est, quum te prudentem animum & philosophicam cogitationem excitare oportet, scientem mulieribus amicis succurrere. Ad communem enim felicitatem adhibenda tibi est linguæ solertia, quæ civilem populum adornet infinitis prosperitatibus vitæ, & demonstret, quid occasio possit. Indiget quippe sapienti quopiam commento respublica nostra. At perfice modo res, quæ nec factæ unquam, neque commemoratæ fuerint antea. Oderunt enim nostri homines, si vetera sæpius spectent. Sed non cunctandum: quin potius commentationes ejus rei aggrediendæ sunt. Nam cito quidpiam agere, valde gratiosum est apud spectatores.

PRAXAGORA. Atqui commoda me suaturam esse confido spectatoribus, si mavelint novi quidpiam sequi, quam moribus antiquis adhærere. Hoc est quod maxume formido.

BLEPYRUS. De novarum quidem rerum studio ne metuas: has enim sectari, nobis pro alio quovis imperio est, ut & veterum rituum neglegentes esse.

PRAXAGORA. Ne igitur quispiam vestrûm mihi contradicat, neque me prius interpellet, quam commentationem meam noverit, & me audierit loquentem. Quippe dicam omnes oportere omnibus uti communiter, omniumque rerum participes esse, & ex iisdem bonis vivere; non autem hunc divitem, illum vero miserum esse; neque hunc magnum agrum colere, illi vero ne satis quidem terræ esse sepeliendo cadaveri; neque servis hunc compluribus uti, illum autem ne pedisequum quidem habere. Sed unum omnibus communem victum faciam, eumque similem.

BLEPYRUS. Quomodo igitur omnibus communis erit?

PRAXAGORA. Comedes stercus prior me.

BLEPYRUS. Et stercoris etiam participes erimus?

PRAXAGORA. Non ecastor mea hæc est sententia: sed me interpellasti. Hocce enim dictura eram: nempe agros primo faciam

omnibus communes, & pecunias, & alia quæ uniuscujusque sunt. Dein ex illis omnibus, factis communibus, vos omnes alemus, dispensantes & parcentes, & animum adtendentes.

BLEPYRUS. At quomodo qui agros non possidet, pecuniam vero & Daricos, opes scilicet occultas —

PRAXAGORA. Hæc in medium deponet, & qui non deposuerit, pejerabit.

BLEPYRUS. Quippe & pejerando quæsivit.

PRAXAGORA. Sed ei prorsus non conducet.

BLEPYRUS. Quamobrem?

PRAXAGORA. Nemo enim quicquam paupertatis causa faciet: quippe omnes omnia habebunt, panes, salsamenta, placentas, læenas, vinum, corollas, cicer. Quocirca quid lucri esset non deponenti omnia in commune? tu, si quid excogites, fac palam.

BLEPYRUS. Nonne & nunc ii plurimum furantur, quibus hæc omnia suppetunt?

PRAXAGORA. Antea quidem, ô amice, quum prioribus legibus utebamur: nunc autem, erit enim ex communi victus omnibus, quidnam emolumenti erit non deponenti?

BLEPYRUS. Si puellam conspicatus, eam cupiat, velitque clam molere, habebit quod det, ex his bonis sumens: communium autem participabit, cum ea dormiens.

PRAXAGORA. At enim ei licebit gratiis una dormire. Namque faciam, ut illæ communes cum viris cubent, & cuilibet volenti liberos pariant.

BLEPYRUS. Quomodo autem, si omnes iverint ad formosissimam illarum, & postulabunt eam subagitare?

PRAXAGORA. Fœdiores & simæ juxta lepidiores sedebunt: tum si quis harum aliquam cupiet, deformem prius inibit.

BLEPYRUS. At quomodo nos seniculos, si cum turpioribus simus, non ante nos deficiet penis, quam eo perveniatur, quo nobis eundum dicis?

PRAXAGORA. Non pugnas ciebunt formosæ.

BLEPYRUS. Qua de re?

PRAXAGORA. Bono animo es, ne formida, non pugnabunt.

BLEPYRUS. Qua de re, inquam?

PRAXAGORA. Ut vobiscum congrediantur. Et tibi quidem posita hæc lex est: quæ autem ad nos pertinet solerter excogitata est. Quippe ita cautum & consultum est, ne cujus feminæ foramen vacuum sit.

BLEPYRUS. Viri autem quid facient? nam fugient illæ viros deformes, & ad formosos se conferent.

PRAXAGORA. At fœdæ observabunt formosos, quum abibunt a cœna: itidem deformes illi observabunt in foro & aliis locis publicis: neque licebit feminis cum formosis viris cubare, priusquam deformibus & pumilis copiam sui fecerint.

BLEPYRUS. Nunc igitur Lysicratis nasus æque ac formosi juvenes superbiet.

PRAXAGORA. Sane, ita me Apollo amet. Hoc quidem decretum oppido populare est, & mera irrisio superborum, eorumque qui anulos gerunt, quum embas eis dicet: *Heus tu, seniori cede, & coram opperire dum ego, peracta re, tibi secundas partes exigendas dabo.*

BLEPYRUS. Quomodo igitur, nobis sic viventibus, unusquisque liberos suos dignoscere potis erit?

PRAXAGORA. Quid opus est? Quippe suos patres existimabunt eos omnes esse qui ætate provectiores erunt.

BLEPYRUS. Itaque bene & naviter in posterum senem omnem præfocabunt præ ignorantia, quandoquidem & nunc patrem cognoscentes, strangulant tamen. Quid? quum ignotus erit parens, quomodo non tunc eum male concacabunt?

PRAXAGORA. Sed qui forte illic aderit, non permittet. Olim quidem non erat eis cura patrum alienorum, quicunque illos verberaret: at nunc si quis seniorem percussum audierit, timens ne parentem ipsum suum is pulset, talia facientibus adversabitur.

BLEPYRUS. Hæc quidem omnia non insulse dicis: verum si

Epicurus accedens, aut Leucolophas patrem me vocitet, id mihi grave ſit audire.

PRAXAGORA. At aliud longe eſt iſtoc gravius.

BLEPYRUS. Quidnam!

PRAXAGORA. Si te Ariſtyllus oſculetur, te ſuum patrem eſſe dictitans.

BLEPYRUS. Fleret ſane & ejularet.

PRAXAGORA. At tu oleres calamintham. Verum ille natus eſt, antequam decretum hoc fieret: quamobrem fruſtra metuas, ne te oſculetur.

BLEPYRUS. Id ſane graviter ferrem. Terram autem quis colet?

PRAXAGORA. Servi. Tibi autem curæ erit, quum jam decempedalis erit umbra ſolarii, uncte & laute ire ad cœnam.

BLEPYRUS. De veſtibus autem, quæ ratio earum parandarum erit? id enim ex te ſciſcitari lubet.

PRAXAGORA. Quæ quidem vobis nunc ſunt, iis utemini: in poſterum autem vobis alias texemus.

BLEPYRUS. Unum adhuc a te quæſitum volo. Si quis multam alicui debeat, a magiſtratibus damnatus, undenam hanc ſolvet? non enim æquum eſt e publica pecunia.

PRAXAGORA. Sed enim primo ne lites quidem erunt.

BLEPYRUS. Hoc vero quam multos homines peſſumdabit!

PRAXAGORA. Hoc quoque ego decretum feci. Nam cujus rei cauſa, ó miſer, lites eſſent?

BLEPYRUS. Plurimarum ſane, per Apollinem: primum enim hujuſce; ſi quis aliquid cuipiam debens neget.

PRAXAGORA. At fœnori qui pecuniam daret, unde eam ſumeret, rebus omnibus in commune depoſitis? manifeſtarius fur eſſet ſcilicet.

BLEPYRUS. Per Cererem, bene doces. Hoc igitur dicito mihi: qui alios verberabunt, unde injurias perſolvent, quum bene appoti obvios male mulcaverint? de hoc enim ambigere te arbitror.

PRAXAGORA. A maza, quam ipſus edit: hanc enim quum quis ei ademerit, non facile deinceps injuriam faciet, ſic ventre multatus.

BLEPYRUS. Nec etiam fur erit ullus?

PRAXAGORA. Quî enim furabitur, qui omnium ſit particeps?

BLEPYRUS. Neque obvios nócte ſpoliabunt?

PRAXAGORA. Non pol, ſi domi dormias; nequidem ſi foris, ut antea. Victus enim omnibus ſuppetet. Si quis autem alium ſpoliare velit, is ultro veſtimenta ſua dabit: quid enim ei opus eſſet repugnare? quippe meliora prioribus illis ex communi accipiet.

BLEPYRUS. Neque etiam alea ludent homines?

PRAXAGORA. Nam cujus lucri gratia id quis faceret?

BLEPYRUS. Quam vero vitæ rationem inſtitues?

PRAXAGORA. Communem omnibus. Urbem enim me facturam dico inſtar unius habitationis, omnia in unum committendo, ita ut alter in alterius ædes facile ingrediatur.

BLEPYRUS. Cœnam autem ubi adpones?

PRAXAGORA. Fora Judicialia & porticus virorum cœnacula faciam.

BLEPYRUS Tribunal autem ad quid utile erit?

PRAXAGORA. Super illud imponam crateras & aquales: & ſtantes in eo pueri bellica laude clarorum virorum fortia canent facta, timidorumque, ſi qui fuerint, probra, ut pudore ſuffuſi a cœna abſtineant.

BLEPYRUS. Per Apollinem, rem feſtivam narras. Vaſcula autem, in quæ ſortes conjiciuntur, ubinam repones?

PRAXAGORA. In foro ea ponam; tum ſtans juxta ſtatuam Harmodii ſorte omnes ducam, donec ſortitus gaudens abeat, ſciens in qua litera cœnaturus ſit: & præco eos proclamabit, qui ex litera *Beta* erunt, ut in porticum Baſilicam ſequantur cœnaturi; eos autem qui ex *Theta* erunt, in eam, quæ inde denominatur; eos vero, qui ex *Kappa* erunt, in porticum ut eant, ubi frumentum venale.

BLEPYRUS. Frumento ut ſe ingurgitent?

PRAXAGORA. Non ecaſtor: ſed ut ibi cœnent.

BLEPYRUS. Cui autem litera educta non fuerit, secundum quam cœnet, eos omnes expellent?

PRAXAGORA. At id apud nos non erit: quippe omnia omnibus copiosa præbebimus, ita ut unusquisque cum corolla facem sumens e convivio abeat ebrius: porro mulieres in biviis occurrantes iis, qui a cœna redibunt, hæc dicent: *Huc ad nos deflecte: hîc apud nos formosa puella est. Apud me quoque*, alia inquiet, desuper ex cœnaculo, *& quidem pulcherrima & candidissima: prius tamen oportet te mecum quam cum ea cubare.* Formosos autem & adulescentulos secutæ deformiores talia dicent: *Heus tu, quo curris? prorsus nihil ages, quum illuc veneris: nam lege sancitum est, ut lepidas simi & turpes priores futuant, vos autem interea foliæ bifera sici capientes in vestibulis masturbemini.* Age nunc dicito mihi, placentne hæc vobis?

BLEPYRUS. Admodum.

PRAXAGORA. Itaque in forum mihi eundum est, ut accipiam bona in commune deponenda, adsumta præconissa quapiam maxime vocali. Hæc enim me facere necesse est, quæ dux reipublicæ electa fui: opus est præterea, ut convivales cœtus constituam, ut celebretis primum hodie convivium.

BLEPYRUS. Jam enim convivabimur?

PRAXAGORA. Ita dico. Tum vero meretrices coërcere volo omnes, earumque quæstui finem imponere.

BLEPYRUS. Quamobrem?

PRAXAGORA. Manifesta res est: ut decerpamus ipsæ florem adulescentulorum. Nec famulas ornatas oportet ingenuarum Venerem intercipere, sed cum servulis tantum cubare catonacam gestantibus, iisque ut placeant cunnum sibi vellere.

BLEPYRUS. Age ergo, tecum ibo comes juxta latus, ut obviorum convertam in me oculos, & mihi dicant: *Nonne suspicitis hunc Præfectæ nostræ maritum?*

CHORUS. *(Deest canticum Chori.)*

VIR I. bona in medium depositurus, VIR II. non depositurus, PRÆCO, CHORUS.

VIR I. Ego quidem ut in forum supellectilia feram parabo, & substantiam omnem recensebo. Heus tu, cinachyra, huc bella belle prodi foras, rerum mearum prima, ut bene trita caniſtrigeræ vicem obeas, tu quæ multos jam meos saccos evertisti. Ubinam est sellifera? olla huc exi: sane hercle nigra es: nec posses nigrior esse, tametsi pigmentum coxisses, quo Lysicrates canos tingit. Sta juxta ipsam; huc ades, ô ornatrix: huc hydriam feras, hydriaphore: tu autem huc prodi, ô citharistria, quæ me sæpius excitasti, ut in concionem irem, nocte intempesta, modum orthrium canens. Prodeat quispiam alveolum capiens; favos effer, oleaginos ramos huc prope statue, effer itidem duos tripodas & ampullam: ollulas jam, aliaque viliora vasa omittite.

VIR II. Egone mea ut deponam? utique hercle infelix essem, & exigua mente præditus. Nunquam id faciam, ita me Neptunus amabit; sed ejusmodi decreta primum examinabo sæpius, & attente considerabo. Neque enim meum sudorem, & quod ægre comparsi miser, nullius emolumenti causa sic imprudenter amittam, priusquam didicerim, quî se res omnis habeat. Eho tu, quid sibi hæc supellectilia volunt? num aliam in domum migras, qui hæc omnia extulisti, aut pignori ea oppositurus fers?

VIR I. Minume.

VIR II. Cur igitur ordine sic stant omnia illa? an præconi Hieroni pompam ducitis?

VIR I. Minume hercle; sed ea reipublicæ delaturus sum in forum, secundum sancitas leges.

VIR II. Delaturus es?

VIR I. Omnino.

VIR II. Infelix igitur es, per Jovem Servatorem.

VIR I. Quomodo?

VIR II. Quomodo? facile dictu est.

VIR I. Quid? nonne legibus parere oportet?

VIR II. Quibus, ô miser?

VIR I. Iis quæ sancitæ sunt.

VIR II. Quæ sancitæ sunt? ô quam insanus es!

VIR I. Insanus?

VIR II. Quidni enim? immo hercle omnino omnium es stultissumus.

VIR I. Quia facio, quod decretum est? Atqui virum probum maxume omnium ea exsequi oportet, quæ publica auctoritate mandata sunt.

VIR II. Virum stolidum scilicet.

VIR I. Tu vero deponere tua in commune non paras?

VIR II. Id ego cavebo, priusquam viderim, quid consili capiat populus.

VIR I. Quid enim aliud, quam parati omnes sunt ferre bona sua?

VIR II. At id si vidissem, tum demum crederem.

VIR I. Enimvero id per vias prædicant.

VIR II. Prædicabunt scilicet.

VIR I. Et sublatis in humerum sarcinis se deferre dicunt.

VIR II. Dicent scilicet.

VIR I. Enecas me, omnibus his fidem nullam habens.

VIR II. Fidem nullam habebunt scilicet.

VIR I. Jupiter te male perdat.

VIR II. Male perdent scilicet. Putas civem aliquem sua delaturum, qui saltem vel pauxillum mentis habeat? neque enim e more nostro istuc est: sed nos capere tantum oportet, ita me Jupiter amet. Quippe ita & dii solent: id autem ex illorum manibus nosces: simulacra etenim, quum fundimus preces, ut bona nobis largiantur, stant manu supina porrecta, non quasi quicquam datura, sed ut aliquid accipiant.

VIR I. O perditiſſime, ſinito me quod facto eſt opus facere: hæc enim colliganda mihi ſunt. Quo abiit lorum?

VIR II. Quid enim? revera hæc feres?

VIR I. Sane hercle; adeoque jam duos hos tripodas una ſimul colligo.

VIR II. O quæ dementia! non opperiri te, quid alii facturi ſint, ac tum demum —

VIR I. Quid tum demum facere?

VIR II. Adhuc opperiri, poſtilla vero cunctari etiamnum.

VIR I. Quamobrem tandem?

VIR II. Si terræ motus creber fiat, aut mali quis ignis ominis emicet, aut muſtela tranſiliat, deſinant profecto omnes bona ſua in forum deferre, ô ſtupide.

VIR I. Lepide hercle mecum ageretur, ſi, dum opperirer, interim non haberem ubi iſtæc deponerem.

VIR II. At enim potius timeas, ut alicunde capere poſſis. Sed habeto bonum animum, depones, etiamſi ad ultimum menſis diem veneris.

VIR I. Quidum?

VIR II. Ego noſtros homines novi, qui in decernendo præproperi ſunt, ac rurſum negant facturos ſe, quæ decreta fuerint.

VIR I. Sua comportabunt, ô amice.

VIR II. Si vero non ferant, quid tum?

VIR I. Securus eſto, ferent.

VIR II. Si vero non ferant, quid tum?

VIR I. Cum ipſis pugnabimus.

VIR II. Si vero ſuperiores erunt, quid tum?

VIR I. Abibo, ſupellectilibus relictis.

VIR II. Si vero ea divendant, quid tum?

VIR I. Diſrumparis.

VIR II. Si vero diſrumpar, quid tum?

VIR I. Bene facies.

VIR II. Tu vero ferre etiamnum cupies?

VIR I. Ego ſane: namque vicinos meos video ſua comportantes.

VIR II. Nimirum Antiſthenes ſua deferet? Multo ſane lepidius ei videretur plus quam triginta dies prius cacare.

VIR I. Plora.

VIR II. Antimachus autem chori magiſter quid in commune deferet plus, quam Callias? Profecto hic homo rem ſuam perdet.

VIR I. Moleſta loqueris.

VIR II. Quid moleſta? quaſi non videam quotidie ejusmodi decreta fieri. Non illud meminiſti, quod de ſale factum eſt?

VIR I. Memini quidem.

VIR II. Et alterum, quando ſcivimus de æreis illis nummis? meminiſtine?

VIR I. Immo damno mihi fuit recens illa cuſa moneta. Nam, venditis uvis, abivi plenam habens æreis drachmis maxillam: dein in forum ad emendam farinam profectus ſum: ibi quum facculum jam ei recipiendæ ſuſtinerem, proclamavit præco: *Neminem accipere debere æreos nummos in poſterum; argento enim utimur.*

VIR II. Quid? Nonne nuper omnes dejerabamus, quingenta mox reipublicæ talenta fore ex tributo quadrageſimæ, quam excogitarat Euripides? ibique continuo nullus non Euripidem laudibus evehebat. At poſtquam attentius conſiderantibus res ipſa viſa eſt, quod dici ſolet, *Jovis Corinthus*, neque ad neceſſaria ſuffecit, denuo nullus non Euripidi convicia dicebat.

VIR I. At res, ô bone, non in eodem ſunt ſtatu. Nam tunc nos viri rempublicam adminiſtrabamus; nunc autem mulieres.

VIR II. Quæ ne me commeiant, ita me Neptunus amet, cavebo ſedulo.

VIR I. Neſcio quid nugeris. Cape tibi lignum bajulatorium, puer.

PRÆCO. O cives omnes adeſte; nunc enim ita res eſt: venite, feſtinate recta ad Præfectam noſtram, ut vobis ſortes ducentibus Fortuna ſigillatim indicet, ubinam cœnaturi ſitis, quia menſæ oneratæ & refertæ ſunt bonis omnibus, & paratæ ſunt, lectulique lo-

dicibus & tapetibus aggesti sunt: crateras miscent unguentariæ mulieres, eosque ordine statuunt: piscium tomi assantur, leporinæ carnes verubus figuntur, placentæ pinsuntur, corollæ plectuntur, bellaria friguntur: juvenculæ ollas fresæ fabæ coquunt: Smœus autem inter illas, equestri indutus pallio, mulierum patinas detergit: senex vero venit cum molli læna & delicatis calceis, una cum aliquo adolescentulo cachinnans; & pallium ibi projectum temere jacet. Proinde venite, quandoquidem is qui mazam fert jam stat exspectans: agite ergo, maxillas diducite.

VIR II. Utique ergo ibo: quid enim hîc moror? quandoquidem ita reipublicæ visum est.

VIR I. Et quo ibis tu, qui bona non deposuisti?

VIR II. Ad cœnam.

VIR I. Non sane, si mulieribus illis cor inest, priusquam bona adferas.

VIR II. At enim adferam.

VIR I. Quando?

VIR II. Officium meum, ô amice, moræ non erit.

VIR I. Quidum?

VIR II. Quippe dico alios etiam me posteriores adlaturos.

VIR I. Ibis interim tu cœnaturus tamen?

VIR II. Quid enim agam? quippe decet sapientes reipublicæ pro virili opitulari.

VIR I. Si autem te impediant, quid tum?

VIR II. Contra ibo demisso capite.

VIR I. Si autem te verberent, quid tum?

VIR II. Eas in jus vocabo.

VIR I. Si autem te irrideant, quid tum?

VIR II. Ad fores stans —

VIR I. Quid facies, cedo?

VIR II. Cibos rapiam ex inferentium manibus.

VIR I. Abi igitur illuc posterior. At tu, ô Simo, tuque ô Parmeno, tollite hanc meam omnem substantiam.

VIR II.

VIR II. Age ſis una cum iis ferendo operam tibi præſtabo.

VIR I. Tu? haudquaquam. Vereor enim, ne, apud Præfectam noſtram poſtquam depoſuero mea, ea tibi vindices.

VIR II. Ergo hercle fabrica mihi opus eſt aliqua, ut quæ mea ſunt mihi habeam, eorum autem, quæ in commune pinſuntur, particeps quoquo modo fiam. Recte mihi videtur: eundum eſt ſtrenue, ut cœnem, neque cunctandum eſt.

CHORUS. *(Deeſt canticum Chori.)*

MULIERES VETULÆ TRES, ADOLESCENS, PUELLA, FAMULA, HERUS, CHORUS.

ANUS I. Quid tandem viri non veniunt? jamdudum tempus eſt. Ego autem fuco oblita ſto & crocotam induta, otioſa, cantillans apud me canticum, ludibunda, ut quempiam illorum prætereuntem complectar. O Muſæ, in os meum deſcendite, molliculam cantiunculam ad Ionicos modos commentæ.

PUELLA. Nunc quidem prior me e feneſtra proſpexiſti, ô putrida. Nempe rebaris, me non præſente, deſertas vineas te vindemiaturam, & cantando quempiam allecturam. Ego autem, ſi id facies, contra canam. Etſi enim ſpectatoribus tritum id nimis & faſtidioſum quandoque eſt, tamen jucundi aliquid habet & comici.

ANUS I. Huncce adloquere, & cum eo abſcede hinc: tu vero amicellule tibicen, tibiis ſumtis, dignum te ac me canticum accine. Si quis lepide ſibi vult eſſe, is apud me dormiat. Neque enim noviciis puellis ineſt ſolertia, ſed iis ſolis quæ maturiores ſunt: neque ulla magis contenta eſſe velit, quam ego amico, quicum rem habuerim, ſed ad alium quempiam illico avolet.

PUELLA. Ne puellis invideas: quippe voluptas ineſt delicatis earum cruribus, & efflorescit in illarum papillis: tu vero, ô anus, collocata es & uncta, Orci delicium.

ANUS I. Excidat tibi foramen, & ſellam amittas, quum voles ſubagitarier, & in lecto ſerpentem reperias, & ad te attrahas, volens oſculari.

PUELLA. Eheu, eheu! quid agam? non venit mihi taurus: ſola autem hic relinquor. Nam mater mea alio abiit; & ſi quid ſupereſt, pro nihilo habeo. Sed, ô nutrix, precor, arceſſe huc Orthagoram, ita tua ætate fruaris, tibi ſupplico.

ANUS I. Jam, ô miſella, more Ionico pruris: videris autem & *Labda* ſecundum Lesbios. Sed meas mihi nunquam præripies delicias: meam autem horam nec fruſtra abire facies, nec adeo intercipies.

PUELLA. Canta quantumvis, & proſpice e feneſtra, velut muſtela: nemo enim ad te prius ingredietur, quam ad me.

ANUS I. Anne ut efferaris?

PUELLA. Mirum quod ſiet, ô marcida.

ANUS I. Minime vero.

PUELLA. Quid enim dicat ſubans anus?

ANUS I. Non tibi moleſtum erit meum ſenium.

PUELLA. Quid igitur? an magis anchuſa, & tua ceruſſa?

ANUS I. Quid mecum loqueris?

PUELLA. Quid vero per feneſtram proſpicis?

ANUS I. Ego? canto apud me Epigeni meo amico.

PUELLA. Tibi enim amicus ſit quiſpiam præter Gerem?

ANUS I. Ipſus tibi oſtendet: actutum enim ad me veniet: ſed eccum adeſt.

PUELLA. Tui quidem, ô pernicies, nihil egens.

ANUS I. Ita me Jupiter amet, ut mei eget, ô peſtifera!

PUELLA. Id ſtatim ipſus oſtendet: nam ego hinc recedo.

ANUS I. Et ego pariter, ut noris me multo magis ſapere.

ADOLESCENS. Utinam liceret cum puella dormire, & nihil ante ſubagitare reſimum & anile: neque enim iſtuc tolerabile eſt viro libero.

ANUS II. Itaque, per Jovem, magno tuo malo futues: neque enim ſub Charixena hæc aguntur. Secundum legem æquum eſt iſta fieri, ſiquidem in populari ſtatu vivimus. Sed ſecedam, & aucupabo eum, quid tandem faciet.

ADOLESCENS. Utinam, ô dii, formoſam illam ſolam deprehendam, ad quam appotus venio, jampridem deſiderans.

PUELLA. Decepi ſceleſtam illam aniculam: quippe abiit, putans videlicet me intus manſuram.

ANUS I. Verumenimvero hic ipſus eſt, cujus modo memini-

mus. Huc quidem veni, huc ades, quod mihi amicum eſt: huc ad me accede, & totā nocte mecum concumbe. Quippe me mirum in modum amor tuorum capillorum agitat: inſana autem me inceſſit cupido, quæ me vellicat. Concede, quæſo, Amor, & facito ut iſte in lectum meum veniat.

ADOLESCENS. Huc tandem, ô huc ad me deſcendens oſtium hoc aperi: ſin minus, fuſus hîc jacebo mortuus. O amicula, in tuo ſinu volo laſcivire cum tuis natibus. Venus, quid me hujus deſiderio in furorem agis? Concede, quæſo, Amor, & facito ut iſta in lectum meum veniat. Hactenus quidem pro mea neceſſitate ſatis dictum fuit: tu vero mihi, ô mea voluptas, oro te, aperi oſtium, & amplectere me. Quippe propter te labores perpetior. O ludicrum meum aureolum, Veneris germen, Muſæ apicula, Gratiarum alumna, Mollitiei facies, aperi, amplectere me; quippe propter te labores perpetior.

ANUS I. Heus tu, quid pultas oſtium? mene quæritas?

ADOLESCENS. Haudquaquam.

ANUS I. Oſtium tamen pultabas.

ADOLESCENS. Emoriar igitur.

ANUS I. Cujusnam vero rei indigens huc veniſti cum face?

ADOLESCENS. Anaphlyſtium hominem quemdam quærens.

ANUS I. Quemnam?

ADOLESCENS. Qui te ipſam ſubagitet, quem forte etiam exſpectas.

ANUS I. Ita ſane, per Venerem, velis nolis.

ADOLESCENS. At quæ ſupra ſexaginta annos ſunt, eas nunc non inducimus, ſed in aliud rejicimus tempus: quippe eas, quæ intra viginti annos ſunt, judicamus.

ANUS I. Iſta quidem in priori reipublicæ ſtatu obtinebant, ô dulciſſime; nunc autem lege decretum eſt uti nos primum inducamur.

ADOLESCENS. A volente quidem, juxta legem latrunculorum ludo præſcriptam.

ANUS I. At enim non cœnas juxta legem latrunculorum ludo præſcriptam.

ADOLESCENS. Neſcio quid dicas. Hæc mihi pultanda eſt.

ANUS I. Quum videlicet prius meam pultaveris januam.

ADOLESCENS. Sed nunc pollinarium cribrum non petimus.

ANUS II. Scio ego me abs te amari: nunc autem ſtupes, quod me foris reperiſti: verum admove mihi os.

ADOLESCENS. At enim, ô miſella, amatorem tuum formido.

ANUS II. Quemnam?

ADOLESCENS. Pictorem illum ſcitiſſimum.

ANUS II. Ille autem quiſnam eſt?

ADOLESCENS. Qui mortuis ampullas pingit: quamobrem abi intro, ne te pro foribus conſpicetur.

ANUS II. Novi quid velis.

ADOLESCENS. Etenim hercle ego te quoque novi.

ANUS II. At Venerem obteſtor, cui ſorte obtigi, haud te amittam.

ADOLESCENS. Deliras, ô anicula.

ANUS II. Nugaris tu: ego enim te ad lectum meum ducam.

ADOLESCENS. Quid, quæſo, opus ſit uncos extrahendis cadis emere, quum, hujuſcemodi vetulam demittendo, liceat e puteis cados educere?

ANUS II. Ne cavilleris me, ô miſer; ſed huc domum ſequere.

ADOLESCENS. At enim mihi neceſſe non eſt, niſi quingenteſimam annorum tuorum reipublicæ ſolviſti.

ANUS II. Per Venerem nihilominus obſequere: nam mirifice gaudeo, ubi cum tuis æqualibus dormio.

ADOLESCENS. Ego vero mirifice gravor, ſiquando cum tuis æqualibus mihi dormiendum ſit; neque ad id faciendum unquam adduci potero.

ANUS II. Sed, per Jovem, hoc te coget.

ADOLESCENS. Hoc autem, quid eſt?

ANUS II. Decretum, juxta quod tibi ad me veniendum eſt.

ADOLESCENS. Recita ipſum, quodnam tandem eſt.

ANUS II. En tibi recito : *Cenſuerunt mulieres, ſi vir juvenis puellam habere cupiat, eam non ante ſubagitare, quam aniculam prius permoluerit : ſin nolit hanc prius permolere, at expetat juvenculam, liceat provectioribus ætate mulieribus juvenem illum trahere impune, mentula prehenſum.*

ADOLESCENS. Hei mihi! *Procruſtes* hodie fiam.

ANUS II. Noſtris ſcilicet legibus parendum eſt.

ADOLESCENS. Quid ſi me eripiat ex popularibus aut ex amicis veniens quiſpiam?

ANUS II. At rei, quæ ſupra medimnum ſit, nulli nunc viro competit auctoritas.

ADOLESCENS. Ejuratio vero nulla eſt?

ANUS II. Non enim tergiverſatione opus eſt.

ADOLESCENS. At enim mercatorem me eſſe cauſabor.

ANUS II. At enim plorabis.

ADOLESCENS. Quid igitur oportet facere?

ANUS II. Hac ad me ſequi.

ADOLESCENS. Et hæc mihi faciendi neceſſitas eſt?

ANUS II. Et Diomedea quidem.

ADOLESCENS. Subſterne igitur primum aliquantulum origani, amputatosque palmites quatuor ſuppone, & vittis caput cinge, & adpone ampullas, & luſtralis aquæ urceum pro foribus ſtatue.

ANUS II. Immo etiam coronam adhuc emes mihi.

ADOLESCENS. Ita, per Jovem; ſi modo conſumtis cereis forte ſuperes : arbitror enim te, ſtatim atque intro ingreſſa fueris, morituram.

PUELLA. Quo hunc trahis tu?

ANUS II. Eum, qui meus eſt, domum induco.

PUELLA. At non ſapienter id facis : non enim ætatem habet, ut tecum dormiat, qui tantilla ætate eſt : quandoquidem mater ei potius, quam uxor eſſes. Proinde ſi legem hanc conſtituatis, totum orbem Oedipis replebitis.

ANUS II. O tervenefica, præ invidia hunc ſermonem commentata venis. At ego te ulciſcar.

ADOLESCENS. Per Jovem Servatorem, gratum mihi feciſti, ô mel meum, hanc anum a me amovens. Quare pro his meritis ad veſperum gratiam tibi magnam & craſſam referam.

ANUS I. Heus, heus tu, quonam huncce trahis, contra legem, qua cautum eſt ſcilicet, ut is prius mecum dormiat?

ADOLESCENS. Væ mihi miſero! undenam emerſiſti, ô perdita? nam hoc quidem malum illo altero perniciosius.

ANUS I. Huc ambula.

ADOLESCENS. Haudquaquam, obſecro, patiare ab iſtac me trahi.

ANUS I. At non ego te traho, verum lex ipſa.

ADOLESCENS. Non me tu quidem trahis, ſed Empuſa, cui ſanioſis puſtulis totum corpus tumet.

ANUS I. Hac, ô mollicelle, ſequere propere, & ne obloquitor.

ADOLESCENS. Age ergo, ſinito ſaltem ire me cacatum, ut animum interea recipiam; ſin minus, hîc tu me actutum præ metu rubrum quid facientem videbis.

ANUS I. Bono animo es; ambula, intus cacabis.

ADOLESCENS. Quin metuo, ne plus etiam, quam volo. Sed ſponſores tibi duos dabo idoneos.

ANUS I. Nullos volo.

ANUS III. Heus, heus, quo tu cum iſta ambulas?

ADOLESCENS. Non ambulo, ſed trahor. Verum, quæcunque ſis, Dii tibi multa bona dederint, quæ me male haberi haud pateris. At at, ô Hercules, ô Panes, ô Corybantes, ô Caſtores, quanto hoc malum illo altero etiam perniciosius eſt! at quid hoc tandem, obſecro, negoti eſt? an ceruſſæ plena ſimia, vel anuis ſpectrum huc ex Orco reverſum?

ANUS III. Ne me irrideas; ſed hac ſequere.

ANUS I. Hac quidem ad me.

ANUS III. Nunquam enim te amittam.

ANUS I. Neque ipſa quoque.

ADOLESCENS. Diſtrahetis me, ô male perituræ.

ANUS III. Certe enim ex lege oportuit te mihi morigerari.

ANUS I. Minume, ſi quæ alia deformior anus intervenerit.

ADOLESCENS. At vero ſi a vobis, ô vetulæ, abſumtus fuero, quî tandem poſtea ad formoſam illam accedam?

ANUS III. Tu quidem ipſe diſpicias: interim tibi hoc faciundum, quod volo.

ADOLESCENS. Utra vero veſtrarum ſubagitata defungar?

ANUS I. Neſcis? huc veni.

ADOLESCENS. Hæc igitur me dimittat.

ANUS III. Immo huc ad me veni.

ADOLESCENS. Sane quidem, ſi me iſta dimittat.

ANUS I. At ecaſtor ego te haud dimiſero.

ANUS III. Neque pol ego.

ADOLESCENS. Moleſtæ vero portitores eſſetis.

ANUS I. Quid ita?

ADOLESCENS. Quia vectores hinc illinc trahentes deartuaretis.

ANUS I. Huc tacitus veni.

ANUS III. Non, per Jovem, ſed ad me.

ADOLESCENS. Plane res eſt ſecundum Cannoni decretum: videlicet diremtum me futuere oportet. Sed quî tandem fieri poterit, ut ambas, quaſi remos duos, agitem?

ANUS. I. Facile iſtuc, ſi ollam bulborum comederis.

ADOLESCENS. Væ miſero mihi! propius jam ad oſtium trahor.

ANUS III. Sed nihil promovebis: una enim tecum intro me conjiciam.

ADOLESCENS. Ne faxis, per deos: uno enim malo premi melius eſt quam duobus.

ANUS III. Per Hecaten, velis nolis, a te non divellar.

ADOLESCENS. O me ter miſerum, ſiquidem diem integrum & noctem integram putrida anus ſubigenda eſt: tum poſtquam hac defunctus fuero, denuo Phryne altera repetenda erit, quæ ampullam

ad maxillas habet. Annon igitur ego infelix sum? certe iratis diis natus, per Jovem Servatorem, & infortunatus, qui cum hujusmodi belluis natabo. Tamen mementote, si quid mihi acciderit, sæpius coacto ab hisce impuratis scortis intro navigare, sepelire me in ipso aditus ostio; superstitemque, cui immortuus fuero, illam in summo tumulo, postquam eam fervida pice obleveritis, pedesque ejus plumbo malleolis circumfuso muniveritis, superimponere loco ampullæ.

CHORUS. *(Deest Chori cantilena.)*

FAMULA. Felicem vero Atticum populum; me quoque non minus felicem; heram vero meam longe omnium felicissumam! Vos quoque felices estis, quæ juxta fores nostras adestis, vicinique omnes & populares nostri: felix cum illis ego quoque ancilla, quæ caput perunxi unguentis, pro Jupiter! ut bonis! sed ista omnia longe longeque superant amphorulæ vino Thasio plenæ: hujus enim odor in capite diutius remanet: illa autem marcescentia cito evanescunt. Proinde multo, at quam multo, ô dii! meliores sunt amphorulæ. Infunde ergo merum, tota nocte lætiorem me reddet, vinum illud eligens, quod maxume odoratum sit. Sed, ô mulieres, dicite mihi herum meum, maritum dominæ meæ, ubi sit.

CHORUS. Istic si maneas, nobis videris eum repertura.

FAMULA. Sane vero; nam eccum ad cœnam venit. O here, ô fortunate, & terbeate.

HERUS. Egone?

FAMULA. Sane ecastor tu quidem, ut nemo alius. Te enim quis alius existat magis beatior, qui, quum plures triginta millibus civium in urbe sint, solus tamen ex illis impransus es.

CHORUS. Prorsus felicem hominem narras.

FAMULA. Quo tandem? quo abis?

HERUS. Ad cœnam.

FAMULA. Sane, per Venerem, longe omnium postremus. Tamen jussit me hera ut te adsumerem, & una tecum has puellas ducerem. Vini autem Chii copia magna relicta est, & multæ aliæ res

bonæ. Itaque ne ceſſetis. Tum ſi quis ſpectatorum nobis favet, & judicum ſi quis non aliud, quam jus, reſpicit, veniat nobiscum: nam iis omnia præbebimus. Itaque quod dico, liberaliter dices omnibus, & cave quemquam omiſeris; ſed paſſim voca ſenes, adulescentes, pueros; nam ipſis cœna parata eſt omnino omnibus, ſi nempe quisque domum ſuam abierit.

CHORUS. Ipſa autem jam ad cœnam feſtinabo, hanc facem pulchre & decore manu geſtans. At tu, quæſo, quid ita cunctare, neque tecum ducis has puellas? Dum autem ipſe deſcendas, ego canticum accinam aliquod cœnaturis aptum.

Nunc judices aliquid monere volo, ut qui inter illos ſapientes ſunt, de me judicent, eorum memores, quæ ſapienter dicta a me audierunt: tum ut qui lubenter rident, ii de me judicent, memores quam feſtive & ridicule multa protulerim. Neque nobis obſit, quod ductis ſortibus primi prodierimus; ſed eos horum omnium memores condecet, ſervata jurisjurandi fide, de Choris ſemper ex merito judicare, neque improbarum meretricum morem imitari, quæ ſemper poſtrema tantum benefacta in memoria habent. O, ô, nunc tempus eſt, amicæ mulieres, ſi rem agere volumus, ſubſultim ad cœnam ire: Cretico igitur rhythmo move tu pedes.

SEMICHORUS. Hoc quoque facio.

CHORUS. Et has quoque leves agili crure ad rhythmum moveri. Nam mox adponentur oſtrea, ſalſamenta, cartilaginoſi piſces, muſtelli, reliquiæ calvariarum cum acri intrito, laſerpitium cum melle interfuſo, turdi, merulæ, columbæ, gallinaceorum toſta capitula, cincli, liviæ, leporinæ carnes cum intinctu defruti, cum alis. Tu itaque, his auditis, propere & celeriter patellam ſume & ovum, dein feſtina, ut cœnes.

SEMICHORUS. Sed jam vorant alii.

CHORUS. In altum tollimini crure agili, euæ: cœnabimus, parta victoria lætæ, euœ, euæ.

FINIS ECCLESIAZUSARUM.

ARISTOPHANIS
NUBES.

DRAMATIS PERSONÆ.

STREPSIADES.

PHIDIPPIDES.

FAMULUS Strepſiadis.

DISCIPULI Socratis.

SOCRATES.

CHORUS NUBIUM.

JUSTUS ORATOR.

INJUSTUS ORATOR.

PASIAS fœnerator.

TESTIS Paſiæ.

AMYNIAS fœnerator.

CHÆREPHON.

STREPSIADES, PHIDIPPIDES, FAMULUS, DISCIPULUS, SOCRATES, CHORUS.

STREPSIADES. Eheu, eheu! O ſupreme Jupiter, ſatin' infinita res eſt noctium? nunquamne dies fiet? Atqui dudum ego audivi gallum. Servi tamen ſtertunt: at antehac id non auſi fuiſſent. Pereas itaque, Bellum, multis de cauſis, tum vero quia nec ſervos caſtigare mihi licet. Sed neque bonus iſte aduleſcens expergiſcitur tota nocte; verum pedit, quinque lodicibus involutus. Sed, ſi videtur, ſtertamus obtecti.

At enim non poſſum dormire miſer, qui mordeor a ſumtibus, & præſepi, & alieno ære, propter iſtum gnatum. Ille vero comam alens equitat, & bigas agit, & equos ſomniat: at ego pereo, quum video Lunam adducere vigeſimos dies: nam uſuræ procedunt. — Accende, puer, lucernam, & effer tabellas, ut ſumtis illis recolam, quot ſint quibus debeo, & uſuras computem. — Age videam, quid debeo? Duodecim minas Paſiæ. Quamobrem duodecim minas Paſiæ? quonam eas inſumſi? Quando coppatiam emi. Hei miſer! utinam excuſſus mihi prius fuiſſet oculus lapide!

PHIDIPPIDES. Philo, inique agis: perſequere tuum ipſius curriculum.

STREPSIADES. Hoc illud eſt malum, quod me perdidit: nam etiam dormiens rem equeſtrem animo agitat.

PHIDIPPIDES. Quot curſibus peragitur curule certamen?

STREPSIADES. Me quidem patrem tuum multis tu exagitas curſibus. — At enim quodnam me poſt Paſiam invaſit æs alienum? Tres minæ pro curriculo & rotis Amyniæ.

PHIDIPPIDES. Abduc equum domum, volutatum prius in pulvere.

STREPSIADES. At, ô miſer, evolviſti me ex meis bonis, ſiquidem aliis jam obnoxius ſum e re judicata, alii autem pro uſuris ajunt pignora ſe capturos.

PHIDIPPIDES. Quæſo, pater, quid ita anxius es, & tota nocte huc illuc te verſas?

STREPSIADES. Mordet me Demarchus quiſpiam e ſtragulis.

PHIDIPPIDES. Sine me, ô bone, aliquantulum dormire.

STREPSIADES. Dormi tu ergo: ſcito tamen æs iſtuc alienum omne in caput tuum reciſurum. — Heu! utinam peſſumis exemplis periiſſet pronuba illa, quæ me impulit, ut matrem tuam ducerem! Ruri enim agebam vitam ſuaviſſimam, ſqualidam, incomtam, neglectam, redundantem apibus & ovibus & fracibus. Poſtilla uxorem duxi Megaclis, Megaclis fili, ex ſorore neptem, ruſticus urbanam, ſuperbam, luxurioſam, Cœſyræ moribus imbutam. Hanc poſtquam duxeram, cum ea cubabam olens muſtum, ſicus, lanarum copiam: illa vero unguentum, crocum, collabellata oſcula, ſumtus, heluationes, Coliadem & Genetyllidem. Non equidem dicam otioſam eam fuiſſe; ſed texebat. Ego autem ei pallium hoc oſtendens, eoque utens prætextu, dicere ei ſolebam: *Mulier, telam nimis denſas.*

FAMULUS. Oleum nobis non ineſt in lucerna.

STREPSIADES. Hei mihi! cur enim bibulam iſtam accendiſti mihi lucernam? huc accede, ut plores.

FAMULUS. Cur, obſecro, plorem?

STREPSIADES. Quia e craſſis ellychniis unum indidiſti. — Poſt illa, quum nobis jam natus eſſet filius iſte, mihi ſcilicet & bonæ illi mulieri, inter nos primum de nomine obortum eſt jurgium ad hunc modum. Illa quidem equum addebat nomini, *Xanthippum*, aut *Charippum*, aut *Callippidem* eum nuncupans: ego vero avi imponebam ei nomen *Phidonidem*. Hactenus quidem proceſſit concertatio: poſtea tandem convenit inter nos, & dedimus ei nomen *Phidippidi*. Hunc autem illa gnatum gremio complexa blande adloquebatur: *Quando tu grandis factus currum agitabis verſus urbem*,

ut Megacles, croceo amictus pallio! Ego autem dicebam: *Immo quando tu capras duces e Phelleo, ut pater tuus, renone indutus!* Sed meis dictis nequaquam paruit: verum fortunis meis equinum offudit morbum. Et nunc tota nocte mecum meditatus, viæ unam rationem inveni admirabiliter excellentem; quam si isti persuasero, salvus ero. Verum excitare prius ipsum volo. Quomodo ergo eum quam mollissume expergefaciam? quomodo? Phidippides, Phidippidisce!

PHIDIPPIDES. Quid est, mi pater?

STREPSIADES. Osculare me & manum cedo dexteram.

PHIDIPPIDES. En. Quid est?

STREPSIADES. Dic mihi, amas me?

PHIDIPPIDES. Ita, Neptunum hunc testor Equestrem.

STREPSIADES. Neutiquam mihi, quæso, Equestrem istum memora: hic enim deus est mihi causa malorum. Verum, si me corde revera amas, ô gnate, gere morem mihi.

PHIDIPPIDES. Quid tibi ergo morem vis geram?

STREPSIADES. Immuta quam ocissime mores tuos, & abi, ut discas, quæ ego jubebo.

PHIDIPPIDES. Dic jam quid jubeas.

STREPSIADES. Obtemperabisne aliquantum mihi?

PHIDIPPIDES. Obtemperabo, ita me Bacchus amet.

STREPSIADES. Huc ergo converte oculos. Viden' ostiolum hoc & domunculam?

PHIDIPPIDES. Video: at, quæso, quid est hoc, pater?

STREPSIADES. Animarum sapientum hæc est schola. Hic habitant viri, qui sermonibus alios ad credendum inducunt, cœlum esse furnum, qui circa nos siet, nos autem esse carbones. Ipsi docent, si quis pecuniam ipsis det, quo pacto quis dicendo vincat & justam & injustam causam.

PHIDIPPIDES. Quinam vero sunt?

STREPSIADES. Non callide novi nomen: sunt viri boni, meditationibus dediti.

PHIDIPPIDES. Au! miseri illi quidem; novi. Jactatores illos luridos & discalceatos dicis, quorum unus est perditus ille Socrates, itemque Chærephon.

STREPSIADES. Ah, ah! tace; ne stulte loquere. Verum si qua te tangit cura paterni victus, si mihi unus horum, & rem equestrem missam face.

PHIDIPPIDES. Non facerem, ita me Bachus amet, etiamsi dares mihi Phasianos illos, quos alit Leogoras.

STREPSIADES. Eja obsecro, hominum mihi carissume, abi & te doceri sine.

PHIDIPPIDES. Et quid tibi discam?

STREPSIADES. Ajunt apud eos esse geminos hos sermones: meliorem nempe, quisquis ille sit, & pejorem: istorum sermonum alterum, pejorem inquam, ajunt vincere, etiamsi injustissuma dicat. Si itaque disceres mihi injustum illum sermonem, quæcunque nunc propter te debeo, istorum nihil quicquam, ne obolum quidem, cuipiam solverem.

PHIDIPPIDES. Haud sane tibi obtemperabo: non enim sustinerem adspicere equites, si mihi color vultus corruptus esset.

STREPSIADES. Non itaque amplius, ita mihi Ceres propitia sit, de meis comedes, neque ipsus, neque jugalis equus, neque samphora: sed exigam te domo in malam rem.

PHIDIPPIDES. Sed me sine equis esse non patietur avunculus meus Megacles. At domum ingrediar; te vero neglegam.

STREPSIADES. Sed non ego tamen, postquam cecidi, jacebo. Verum, invocatis diis, in scholam ibo, & memet ipse docendum dabo. Quomodo ergo, quum senex sim, & oblivioſus, & tardus, sermonum exquisitorum subtilitates addiscam? Eundum est. Quid multum cunctor, & non potius ostium pulto? Puer, heus puer!

DISCIPULUS. Facesse hinc in malam rem. Quis est qui pultavit fores?

STREPSIADES.

STREPSIADES. Phidonis filius Strepſiades Cicynnenſis.

DISCIPULUS. Ruſticus utique es, qui inconſiderate januam tam improbe calcitraſti, & cogitationem, quam animo conceperam, mihi excuſſiſti.

STREPSIADES. Ignoſce mihi; procul enim hinc habito ruri. Sed dic mihi, quodnam erat illud, quod tibi ex animo excuſſi?

DISCIPULUS. Sed fas non eſt hæc cuiquam dicere, niſi diſcipulis.

STREPSIADES. Mihi ergo audacter dicito: ipſus enim venio in ſcholam diſcipulus.

DISCIPULUS. Dicam: ſed credere debes myſteria hæc eſſe. Modo interrogabat Chærephontem Socrates, pulex quot ſuos ipſius ſaltaret pedes: quum enim momordiſſet Chærephontis ſupercilium, in caput Socratis inde ſaltavit.

STREPSIADES. Quomodo, quæſo, iſtud metitus eſt?

DISCIPULUS. Scite admodum. Cera liquefacta, deinde pulice prehenſo, immerſit pedes ejus in ceram: poſt, refrigerato pulici adhæſerunt calcei Perſici, quos ille detraxit, iisque ſpatium dimetitus eſt.

STREPSIADES. O ſupreme Jupiter, quanta ſubtilitas mentis!

DISCIPULUS. Quid vero, ſi aliud Socratis audias inventum?

STREPSIADES. Quale? obſecro, enarra mihi.

DISCIPULUS. Interrogabat ipſum Chærephon Sphettius, utrum putaret culices ore canere, an vero podice.

STREPSIADES. Quid, quæſo, nam dicebat ille de culice?

DISCIPULUS. Inteſtinum culicis dicebat eſſe anguſtum: per illud autem tenue flatum vi pergere verſus podicem: deinde anguſto inteſtino adjacentem cavum podicem flatus violentia ſonare.

STREPSIADES. Tuba itaque eſt podex culicum. O ter beatus ob perſpectam inteſtini naturam! Facile hercle reus abſolvetur, qui tam bene norit inteſtinum culicis.

DISCIPULUS. Nuper vero ſublimis cogitatio abrepta ei fuit a ſtellione.

STREPSIADES. Quomodo? dic mihi.

DISCIPULUS. Dum noctu inveſtigabat ille Lunæ vias & converſiones, ſurſumque ſpectabat ore hiante, de tecto concacavit eum ſtellio.

STREPSIADES. O lepidum ſtellionem, qui Socratem concacavit!

DISCIPULUS. Heri autem veſperi cœna nobis non erat.

STREPSIADES. Hem! quid itaque inveniundo cibo excogitavit?

DISCIPULUS. Inſperſo in menſam tenui pulvere, veruculum incurvavit, deinde circino ſumto, veſtem e palæſtra ſurripuit.

STREPSIADES. Quid ergo Thalem illum miramur? Aperi, aperi propere ſcholam, & mihi quamprimum oſtende Socratem: geſtio enim diſcipulus fieri: ſed aperi oſtium. O Hercules! unde ego has beſtias eſſe dicam gentium?

DISCIPULUS. Quid mirare? cui videntur eſſe ſimiles?

STREPSIADES. Lacedæmoniis illis, qui e Pylo captivi adducti ſunt. Sed quid terram intuentur iſti?

DISCIPULUS. Quærunt ſubterranea.

STREPSIADES. Bulbos ergo quærunt. Ne jam iſtuc amplius curate: ego enim ſcio ubi ſint magni & pulchri. Quid vero iſti faciunt, qui tam cernuos ſe inflectunt?

DISCIPULUS. Perſcrutantur ima Erebi & Tartari.

STREPSIADES. Quid ergo podex in cœlum ſpectat?

DISCIPULUS. Seorſum ille aſtronomiam diſcit. Sed ingredimini, ne ipſus in nos forte incidat.

STREPSIADES. Nondum etiam, nondum: ſed maneant, ut cum ipſis communicem pauxillum quid rerum mearum.

DISCIPULUS. Sed non poſſunt ſub dio foris commorari nimio longo tempore.

STREPSIADES. Per deos obſecro, quid hæc ſunt? dic mihi.

DISCIPULUS. Hæc quidem aſtronomia eſt.

STREPSIADES. Hoc verò, quid?

DISCIPULUS. Geometria.

STREPSIADES. Hoc ergo quam ad rem uſui eſt?

DISCIPULUS. Ad dimetiendam terram.

STREPSIADES. Illamne, quæ ſorte diſtributa fuerit?

DISCIPULUS. Non; verum univerſam.

STREPSIADES. Facete dicis: eſt enim hoc inventum populare & utile.

DISCIPULUS. Hæc autem eſt terræ deſcriptio univerſæ. Viden'? hæ quidem ſunt Athenæ.

STREPSIADES. Quid dicis? minume credo. Quippe judices ſedere non video.

DISCIPULUS. Atqui hoc eſt revera ſolum Atticum.

STREPSIADES. Et ubi ſunt Cicynnenſes, populares mei?

DISCIPULUS. Hîc inſunt. Eubœa autem, ut vides, hæcce, in longitudinem oppido protenſa.

STREPSIADES. Scio: nam a vobis protenſa eſt & a Pericle. Sed Lacedæmon ubi eſt?

DISCIPULUS. Ubi ſit? hæc eſt.

STREPSIADES. Quam prope a nobis! ſed opere ſtudete maxumo, ut eam a nobis abducatis quam longiſſume.

DISCIPULUS. Sed mehercle fieri non poteſt.

STREPSIADES. Vapulabitis igitur. Age, quis vero eſt vir iſte in carnario?

DISCIPULUS. Ipſus.

STREPSIADES. Quis ipſus?

DISCIPULUS. Socrates.

STREPSIADES. O Socrates! I tu, voca mihi eum magna voce.

DISCIPULUS. Tute ipſe ſane voca: nam mihi otium non eſt.

STREPSIADES. O Socrates, ô Socratiſce.

SOCRATES. Quid me vocas, mortalis?

STREPSIADES. Primum quidem, quid facias, obſecro, dic mihi.

SOCRATES. Per aërem incedo & Solem contemplor.

STREPSIADES. Itane a crate deos deſpicis, non vero a terra? ſiquidem --

SOCRATES. Neutiquam enim poſſem recte indagare res cœleſtes,

nisi suspenso animo, & permista meditatione cum aëre sibi consimili. Si vero humi stans superna ab inferiore loco spectarem, nunquam possem illa indagare. Enimvero terra vi quadam trahit ad se humorem meditationis. Idem autem contingit nasturtio.

STREPSIADES. Quid ais? Meditatio trahit humorem in nasturtium? Age vero, mi Socratisce, huc ad me descende, ut me illa doceas, quorum gratia veni.

SOCRATES. Quam autem ob rem venisti?

STREPSIADES. Cupiens addiscere artem dicendi; nam ab usuris, creditoribusque difficillumis agor, feror, bona mea pignori capta diripiuntur.

SOCRATES. Quomodo vero non animadvertisti ære te alieno obrui?

STREPSIADES. Perdidit me morbus equestris terribilis voracitatis. Sed doce me alterum tuorum sermonum, illum, inquam, qui nihil reddit. Mercedem vero, quamcunque petieris, præsentaria pecunia me tibi soluturum per deos jurabo.

SOCRATES. Per quosnam deos jurabis tu? primum enim dii nobis non sunt in usu.

STREPSIADES. Per quid ergo juratis? an per ferreos nummos, ut in Byzantio?

SOCRATES. Vin' res divinas cognoscere clare & recte, quænam sint?

STREPSIADES. Volo hercle, si modo ullæ sunt.

SOCRATES. Et venire in colloquium cum Nubibus, nostris deabus?

STREPSIADES. Maxume.

SOCRATES. Sede itaque in sacro grabbato.

STREPSIADES. En, sedeo.

SOCRATES. Porro coronam hanc cape.

STREPSIADES. Quorsum coronam? Eheu, Socrates, cave sis, ne me, sicut Athamantem sacrificetis.

SOCRATES. Non fiet: verum qui initiantur, omnia ista nos iis facimus.

STREPSIADES. Quid, quæso, inde lucri capiam?

SOCRATES. In dicendo fies tritus, crepitaculum, pollen: sed quiesce.

STREPSIADES. Pol me non falles: nam si ad hunc modum conspergar, pollen fiam.

SOCRATES. Lingua favere oportet senem, precibusque aures adhibere. O rex, immense Aër, qui terram sublimem tenes, lucideque Æther, venerabilesque divæ, Nubes, quæ tonitrua & fulmina volvitis, surgite & apparete, ô dominæ, philosopho sublimes.

STREPSIADES. Nondum etiam, nondum, priusquam duplicata lacinia caput obtexero, ne compluar. Mene vero infelicem domo egressum fuisse sine galero!

SOCRATES. Adeste igitur, ô venerandæ Nubes, ut vosmet huic ostendatis, sive in Olympi vertice sacro nivali sedetis; sive Oceani patris in hortis sacram choream instituitis cum Nymphis; sive forte in Nili fluentis aquam aureis gutturniis hauritis; sive Mœoticam obtinetis paludem, sive Mimantis nivosam rupem, exaudite, & accipite hoc sacrificium, sacris his gavisæ.

CHORUS. Perennes Nubes, tollamur manifestæ, roscida natura agiles, patre ab Oceano graviter fremente ad celsorum montium vertices arboribus comantes, unde conspicuas longe lateque speculas despectamus, sacramque terram fructuum parentem, & divinorum fluviorum sonitus, & pontum sonantem gravi murmure: nam infatigabilis oculus Ætheris coruscat lucido jubare. Sed decussa caligine imbrifera, immortalem revelantes speciem, terram spectemus longe prospiciente oculo.

SOCRATES. O maxume venerabiles Nubes, manifesto audistis me vocantem. Sensistine vocem, simulque mugitum tonitrus divini?

STREPSIADES. Vos equidem veneror, ô sanctæ Nubes, vestrisque volo tonitrubus oppedere; adeo iis auditis contremisco & timore perculsus sum: &, sive fas est, sive non est fas, jam volo cacare.

SOCRATES. Ne illudas, neu facias, quod perditi isti comici; sed ore fave: magnum enim dearum examen incipit moveri cum cantu.

CHORUS. Virgines imbriferæ eamus, ut pingue solum Palladis, fortium virorum feracem terram Cecropis videamus amabilem, ubi cultus arcanorum sacrorum, ubi mystica domus inter sacras initiationes ostenditur, diisque cœlestibus munera, templaque summis ducta tectis, & simulacra, & supplicationes beatorum sanctissumæ, coronisque ornata deorum sacrificia, epulæque omni tempore anni; vere autem adventante Bromia festivitas, & suaviter resonantum Chororum incitamenta, & tibiarum gravis cantus.

STREPSIADES. Per Jovem te obsecro, dic mihi, ô Socrates, quænam sunt illæ, quæ vocem istam emiserunt majestate plenam. Num Heroinæ aliquæ sunt?

SOCRATES. Minume: verum cœlestes Nubes, magna numina hominibus otiosis, quæ sententias, & dicendi peritiam, & mentem nobis suggerunt, & præstigias, & loquacitatem, & fallaciam & perceptionem.

STREPSIADES. Idcirco igitur audita earum voce, volitat anima mea, jamque de rebus subtilibus disputare gestit, & de fumo garrire, & sententiola sententiolam pungendo alteri orationi contradicere; adeo ut cupiam, si quo pacto liceat, eas aperte videre.

SOCRATES. Specta igitur huc ad Parnethem: jam enim eas cerno sensim & placide descendentes.

STREPSIADES. Age, ubi? ostende.

SOCRATES. En, procedunt magno numero, per loca cava & densa seipsas obliquas inferentes.

STREPSIADES. Quid hoc rei, quod eas non video?

SOCRATES. Juxta aditum.

STREPSIADES. Jam demum vix eas dispicio.

SOCRATES. Nunc tamen vides ipsas, nisi gramias in oculis habes instar cucurbitæ.

STREPSIADES. Hercle equidem. O venerandæ! locum jam omnem tenent.

SOCRATES. Has tamen tu deas esse nesciebas, nec eas pro numinibus habebas.

STREPSIADES. Non hercle: verum nebulam & rorem & fumum eas esse existimabam.

SOCRATES. Non enim edepol scis, ut multos istæ alant sophistas, vates Thurinos, medicos, prodigos, poëtas dithyrambicis choris qui flectunt modos, hominesque qui de rebus ætheriis differentes audientibus fucum faciunt; hos, inquam, omnes alunt otiosos & nihil agentes, quoniam ipsas laudibus celebrant.

STREPSIADES. Propterea igitur versibus suis crepare solent *humidarum Nubium lucem avertentium celerem impetum, cirrosque centicipitis Typhonis, furentesque procellas, item aërias, udas, aduncis unguibus alites, in aëre natantes, imbresque aquarum rorantum Nubium*: deinde pro his versibus deglutiunt *mugilum magnorum & bonorum frusta, carnes avium turdorum.*

SOCRATES. Propter has tamen immerito.

STREPSIADES. Dic mihi, quæso, undenam eis accidit, si revera Nubes sunt, ut similes sint factæ mulieribus? non enim illæ tales sunt.

SOCRATES. Age, quales ergo sunt?

STREPSIADES. Non satis callide scio: saltem similes videntur lanis expansis; non hercle mulieribus, ne tantillum quidem. Istæ vero nares habent.

SOCRATES. Responde nunc mihi quod te interrogabo.

STREPSIADES. Dic ergo cito quidquid vis.

SOCRATES. Vidistin' aliquando, sursum spectans, nubem Centauro similem, aut pardo, aut lupo, aut tauro?

STREPSIADES. Ego hercle vero: sed quid tum?

SOCRATES. Nempe fiunt quidquid lubitum est. Namque si comantem quempiam conspiciant pædiconem ex hirsutis illis, qualis est Xenophantis filius, insaniam ejus irridentes, Centauris se assimulant.

STREPSIADES. Quid ergo? si depeculatorem ærari Simonem videant, quid faciunt?

SOCRATES. Mores ejus ut arguant, lupi repente fiunt.

STREPSIADES. Hoc igitur ipsum est, quamobrem Cleonymum heri conspicatæ, qui clypeum abjecit, quia timidissumum eum videbant, cervi factæ sunt.

SOCRATES. Et nunc, quod Clisthenem adspexerunt, viden'? eo mulieres factæ sunt.

STREPSIADES. Salvete itaque, ô dominæ, atque jam, si cui alii unquam, & mihi, rupto silentio, mittite altisonam vocem, ô præpotentes reginæ.

CHORUS. Salve, ô senex annose, sapientum investigator sermonum; tuque subtilissimarum nugarum sacerdos, dic nobis cujus rei indiges. Haud enim facile obtemperemus sophistarum alii cœlestia scrutantium, excepto Prodico: huic quidem doctrinæ & ingeni ergo; tibi vero, quia superbus incedis, hac illac oculos versans, & discalceatus multa mala sustines, nobisque fretus vultum ad gravitatem componis.

STREPSIADES. O Terra! quæ vox! quam sacra, quam venerabilis, quam prodigiosa!

SOCRATES. Enimvero istæ solæ sunt Deæ: cetera omnia sunt nugæ.

STREPSIADES. Sed agedum, per Terram te obtestor, Jupiter Olympius nonne nobis Deus est?

SOCRATES. Quis Jupiter? quæso, ne nugeris: ne quidem est Jupiter.

STREPSIADES. Quid ais tu? quis pluit ergo? Istuc enim primum omnium mihi demonstra.

SOCRATES. Hæ nimirum ipsæ: magnis autem signis hoc te docebo. Age, ubinam tu Jovem sine Nubibus unquam pluere vidisti? Atqui oportebat eum cœlo sereno pluere; has autem peregre abesse.

STREPSIADES. Recte, ita me Apollo amet, istud hoc tuo argumento adstruxti: atqui antehac revera putabam Jovem per cribrum meiere. Sed quis ille sit, qui tonat, dic; hoc facit me tremere.

SOCRATES. Hæ tonant, quum volvuntur.

STREPSIADES. Quomodo, audaciſſume?

SOCRATES. Ubi multa aqua oppletæ fuerint, & vi ad motum excitatæ, in præceps actæ neceſſario, plenæ imbris, inde graves in ſe invicem incidentes, rumpuntur & edunt fragorem.

STREPSIADES. Sed quisnam eſt, qui impellit eas, ut ferantur? nonne Jupiter?

SOCRATES. Minume: verum ætherius turbo.

STREPSIADES. Turbo? hoc me latuerat, Jovem nimirum non eſſe, ſed pro eo Turbinem nunc regnare. Sed de tonitrus fragore me nondum docuiſti.

SOCRATES. Non audiviſti me tibi dicere Nubes plenas aqua incidentes in ſe invicem fragorem edere propter denſitatem?

STREPSIADES. Age, qua ratione hoc poſſim credere?

SOCRATES. A te ipſo, ut te docebo. Nunquamne Panathenæis tibi contigit, ut te impleſſes jure, poſteaque tibi turbaretur venter, isque concuſſus ſubito ſtrepitum edere cogeretur?

STREPSIADES. Ita mehercle: & quidem ſtatim incipit me peſſume habere, & turbatur: & juſculum ſicut tonitru ſtrepit, & horrendum mugit, ſenſim primum *pax;* deinde ſubjungit *papax;* mox demum *papappax;* & quando caco, plane tonat *papapappax*, ſicut illæ.

SOCRATES. Conſidera igitur, e tantillo ventre quam vehementer pepederis: aërem autem hunc immenſum quomodo non veriſimile eſt magno ſtrepitu tonare? Hinc ergo & nomina iſta ΒΡΟΝΤΗ, ΠΟΡΔΗ ſunt ſimilia inter ſe.

STREPSIADES. Sed fulmen undenam venire poſſit, igni coruſcans? hoc me doce; & torrefacit nos feriens, alios vivos amburit. Hoc enim Jupiter manifeſto jaculatur in perjuros.

SOCRATES. Et quomodo, ô fatue, & Saturni tempora redolens, & fabellis anilibus innutrite, ſi perjuros ferit, quomodo, inquam, Simonem non combuſſit, neque Cleonymum, neque Theorum? ſunt tamen iſti valde perjuri. Sed jaculatur ſuum ipſius templum,

& Sunium promontorium Atticæ, & proceras quercus. Quanam ex cauſa? non enim quercus utique pejerat.

STREPSIADES. Neſcio: recte tamen autumare mihi videris. At vero quid, quæſo, eſt fulmen?

SOCRATES. Quando ventus aridus ſurſum ſublatus in iſtis incluſus fuerit, intus eas inflat, tanquam veſicam: deinde ubi ſuamet vi eas rupit, extrorſum fertur concitatus propter denſitatem, ſtridulo impetu ſe ipſum comburens.

STREPSIADES. Edepol mihi prorſus idem aliquando evenit Jovialibus. Ventriculum cognatis torrebam, quem incidere omiſeram imprudens: ille vero inflabatur: deinde repente medius crepans, in ipſos oculos mihi fartum ejaculatus eſt, & faciem combuſſit.

CHORUS. O qui præclaram cupiviſti ſapientiam a nobis apiſci, quam beatus inter Athenienſes, ceterosque Græcos eris, ſi memoria & ſtudium tibi non deeſt, & ærumnarum patientia ineſt in corde; nec defatigaris vel ſtando, vel eundo; neque frigus moleſte fers, neque prandere cupis; vino etiam abſtines, & gymnaſiis, aliisque ineptiis; & iſtud optumum eſſe putas, quod quidem ſcitum virum decet, vincere nimirum factis & conſiliis, & lingua pugnando.

STREPSIADES. Sed de corde duro & præfracto, ſtudioque & cura ſomnum obturbante; item ventre parco, vitamque diſcruciante, & vel thymbra contento, ne ſis ſollicitus: nam eo nomine me præbere poſſim, ut ferrum in me cudant.

SOCRATES. Sed hoc etiam confirmâ, te in poſterum nullum habiturum deum, præter eadem ipſa, quæ nos pro diis habemus; nimirum Chaos hoc, & Nubes, & Linguam: hæc tria inquam.

STREPSIADES. Nec prorſus adloquerer alios, ſi vel obvius eis fierem: neque ſacruficarem, neque libarem, neque thus adolerem.

CHORUS. Nunc itaque dic nobis audacter quidnam tibi faciamus: nam fruſtra non eris, ſi nos colas, & admireris, & ſtudeas eſſe politus.

STREPSIADES. O dominæ, quod a vobis peto, id paululum quiddam eſt omnino; nimirum ut Græcos in facultate dicendi anteire poſſim centum ſtadiis,

CHORUS. Immo erit hoc a nobis tibi : ita ut jam ab hoc tempore in ſententiis pro concione dicendis nemo tam ſæpe vincat quam tu.

STREPSIADES. Ne mihi contingat de arduis rebus ſententias dicere : iſtuc enim haud cupio : ſed tantum pro me ipſo lites pervertere, & elabi e manibus creditorum.

CHORUS. Adipiſceris igitur quæ optas : non enim ardua cupis. Sed te ipſum trade intrepidus noſtris miniſtris.

STREPSIADES. Faciam iſtud, vobis fretus; nam urget me neceſſitas propter equos illos coppatias, & conjugium, quod me perdidit. Nunc ergo utuntor me prorſus ut lubet; iſtuc meum corpus ipſis trado, quod verberibus tundant, fame, ſiti, ſqualore, algu conficiant, pro utre excorient, modo æs effugiam alienum, & hominibus videar eſſe audax, loquax, temerarius, procax, ſceleſtus, mendaciorum conglutinator, inventor verborum, tritus in litibus, tabula legum, crepitaculum, vulpes, terebra, ſubactus, ſimulator, lubricus, arrogans, cento, impurus, verſutus, moleſtus, impudens. Modo his me nominibus appellet obvius quisque, faciunto iſti plane quod lubuerit, &, ſi volunt, ita me Ceres amet, ex me inteſtina farciunto, & ſcholaſticis adponunto.

CHORUS. Animus quidem ineſt huic haud timidus, ſed promtus. Scias autem velim, ſi hæc didiceris a me, famam, quæ cœlum adtingat, inter homines te conſecuturum.

STREPSIADES. Quid mihi eveniet?

CHORUS. Omni tempore mecum beatiſſumam vitam ages unus omnium.

STREPSIADES. En unquam potis erit fieri, ut iſtuc videam?

CHORUS. Ita ut multi ad fores tuas ſemper ſedeant, cupientes te convenire, & tecum colloqui, atque communicare tuæ ſolertiæ negotia & lites multis talentis æſtimatas, de quibus conſultabunt tecum. Sed incipe ſenem docere quidquid conſtituiſti, & incita animum ejus, & ingeni vires explora.

SOCRATES. Agedum dic mihi tu ingenium tuum, quale ſit;

ut illo cognito, machinas posthac novas tibi admoveam.

STREPSIADES. Quid vero? num me, per Deos obsecro, tanquam murum oppugnare cogitas?

SOCRATES. Non: sed pauca quædam interrogare te volo, an memoria polleas.

STREPSIADES. Ita hercle, gemino modo. Nam si mihi debeatur, præpolleo memoria: sin ipsus debeam, hei misero mihi! prorsus sum oblivioſus.

SOCRATES. Insitamne habes vim dicendi?

STREPSIADES. Haud dicendi quidem, sed defraudandi.

SOCRATES. Quomodo igitur poteris discere?

STREPSIADES. Bene: ne sis sollicitus.

SOCRATES. Age nunc, da operam, ut quum primum sapientem aliquam quæstionem proposuero de rebus cœlestibus, eam extemplo arripias.

STREPSIADES. Quid? num canum in morem sapientiam comedam?

SOCRATES. Homo iste rusticus est & barbarus. Vereor, ô senex, ne plagis indigeas. Age videam, quid facias, si quis te verberet?

STREPSIADES. Verberor. Deinde ubi me paululum continui, antestor: deinde ubi rursus pauxillum intermisi, in jus voco.

SOCRATES. Age nunc depone vestem.

STREPSIADES. Quæ tibi a me facta est injuria?

SOCRATES. Nulla: sed mos est ut nudi ingrediantur.

STREPSIADES. Atqui ego non ingredior res furtivas quæritatum.

SOCRATES. Depone: quid nugaris?

STREPSIADES. Hoc, quæso, dic mihi: si diligens fuero, & cupide didicero, cuinam tuorum discipulorum ero similis?

SOCRATES. Ingenio nihil differes a Chærephonte.

STREPSIADES. Hei miser! semimortuus fiam.

SOCRATES. Ne multum loquere, ſed propera, & ſequere me hac ocius.

STREPSIADES. In manum da mihi placentam mellitam prius: nam timeo huc intro, tanquam in Trophonii antrum, deſcendens.

SOCRATES. Perge: quid ſic morare circa oſtium?

CHORUS. Sed abi lætus ob iſtuc animi robur. Feliciter eveniat huic homini, quod ætate multum provecta, recentioribus ingenium ſuum rebus imbuit, & ſapientiam colit.

Spectatores, dicam vobis libere veritatem; per Bacchum juro, cujus alumnus ego ſum. Equidem ita vincam & pro ſapiente habear, ut, quia vos putabam ſpectatores elegantes eſſe, iſtamque eſſe præſtantiſſimam mearum comœdiarum, idcirco vobis primum eam volui guſtandam offerre, cui inſumſi laborem plurimum: deinde abſceſſi ab hominibus ineptis victus, meo quidem immerito. Ob hæc incuſo vos, qui ſapientes eſtis, quorum cauſa commentatus iſta fueram. Sed neque ſic tamen mea ſponte deſeram cordatiores. Ex quo enim hic apud viros, apud quos jucundum eſt vel verba facere & *Modeſtus* meus & *Cinædus* non male audivere; egoque (nam virgo adhuc eram, necdum licebat me parere) expoſui fœtum, quem alia quædam puella ſuſceptum abſtulit; vos autem educaſtis liberaliter & inſtituiſtis: exinde, inquam, ſatis ſpectata eſt mihi voſtra fides & benevolentia. Nunc itaque, ut Electra illa, venit hæc Comœdia, quærens an forte incidere poſſit in ſpectatores tam ſapientes: agnoſcet enim, ſi modo eum conſpiciat, fratris cincinnum. Quam vero modeſtis ſit moribus, videte; quæ primum quidem non ingreſſa eſt, conſutum quiddam habens coriaceum, pendulum, rubrum in ſummo, craſſum, ut pueris riſus excitetur; neque irriſit calvos, nec cordacem ſaltavit: nec ſenex, qui verſus recitat, baculo verberat adſtantem, dicta mordacia retundens; neque irrupit in ſcenam cum facibus, nec *Io, io*, clamat: ſed ſibimetipſi & verſibus fidens advenit. Et ego quidem, qui talis poëta ſim, non ſuperbio; neque ſtudeo vos decipere, bis terve eadem introducendo. Verum ſemper novas formas comminiſcor, quas inferam, nihil inter ſe ſimiles,

ſcitas & lepidas omnes: qui plurima valenti gratia Cleoni ventrem percuſſi, nec amplius tamen ei inſultavi jacenti. Iſti autem, ubi ſemel anſam dedit Hyperbolus, miſerum illum aſſidue conculcant, ejusque matrem. Primum quidem omnium Eupolis *Maricam* protraxit, quum noſtros *Equites* in alium habitum male commutaſſet malus, addita, quæ cordacem ſaltaret, anu temulenta, quam pridem Phrynichus commentus fuerat, objeceratque marinæ beluæ. Deinde Hermippus rurſus Hyperbolum traduxit; & jam omnes alii inſectantur Hyperbolum, imagines meas de anguillis imitantes. Cuicunque ergo iſta riſum movent, is meis ne capiatur: ſin meis inventis & me ipſo delectabimini, in futurum tempus recte ſapere videbimini.

SEMICHORUS. Cœlo regnantem, diisque imperantem magnum Jovem Choro ut adſit primum invoco: deinde præpotentem tridentis dominum, terræque & ſalſi maris ferum motorem: & nominatiſſumum patrem noſtrum, Ætherem venerabilem, nutricium omnium: equorumque agitatorem illum, qui prælucidis radiis permeat totum terræ ſolum, magnus apud deos & apud mortales deus.

CHORUS. O ſapientiſſumi ſpectatores, huc advortite mentem. Vos enim, a quibus paſſæ ſumus injuriam, palam incuſamus. Nam quum præ ceteris diis plurimum commodemus urbi, nobis tamen ſolis omnium deorum nec ſacruficatis, nec libatis, quæ vos conſervamus. Si enim absque ullo judicio decernatur expeditio aliqua, tunc aut tonamus, aut ſtillamus. Namque diis inviſum illum coriarium Paphlagonem quum eligeretis ducem exercitus, ſupercilia contraximus, & indignatæ ſumus, tonitrusque erupit cum fulmine: Luna autem ſolitas deſeruit vias, & Sol, ellychnio ſtatim in ſe contracto, negavit ſe lucere velle, ſi Cleo duceret exercitum: nihilominus eum elegiſtis. Aiunt enim *mala conſilia capere hanc civitatem ſolere; ſed quæcunque peccaveritis, illa deos in melius convertere.* Iſta vero quo pacto convenient, facile vos docebimus: nempe ſi Cleonem, voracem illum larum, ſordium & furti damnatum, capiſtraveritis, cervicemque ejus nervo conſtrinxeritis, id ſi

peccatum fuerit, rursus in pristinum vobis, atque in melius res ea cedet reipublicæ.

SEMICHORUS. Huc ades tu quoque Phœbe rex, Delie, excelsa qui tenes Cynthiæ rupis cacumina; tuque beata, quæ auream Ephesi domum habitas, in qua magnifice te colunt Lydorum puellæ; tuque patria nostra dea, Ægida quæ moderaris, urbis præses Minerva: & qui Parnasiam obtinens petram cum tædis fulges, Delphicas inter Bacchas conspiciendus, comissator Bacchus.

CHORUS. Quum nos huc profectionem moliremur, convenit nos Luna, mandavitque nobis, ut suis verbis plurimam Atheniensibus & sociis diceremus salutem. Hoc primum. Deinde irasci se aiebat: etenim atrocia perpessam esse, ut quæ vobis omnibus commodaret, non verbis, sed re palam. Primum quidem quot mensibus haud drachma minus pro tæda, adeo ut dicant omnes egredientes vesperi: *Ne facem emito, puer, quoniam Lunæ pulchra lux est.* Aliaque beneficia se vobis præstare dicit: vos tamen dierum rationem habere non recte, verum susque deque turbare: adeo ut interminari sibi deos identidem dicat, quando cœna fraudantur, & abeunt domum sacra non adepti, quæ ipsis fieri debuissent juxta statum dierum ordinem: deinde quum diis operari oportet, vos quæstiones de reis habetis & judicia exercetis: contra vero sæpe, nobis diis jejunia agentibus, quando nimirum lugemus aut Memnonem aut Sarpedonem, vos libatis & ridetis. Idcirco hoc anno sorte ducto ad Amphictyonum conventum legato Hyperbolo nos dii coronam ademimus; & merito: sic enim magis sciet, vitæ dies agendos esse secundum Lunæ cursum.

SOCRATES, STREPSIADES, CHORUS.

SOCRATES. Per reſpirationem, per Chaos, per Aërem juro, ut ego non vidi hominem tam ruſticum ullum, nec tam ſtupidum, nec tam ineptum, nec tam oblivioſum; qui ſubtilitates quaſdam parvas diſcens, eas obliviſcitur, antequam plene didicerit. At tamen eum foras vocabo huc in lucem. Ubi Strepſiades? exi ſumto grabbato.

STREPSIADES. Sed eum non me ſinunt efferre cimices.

SOCRATES. Propere depone & advorte animum.

STREPSIADES. En.

SOCRATES. Age, quid vis nunc primum diſcere, quod antea nunquam didiceris? dic mihi. Utrum de metris, aut de verſibus, an vero de rhythmis?

STREPSIADES. De metris equidem; quia nuper a venditore farinæ defraudatus fui duobus chœnicibus.

SOCRATES. Non hoc te rogo; ſed quodnam pulcherrimum metrum eſſe putes; trimetrumne an tetrametrum?

STREPSIADES. Equidem ſemiſextario nullum præſtare puto.

SOCRATES. Nihil dicis tu homo.

STREPSIADES. Certa mecum pignore, ni tetrametrum eſt ſemiſextarium.

SOCRATES. I in malam crucem. Quam ruſticus & indocilis es! cito tu de rhythmis aliquid diſceres ſcilicet.

STREPSIADES. Quid autem mihi proderunt rhythmi ad victum?

SOCRATES. Primum quidem ut ſis commodus & facetus in victu; deinde ut intellegas, quinam ſit rhythmus ſecundum enoplium, & quinam ſecundum dactylum.

STREPSIADES.

STREPSIADES. Secundum dactylum? at edepol novi.

SOCRATES. Dic ergo.

STREPSIADES. Quis alius, nisi dactylus hic? antehac vero, quum puer essem, iste.

SOCRATES. Rudis es & stolidus.

STREPSIADES. Atqui, ô miser, horum nihil discere cupio.

SOCRATES. Quid vero?

STREPSIADES. Illud, illud, inquam, sermonem illum injustissumum.

SOCRATES. Sed alia sunt, quæ te prius discere necesse est; quadrupedum quænam sint vere masculina.

STREPSIADES. At novi equidem, nisi insanio, quid masculinum sit: nempe ΚΡΙΟΣ, ΤΡΑΓΟΣ, ΤΑΥΡΟΣ, ΚΥΩΝ, ΑΛΕΚΤΡΥΩΝ.

SOCRATES. Viden' quid facias? & femellam vocas ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΑ, itidem uti & masculum.

STREPSIADES. Age vero, quomodo?

SOCRATES. Quomodo? ΑΛΕΚΤΡΥΩΝ & ΑΛΕΚΤΡΥΩΝ.

STREPSIADES. Verum est quod dicis, ita me Neptunus amet. Sed jam quomodo femellam nuncupem?

SOCRATES. ΑΛΕΚΤΡΥΑΙΝΑΝ: alterum autem ΑΛΕΚΤΟΡΑ.

STREPSIADES. ΑΛΕΚΤΡΥΑΙΝΑΝ inquis? Belle, per Aërem juro: adeo ut pro ista sola doctrina opplebo farina undique tuam ΚΑΡΔΟΠΟΝ.

SOCRATES. Ecce autem rursus alterum hoc peccatum. ΚΑΡΔΟΠΟΝ marem vocas, quæ tamen femina est.

STREPSIADES. Quomodo ego marem ΚΑΡΔΟΠΟΝ voco?

SOCRATES. Maxume quidem, sicuti ΚΛΕΩΝΥΜΟΝ.

STREPSIADES. Qua ratione? dic.

SOCRATES. Idem valet tibi ΚΑΡΔΟΠΟΣ & ΚΛΕΩΝΥΜΟΣ.

STREPSIADES. Sed, ô bone, ne quidem erat Cleonymo mactra, verum in rotundo mortario farinam subigebat. At deinceps quomodo appellare decet?

SOCRATES. Quomodo? ΚΑΡΔΟΠΗΝ, itidem ut dicis ΣΩΣΤΡΑΤΗΝ.

STREPSIADES. ΚΑΡΔΟΠΗΝ feminam rectius vocas: iſtuc autem longe rectiſſumum eſſet, ſi, ut ΚΑΡΔΟΠΗ, diceretur etiam ΚΛΕΩΝΥΜΗ.

SOCRATES. Præterea de nominibus hominum diſcere te neceſſe eſt, quænam ſint maſculina, & quæ feminina.

STREPSIADES. Sed novi equidem quæ feminina ſint.

SOCRATES. Dic ergo.

STREPSIADES. *Lyſilla*, *Philinna*, *Clitagora*, *Demetria*.

SOCRATES. Maſculina vero nomina quæ ſunt?

STREPSIADES. Perquam multa: *Philoxenus*, *Meleſias*, *Amynias*.

SOCRATES. Atqui, ô ſtulte, hæc non ſunt maſculina.

STREPSIADES. Non maſculina apud vos hæc ſunt?

SOCRATES. Nequaquam. Nam quomodo vocares, ſi in Amyniam incideres?

STREPSIADES. Quomodo vocarem? ſic: *Ades*, *ades*, *Amynia*.

SOCRATES. Viden'? mulierem jam *Amyniam* appellas.

STREPSIADES. Nonne illum merito, qui militiam detrectat? Sed quid juvat iſta diſcere, quæ omnes ſcimus?

SOCRATES. Nihil quidem hercle. Sed tu decumbens huc —

STREPSIADES. Quid faciam?

SOCRATES. Excogita quidpiam circa negotia tua.

STREPSIADES. Ne me, quæſo, ſuper hoc grabbato jubeas decumbere: ſed, ſi omnino decumbendum eſt, humi eadem iſta ſinas me excogitare.

SOCRATES. Fieri aliter nequit.

STREPSIADES. Infelix ego, quas hodie pœnas cimicibus dabo!

SOCRATES. Meditare jam & diſpice: in omnes partes te ipſum verſa, mente arcte conſtipata. Celeriter, quum in aliquam difficultatem incideris, ad aliud commentum tranſili: ſomnus autem dulcis abſit ab oculis.

STREPSIADES. Iattaræ, iattatæ!

SOCRATES. Quid tibi accidit? quid male te habet?

STREPSIADES. Pereo miſer: e grabbato prorepentes mordent me cimices, & mihi latus dilaniant, & animam ebibunt, & teſticulos evellunt, & culum perfodiunt, & me perdunt.

SOCRATES. Ne nunc nimis graviter doleas.

STREPSIADES. At quomodo? Quum mihi perierint opes, perierit color, perierit anima, perierit calceus, & ad hæc mala etiam pervigil cantans propemodum ipſus perierim.

SOCRATES. Heus tu, quid agis? meditarisne?

STREPSIADES. Egone? meditor, ita me Neptunus amet.

SOCRATES. Quid ergo meditatus es?

STREPSIADES. An cimices aliquid de me ſint relicturi.

SOCRATES. Peribis peſſume.

STREPSIADES. Sed, ô bone, jam perii.

SOCRATES. Ne molliter agas, ſed caput operi. Inveniundum enim eſt commentum defraudatorium, & aliqua captio.

STREPSIADES. Heu! quis itaque in me injiciat e pellibus agninis commentum privativum?

SOCRATES. Agedum, videam primo quid agat iſte. Eho tu, dormis?

STREPSIADES. Non equidem hercle.

SOCRATES. Habesne aliquid?

STREPSIADES. Edepol nihil ego.

SOCRATES. Nihil prorſus?

STREPSIADES. Nihil, niſi penem hunc, quem teneo dextra.

SOCRATES. Nonne te cooperiens ocius aliquid meditaberis?

STREPSIADES. Qua de re? hoc enim, quæſo, dic mihi, Socrates.

SOCRATES. Ipſemet quod primum invenire vis, eloquere.

STREPSIADES. Plus millies audiviſti, quid ego velim: de uſuris, inquam, ne illas ſolvam cuiquam.

SOCRATES. Agedum cooperias te, & cohibe apud te cogita-

tionem ſubtilem: minutatim conſidera rem, recte dividens eam & contemplans.

STREPSIADES. Hei miſer!

SOCRATES. Quieſce, & ſi forte hæſitaveris in aliquo commento, omitte & ab eo diſcede: deinde cogitationem rurſus commove, & denuo idem illud penſita.

STREPSIADES. O Socratiſce cariſſume!

SOCRATES. Quid eſt, mi ſenex?

STREPSIADES. Habeo commentum ad fraudandas uſuras.

SOCRATES. Fac illud palam.

STREPSIADES. Dic mihi ergo: ſi mulierem veneficam Theſſalam emerem, & noctu deducerem Lunam; deinde concluſam in theca aliqua rotunda, tanquam ſpeculum, aſſervarem?

SOCRATES. Quid, quæſo, hoc tibi prodeſſet?

STREPSIADES. Rogas? ſi non amplius oriretur Luna uſpiam, uſuras non darem.

SOCRATES. Quid ita?

STREPSIADES. Quia in ſingulos menſes pecunia datur fœnori.

SOCRATES. Bene. Sed aliud rurſus tibi proponam callidum quidpiam. Si tibi forte ſcriberetur dica quinque talentûm, quomodo eam obliterares? dic mihi.

STREPSIADES. Quomodo? quomodo? neſcio: ſed quærendum.

SOCRATES. Ne jam circa te ipſum coërceas & contineas cogitationem ſemper; ſed laxatam dimitte meditationem in aërem, tanquam ſcarabæum lino ex pede revinctum.

STREPSIADES. Inveni obliterationem dicæ callidiſſumam, ut ipſus etiam fateberis.

SOCRATES. Qualem?

STREPSIADES. En unquam apud pharmacopolas lapidem vidiſti, pulchrum illum & pellucidum, quo ignem accendunt?

SOCRATES. Cryſtallum dicis?

STREPSIADES. Illud, inquam.

SOCRATES. Cedo, quid faceres?

STREPSIADES. Si hoc ſumto, quando ſcriberet dicam ſcriba, longius ego ſtans ſic ad Solem literas liquefacerem dicæ mihi ſcriptæ?

SOCRATES. Lepide, ita me Gratiæ ament.

STREPSIADES. O! quam lætor, quod quinque talentûm dicam obliteravi!

SOCRATES. Age nunc celeriter iſtuc arripe.

STREPSIADES. Quidnam?

SOCRATES. Quo pacto, in judicium vocatus, actoris petitionem everteres, ſi eo res recidiſſet, ut condemnari te oporteret, quia teſtes non produceres?

STREPSIADES. Perquam facile & levi negotio.

SOCRATES. Dic ergo.

STREPSIADES. Atqui dico: ſi nimirum prius, dum adhuc una ſupereſt lis decidenda, antequam mea introducatur, curriculo abirem, & me ſuſpenderem.

SOCRATES. Nihil dicis.

STREPSIADES. Immo equidem vere, ita me dii ament. Nam nemo contra me mortuum introduceret litem.

SOCRATES. Nugaris; apage: nolim te amplius docere.

STREPSIADES. Quid ita, mi Socrates, per deos obſecro?

SOCRATES. Sed tu ſtatim obliviſceris quæcunque didiceris. Nam, dic mihi, quid erat, quod primo docebaris?

STREPSIADES. Age videam, quid erat primum? primum quid erat? quænam erat illa, in qua nimirum ſubigimus farinam? hei mihi! quænam erat?

SOCRATES. Nonne in malam rem hinc faceſſes, oblivioſiſſume & ſtolidiſſume ſenex?

STREPSIADES. Hei infelix! quid me fiet? nam pereundum mihi erit, quia non didici verſute dicere. Sed vos, ô Nubes, date mihi bonum aliquod conſilium.

CHORUS. Nos quidem, ô ſenex, iſtud conſilium tibi damus: ſi tibi forte eſt gnatus, quem educaveris, illum ut mittas, qui pro te diſcat.

STREPSIADES. At est quidem mihi gnatus præclaræ indolis: verum is discere nevolt. Quid igitur agam?

CHORUS. Tu vero hoc ei permittis?

STREPSIADES. Namque bona est corporis habitudine, & viget, & originem ducit ex mulieribus superbis de prosapia Cœsyræ. Sed eum arcessam; sin noluerit, haud potis ero, quin eum extrudam domo. Sed tu ingressus opperire me paulisper.

CHORUS. Sentisne, ut per nos solas ex omnibus diis plurima actutum bona poriere. Namque iste paratus est omnia facere, quæcunque jusseris: tu vero hominis attoniti & palam spe elati cognito ingenio, eum attonde, quamplurimum potes. Solent enim fere hujusmodi res cito immutarier.

STREPSIADES, PHIDIPPIDES, SOCRATES, CHORUS, JUSTUS ORATOR, INJUSTUS ORATOR.

STREPSIADES. Non amplius hîc manebis, per Nebulam juro: ſed abi, & comede Megaclis columnas.

PHIDIPPIDES. O miſer, quæ te intemperiæ agitant, mi pater? non recte ſapis, Jovem Olympium teſtor.

STREPSIADES. Ecce autem, ecce, *Jovem Olympium!* ô ſtultitia! hunccine iſta ætate Jovem putare eſſe ullum?

PHIDIPPIDES. At quæſo, quid hoc rides?

STREPSIADES. Quia mecum reputo te puerulum eſſe, vetuſtaque & obſoleta ut credas animum inducere. Attamen accede, ut plura ſcias; & aliquid tibi dicam, quo tu cognito vir eris. Cave autem ne iſtuc quemquam doceas.

PHIDIPPIDES. En adſum. Quid eſt?

STREPSIADES. Juraſti modo per Jovem.

PHIDIPPIDES. Equidem, ut dicis.

STREPSIADES. Vide ergo, quam bonum ſit diſcere. Non eſt Jupiter, mi Phidippides.

PHIDIPPIDES. Quis ergo?

STREPSIADES. Turbo regnat, qui Jovem expulit.

PHIDIPPIDES. Eho, quid deliras?

STREPSIADES. Scias hoc ita ſe habere.

PHIDIPPIDES. Quis hæc dicit?

STREPSIADES. Socrates Melius, & Chærephon, qui novit pulicum veſtigia.

PHIDIPPIDES. Tune eo usque inſaniæ es progreſſus, ut hominibus atra bile percitis credas?

STREPSIADES. Bona verba. Ne male dixeris de viris ſapientibus & cordatis, quorum, præ parſimonia, nullus unquam ſe tonderi aut exungi ſivit, neque in balneum ivit lavatum. Tu vero, tanquam ſi mortuus eſſem, me bonis eluis. Sed abi quamprimum, & pro me diſce.

PHIDIPPIDES. Quid vero boni ab illis diſci poteſt?

STREPSIADES. Itane? omnis humana ſapientia. Quin cognoſces, quam ipſe ſis rudis & pinguis ingeni: ſed præſtolare me pauliſper hîc.

PHIDIPPIDES. Hei mihi! quid faciam, delirante patre? Vocatumne in jus dementiæ eum arguam, an fabris loculorum indicem ejus inſaniam?

STREPSIADES. Age videam, quemnam putas hunc eſſe? dic mihi.

PHIDIPPIDES. ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΑ.

STREPSIADES. Bene ſane. Hanc vero, quid eam eſſe dices?

PHIDIPPIDES. ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΑ.

STREPSIADES. Idemne utrumque? ridiculus es. Ne itaque deinceps ita dixeris? ſed hanc voca ΑΛΕΚΤΡΥΑΙΝΑΝ: iſtum vero ΑΛΕΚΤΟΡΑ.

PHIDIPPIDES. ΑΛΕΚΤΡΥΑΙΝΑΝ inquis? hæccine tam præclara didiciſti, intro ingreſſus nuper ad impios illos Telluris filios?

STREPSIADES. Aliaque præterea multa: ſed quandocunque aliquid addiſcerem, continuo obliviſcebar, annis præpeditus.

PHIDIPPIDES. Ideone etiam veſtem perdidiſti?

STREPSIADES. At enim non perdidi: verum ſtudiis impendi.

PHIDIPPIDES. Calceos vero quo contuliſti, ô ſtolide?

STREPSIADES. Ut Pericles, ad neceſſarios uſus perdidi. Sed age, ambula, eamus: &, modo patri ſis obſequens, per me ſane pecca. Ego etiam me olim tibi adhucdum ſexenni ſcio obſecutum eſſe balbutienti, quando obolum illum quem ex Heliæa primum acceperam, ex eo tibi emi ploſtellum Jovis feſto.

PHIDIPPIDES. Profecto tibi olim iſta moleſtiam parient.

STREPSIADES. Bene ſane, quod morem geris. Ades, huc ades,

ê Socrates, egredere; adduco enim tibi gnatum istum meum, cui vel nolenti persuasi.

SOCRATES. Enim puer est adhuc rerum imprudens, & corbibus hîc pendentibus non adsuetus.

PHIDIPPIDES. Tu sane adsuetus fies, si pendeas.

STREPSIADES. Nonne in malam rem ibis? magistro tu convicium dicis?

SOCRATES. Ecce autem *si pendeas*, inquit! quam stulte locutus est, & labiis diductis! Quomodo iste unquam disceret, quanam arte judicio absolveretur, aut testes citaret, aut elevaret adversarii dicta, contrariaque persuaderet? atqui hæc pro talento didicit Hyperbolus.

STREPSIADES. Ne sis sollicitus: doce modo: nam ingeniosus est. Etenim quum adhuc puer tantillus esset, jam intus fingebat domos, & naves sculpebat, & plostella coriacea fabricabat, & ex putamine malorum punicorum ranas faciebat scitissume. Sed tu da operam, ut illos sermones addiscat, meliorem, inquam, quisquis ille sit, & pejorem, qui injusta dicendo meliorem evertit; si minus ambos, saltem injustum illum, quovis pacto.

SOCRATES. Ipsemet discet ab ipsis sermonibus.

STREPSIADES. Ego autem abero. Istuc igitur memineris, ut ad omnia e jure petita argumenta contradicere queat.

CHORUS. *(Deest Chori cantilena.)*

JUSTUS. Huc procede, & ostende te spectatoribus, licet audax sis.

INJUSTUS. I quo lubet: nam multo magis apud multitudinem dicendo te perdam.

JUSTUS. Tu me perdas? quis es?

INJUSTUS. Sermo.

JUSTUS. At inferior.

INJUSTUS. Sed te vincam, qui me potiorem te esse dicis.

JUSTUS. Quanam arte, quave sapientia?

INJUSTUS. Commenta nova inveniundo.

JUSTUS. Iſta enim florent propter iſtos ſtultos.

INJUSTUS. Non ſtultos, verum ſapientes.

JUSTUS. Perdam te peſſume.

INJUSTUS. Quid faciendo? dic.

JUSTUS. Illa dicendo, quæ juſta ſunt.

INJUSTUS. Sed iſta evertam contradicendo: nam eſſe juſtitiam plane nego.

JUSTUS. Negas eſſe?

INJUSTUS. Cedo, ubi eſt ergo?

JUSTUS. Apud deos.

INJUSTUS. Quomodo, quæſo, ſi juſtitia eſt, Jupiter non periit, qui patrem ſuum in vincula conjecit?

JUSTUS. Au! iſtuc ſane malum procedit. Nauſeam facit; date mihi pelvim.

INJUSTUS. Decrepitus es & inconcinnus.

JUSTUS. Cinædus es & impudens.

INJUSTUS. Mihi roſæ videntur quæ dicis.

JUSTUS. Et ſcurra.

INJUSTUS. Liliis me coronas.

JUSTUS. Et parricida.

INJUSTUS. Non animadvertis, ut me auro conſpergas.

JUSTUS. Olim certe non auro, verum plumbo conſpergebaris.

INJUSTUS. At nunc illud eſt mihi ornamentum.

JUSTUS. Quanta eſt tua audacia!

INJUSTUS. Quanta vero tua ineptia?

JUSTUS. Propter te frequentare ludum nullus volt aduleſcens: & agnoſcent olim Athenienſes, qualia doceas ſtultos.

INJUSTUS. Turpiter ſqualles.

JUSTUS. Tu autem es dives, tametſi antehac mendicabare, Telephum illum Myſum te eſſe prædicans, e perula depromtas Pandeleti ſententias rodens.

INJUSTUS. O quantam memoras mihi ſapientiam!

JUSTUS. O quanta eſt ſtultitia tua, & civitatis, quæ te alit, corrumpentem mores aduleſcentum!

INJUSTUS. Hunc non docebis tu, qui ſenex es & delirus.

JUSTUS. Si modo ſervari eum oportet, & non loquacitatem ſolum exercere.

INJUSTUS. Huc accede, & iſtum ſine inſanire.

JUSTUS. Vapulabis, ſi manum ei admoveas.

CHORUS. Deſinite rixæ & conviciorum: ſed oſtendite, tu quidem prioris ævi homines qualia docueris; tu vero novam diſciplinam; ut audita & dijudicata veſtra lite, in ludum alterutrius eat.

JUSTUS. Facere iſta volo.

INJUSTUS. Ego etiam volo.

CHORUS. Age, quis veſtrûm dicet prior?

INJUSTUS. Iſti concedam: deinde ex illis, quæ dixerit, ipſum novis verbis & ſententiis, quaſi ſagittis, configam: poſtremo ſi hiſcere occeperit, totam faciem & oculos, quaſi a crabronibus, compunctus ſententiis meis, peribit.

CHORUS. Nunc oſtendent iſti, freti callidis ſermonibus, & cogitationibus, & meditationibus ſententias procudentibus, uter eorum dicendo ſit melior: etenim hîc nunc ſummo in diſcrimine verſantur ſapientiæ, de qua meis amicis maxumum eſt certamen. Sed, ô qui priores homines moribus bonis decoraſti, rumpe vocem, qua delectaris, & indolem tuam oſtende.

JUSTUS. Dicam igitur veterem diſciplinam, quomodo comparata fuerit, quum ego juſta dicendo florerem, & modeſtia adhuc moribus recepta eſſet. Primum quidem decebat nullius pueri mutientis vocem audiri: deinde incedere oportebat in viis modeſte euntes, ad citharœdum vicanos nudos & confertos, etiamſi ningeret inſtar farinæ: deinde cantilenam docebat, quam diſcerent, femina non comprimentes, aut *Palladem invictam vaſtatricem urbium*, aut *Longe vagantem clamorem*, traditum intendentes a patribus modum. Si vero eorum aliquis ſcurrile quid inceptaret, fracta mollique voce canens, auctor ipſe inventi, & in modis Chios vel Siphnios imitans,

quales sunt flexiones illæ vulgo nunc acceptæ, quas Phrynis invexit, tam laboriosæ, is male mulcabatur, multis contusus verberibus, tanquam qui Musas aboleret. In palæstra autem oportebat sedere pueros femore prætenso, ne quid indecori ostenderent extrariis: tum rursus quando surgerent, arenam converrere, & providere, ne impressam aliquam imaginem pubis relinquerent amatoribus. Nullus tunc puer ungebatur infra umbilicum; quapropter in genitalibus ros & lanugo, sicut in malis, floresebat: nec ad amatorem accedebat, voce molliter infracta & modulata, lascivisque oculis alliciens, ipse suus leno: nec sumere licebat cœnanti caput raphani, neque anethum senioium præripere, nec apium, nec pisces comedere, nec turdos, nec pedem alterum alteri implicare.

INJUSTUS. Antiqua sane hæc sunt, & Diipoliis coæva, plena cicadis, & Cecida, & Buphoniis.

JUSTUS. Attamen hæc sunt illa, quibus mea disciplina viros educavit, qui Marathone pugnarunt: tu autem nunc homines doces statim vestibus involvi: adeoque enecor indignatione, quando in Panathenæis, ubi eos saltare oportet, aliquis clypeum peni prætendens neglegit Tritogeniam. Proinde, ô adulescens, audacter me potiorem sermonem elige; & tunc disces odisse forum, & a balineis abstinere, & erubescere ob turpia, &, si quis te ideo cavilletur, excandescere, & senioribus accedentibus loco cedere, nec male facere tuis parentibus, nec aliud quicquam turpe admittere, quia Pudoris signum debes effingere: nec ad saltatricem irrumpere, ne istis rebus inhiantem malo petat meretricula, famaque tua deteratur; nec contradicere patri quicquam, nec, Japetum eum vocitando, meminisse malorum illius ætatis, quæ te educavit.

INJUSTUS. Si huic, ô adulescens, de istis creduas, ita me Bacchus amet, similis eris Hippocratis filiis, & vulgo te vocabunt blitcum.

JUSTUS. Immo nitidus & florens in palæstris versaberis; non garries in foro inconditas nugas, quales isti nunc, neque traheris in jus ob rem levem, quæ te tum perdere possit propter calumnias

adverſariorum: verum in Academiam deſcendens, ſub ſacris oleis decurres, redimitus calamo albo, cum modeſto æquali tuo aliquo, ſmilacem redolens & otium, & albam populum folia germinantem, verno tempore gaudens, quando platanus ulmo ſuſurrat. Quod ſi hæc quæ dico facias, eoque advortas animum, habebis ſemper pectus pingue, colorem nitidum, humeros magnos, linguam exiguam, nates magnas, penem parvum. Sin illis rebus, quibus iſti nunc, ſtudebis, primum quidem habebis colorem pallidum, humeros parvos, pectus tenue, linguam magnam, nates parvas, penem magnum, decretum longum: & perſuadebit tibi, ut credas quidquid turpe eſt, illud eſſe honeſtum, quidquid honeſtum, illud turpe; & ad hæc Antimachi mollitie oppleberis.

CHORUS. O ſapientiæ excelſæ & inclytæ cultor, quam ſuavis orationi tuæ & modeſtus ineſt flos! Beati ergo erant, qui tunc vivebant, quum tu adhuc eras, prioris ævi homines. Tu vero, cui molle atque facetum adnuit Muſa, contra iſta oportet aliquid novi te adferre; nam iſte vir multam laudem adeptus eſt. Solerti autem conſilio videtur tibi opus fore adverſus eum, ſi virum illum volueris ſuperare, & non ludibrium debere.

INJUSTUS. Atqui dudum mihi præfocantur ilia, cupienti omnia iſta contrariis ſententiis conturbare. Nam ego Pejor quidem Sermo ob id ipſum vocor a ſcholaſticis, quia primus excogitavi, quomodo quis legibus & juri contradicere poſſit: ſed hoc auro contra carum non eſt, ſi nimirum ſuſcipias cauſam debiliorem, & tamen vincas. Sed ſpecta, quomodo confutabo diſciplinam hujus, cui confidit; qui negat ſe paſſurum te calida lavari. Quo itaque argumento vituperas calida lavacra?

JUSTUS. Quia peſſuma ſunt, & hominem reddunt ignavum.

INJUSTUS. Quieſce: nam ecce te medium teneo, ut elabi nequeas. Dic mihi, quemnam ex Jovis filiis fortiſſimi animi putas fuiſſe, & labores plurimos exantlaſſe?

JUSTUS. Mea quidem ſententia nemo potior fuit Hercule.

INJUSTUS. Ubinam, quæso, vidisti unquam frigidas balineas Herculeas? & quis tamen erat fortior?

JUSTUS. Hæc sunt illa nimirum, quæ adulescentibus quotidie in ore sunt, & efficiunt ut balneum sit plenum, palæstræ vacuæ.

INJUSTUS. Vituperas deinde hanc in foro versandi consuetudinem; at ego laudo. Nam si hoc malum esset, Homerus nunquam fecisset Nestorem oratorem, & ceteros sapientes omnes. Redeo nunc hinc ad linguam, quam iste negat juniores exercere debere; ego vero aio. Tum etiam modestiam colendam esse ait. Quæ duo maxuma sunt mala. Nam cui tu unquam propter modestiam vidisti boni quidpiam obtigisse? Dic mihi, & me dictis refelle.

JUSTUS. Multis: nam Peleus ista de causa accepit a diis machæram.

INJUSTUS. Machæram? lepido sane lucro auctus, miserrumus ille. At Hyperbolus ex lychnis vendundis talenta accepit perquam multa propter malitiam; non vero, ita me Jupiter amet, non ille machæram.

JUSTUS. Thetidem etiam, quod modestus esset, duxit Peleus.

INJUSTUS. Quæ deinde, deserto illo, abiit: non enim erat protervus, nec is, qui dulci ludo perpetem noctem in stragulis duceret: mulier autem gaudet, si probe subagitetur. Sed tu nugator ineptus es. Nam considera, ô adulescens, omnia quæ in modestia insunt, quantisque voluptatibus sis carituras, pueris, mulieribus, cottabis, piscibus, vino, cachinnis. At si istis defraudareris, quid esset, quamobrem vitam amares? sed de istis hactenus. Transeo nunc ad naturæ necessitates. Peccasti, amasti, stuprum fecisti quidpiam, tum deprehensus es; periisti: causam enim orare nescis. At si mecum fueris, indulge genio, salta, ride, nihil putato turpe. Si enim cum aliena uxore rem habens deprehendaris, ipsi marito præfracte dicito te injuriam non fecisse: deinde ad Jovem causam refer, quia & ille amori mulierum succubuit: tu vero mortalis qui sis, quomodo possis esse potentior Jove?

JUSTUS. Quid vero? si raphanismum & vulsuram patiatur tibi

morem gerens, habebitne aliquod argumentum, quo oſtendat, ſe laticulum non eſſe?

INJUSTUS. Quid tum, ſi laticulus ſit? quid inde fiet illi mali?

JUSTUS. Quidnam vero majus iſto malum poſſit illi unquam contingere?

INJUSTUS. Quid itaque dices, ſi hac in re te vicero?

JUSTUS. Tacebo: quid enim aliud agerem?

INJUSTUS. Agedum dic mihi, patroni cauſarum ex quorum hominum ordine ſunt?

JUSTUS. E laticulis.

INJUSTUS. Credo. Quid vero? tragici poëtæ ex quorum ordine ſunt?

JUSTUS. E laticulis.

INJUSTUS. Recte autumas. Et populi moderatores ex quorum ordine?

JUSTUS. E laticulis.

INJUSTUS. Ergone agnoſcis tandem te nihil dicere? Etiam inter ſpectatores utri ſint plures, ſpecta.

JUSTUS. En, ſpecto.

INJUSTUS. Quid vides ergo?

JUSTUS. Multo plures mehercle laticulos video. Nam & iſtum novi ego, & illum, & crinitum huncce.

INJUSTUS. Quid ergo dices?

JUSTUS. Vincimur. O cinædi, per deos obſecro, accipite meum pallium; nam ad vos transfugio.

SOCRATES. Quid itaque? utrumne vis prehenſum iſtum tuum gnatum abducere, an ut eum doceam dicendi artem?

STREPSIADES. Doce & caſtiga, & memento, ut bene mihi exacuas eum: ex altera parte ut ei bucca valeat ad leviores lites; alteram vero buccam ejus exacue, ut valeat ad majora negotia.

SOCRATES. Ne ſis ſollicitus; recipies eum argutatorem probum.

PHIDIPPIDES. Immo pallidum, opinor, & miſerum.

SOCRATES. Ite nunc,

PHIDIPPIDES. Arbitror autem fore, ut te horum pœniteat.

CHORUS. Judices quid lucrabuntur, si aliqua Chorum hunc juste juverint, volumus vobis enarrare. Nam primum quidem ineunte vere, si volueritis agrum novare, pluemus vobis primis, ceteris posterius: deinde vites, jam natis uvis, custodiemus, ut neque eas siccitas, neque nimia lædat pluvia. Si vero nos Deas contemserit mortalis quispiam, is advortat animum, quantis eum ulciscemur malis, quum e fundo suo nec vinum, nec aliud quicquam percipiet. Nam quando germinaverint oleæ & vites, concidentur, adeo validis eas contundemus fundis. Si vero lateres illum fingere videbimus, pluemus; & tecti ejus tegulas rotunda comminuemus grandine. Tum si quando nuptias aut ipsus, aut cognatus, amicusve quis celebrabit, tota nocte pluemus: ut forsitan malit vel in Ægypto potius fuisse, quam judicasse perperam.

STREPSIADES, SOCRATES, PHIDIPPIDES, PASIAS, TESTIS, AMYNIAS, CHORUS.

STREPSIADES. Quintus, quartus, tertius, poſtea ſecundus, deinde, quem ego maxume omnium dierum timeo & horreo & abominor, ſtatim poſt illum eſt vetus & novus. Nam unusquisque eorum, quibus debeo, juramentum apud judices præſtat, pignoraque deponit, affirmans ſe funditus me peſſumdaturum, tametſi interea ut parcant, æquosque ſe præbeant, his verbis eos oro: *O bone, velis iſtud jam non flagitare, illud differre, hoc remittere.* At illi negant ſe unquam hoc pacto ſua recipere poſſe, & me pipulo differunt, injuſtum eſſe hominem dicentes, ſeque nomen meum delaturos. Nunc itaque deferant: parum enim id curo, ſiquidem Phidippides artem dicendi bene addidicit. Sed mox ſcibo, ſcholæ oſtium ubi pultavero. Puer heus, puer, puer.

SOCRATES. Strepſiadem ſalvere jubeo.

STREPSIADES. Dii te ament. Sed iſtum farinæ ſaccum prius accipe. Oportet enim magiſtrum munere aliquo beare. Et mihi gnatum dic, quem nuper introduxti, an ſermonem illum addidicerit.

SOCRATES. Addidicit.

STREPSIADES. Bene ſane, ô Fraus regina!

SOCRATES. Adeoque quamlibet litem facile efficiet, ut vincas.

STREPSIADES. Etiamne ſi teſtes adfuiſſent, quum fœnore acciperem?

SOCRATES. Multo magis, etiamſi mille adfuiſſent.

STREPSIADES. Itaque exclamabo alte intenſa voce: Io! nummularii, væ vobis: nunc pereatis, & vos ipſi, & ſors, & uſuræ uſurarum; nihil amplius mihi nocebitis. Talis mihi educatur in iſtis

ædibus gnatus, ancipiti lingua micans, propugnator meus, conservator domus, inimicis gravis, profligator paternarum curarum & magnarum moleſtiarum, quem evoca ocius foras ad me. O gnate, ô fili, fili, egredere domo; audi patris tui vocem.

SOCRATES. Hic vir ille eſt.

STREPSIADES. O amice, ô amice.

SOCRATES. Accipe eum ad te, & abi.

STREPSIADES. Io, io, gnate mi, Iu, iu! ut lætor, quum primum colorem tuum intueor: nunc facies indicat te paratum primo ad negandum, deinde ad contradicendum, & iſtud vernaculum revera in te apparet & viget, nempe: *Quid ais tu?* & *ſimulare ſe injuriam accepiſſe, quum ipſus alteri intulerit, &, ſat ſcio, male fecerit.* In vultu etiam tuo ineſt Atticus obtutus. Nunc ergo da operam, ut me ſerves, quia perdidiſti etiam.

PHIDIPPIDES. Quid ergo formidas?

STREPSIADES. Veterem & novum diem.

PHIDIPPIDES. Eſtne autem dies aliquis vetus & novus?

STREPSIADES. Ad quem ſe aiunt in jus vocaturos, depoſitis pignoribus.

PHIDIPPIDES. Peribunt ergo, qui depoſuerint; non enim fieri poteſt, ut unus dies biduum ſit.

STREPSIADES. Iſtucne fieri non poſſit?

PHIDIPPIDES. Nam quo pacto? niſi ſimitu eadem mulier & anus ſit & puella.

STREPSIADES. Atqui lex ita fert.

PHIDIPPIDES. Non enim, ut reor, legem intellegunt recte, quid ſibi velit.

STREPSIADES. Quid ſibi volt ergo?

PHIDIPPIDES. Solon ille antiquus erat ingenio populari.

STREPSIADES. Hoc quidem nihil facit ad veterem & novum diem.

PHIDIPPIDES. Ille igitur citationem in duos dies conſtituit, in veterem & in novum, ut pignora litigantes deponerent novilunio.

STREPSIADES. Cur itaque veterem addidit?

PHIDIPPIDES. Cur, ô fatue? ut ſiſtentes ſe rei uno die prius, ſponte ſe a litibus diſſolvant, re compoſita; ſin minus, ut mane ipſo novilunio acrius poſtulentur.

STREPSIADES. Cur ergo magiſtratus non ipſo noviluni die pignora accipiunt; ſed pridie, veteri & novo die?

PHIDIPPIDES. Idem enim facere mihi videntur, quod guloſi in conviviis. Ut quam citiſſume litigantium pignora raperent, idcirco uno die præverterunt.

STREPSIADES. Euge, ô miſeri, quid ſedetis ſtolidi, qui nobis ſapientibus ludibrium debetis, quum nihil aliud ſitis, quam lapides, numerus, pecudes, amphoræ temere coacervatæ? Quare in me ipſum & gnatum iſtum ob hanc felicitatem canendæ ſunt mihi laudes. *Quam beatus, ô Strepſiades, ipſus es, quam ſapiens, & qualem filium educas!* mihi nempe dicent amici & populares admirabundi, quando tu perorando vinces in foro cauſas. Sed introducere te prius volo & convivio excipere.

PASIAS. Ergone quemquam oportet ſuorum quicquam aliis projicere? nunquam ſane. Sed ſatius erat tunc ſtatim frontem perfricuiſſe potius, quam moleſtias cepiſſe. Siquidem nunc etiam ob meam ipſius pecuniam te traho teſtem citationis, inſuperque ex amico inimicus fiam populari meo. Attamen nunquam dedecorabo patriam, quoad vixero: verum Strepſiadem vocabo in jus —

STREPSIADES. Quis homo eſt?

PASIAS. Ad veterem & novum diem.

STREPSIADES. Teſtor in duos eum dixiſſe dies. Sed quamobrem me citas?

PASIAS. Propter duodecim minas, quas accepiſti, quum emeres equum illum varium.

STREPSIADES. Equumne? nonne auditis, quem vos omnes ſcitis odiſſe rem equeſtrem?

PASIAS. Immo hercle vero per Deos adjurabas, te eas redditurum.

STREPSIADES. Edepol enim nondum tunc addidicerat mihi Phidippides invictum illum sermonem.

PASIAS. Nunc autem eapropter infitias ire cogitas?

STREPSIADES. Quem enim alium fructum caperem ex illa doctrinâ?

PASIAS. Etiam sustinebis mihi negare per Deos juratus, ubi ego jussero?

STREPSIADES. Quosnam Deos?

PASIAS. Jovem, Mercurium, Neptunum.

STREPSIADES. Ita hercle; iisque Triobolum etiam, per quem jurarem, adderem.

PASIAS. Pereas itaque adhuc propter impudentiam!

STREPSIADES. Sale si perfricetur hic homo, melius se habeat.

PASIAS. Vah, ut derides!

STREPSIADES. Sex congios capiet.

PASIAS. Ita me magnus amet Jupiter & Dii, ut tu istuc haud impune dixeris.

STREPSIADES. Mirifice delector Diis tuis; & Jupiter juratus risum movet doctis.

PASIAS. Næ tu pro his dictis aliquando pœnas dabis. Sed redditurus ne sis, an non, pecuniam, responde, & me dimitte.

STREPSIADES. Otiose nunc consiste: ego enim actutum tibi respondebo clare.

PASIAS. Quid tibi videtur facturus?

TESTIS. Redditurus pecuniam videtur.

STREPSIADES. Ubi iste est, qui a me repetit argentum? dic, hoc quid est?

PASIAS. Hoc quid sit? ΚΑΡΔΟΠΟΣ.

STREPSIADES. Ergone repetis argentum, qui tam rudis es? non redderem vel obolum cuiquam, qui ΚΑΡΔΟΠΟΝ vocaverit eam, quæ est ΚΑΡΔΟΠΗ.

PASIAS. Non itaque reddes?

STREPSIADES. Non, quod ego quidem ſciam. Nonne igitur properabis & ocius hinc a foribus te abripies?

PASIAS. Abibo. Scias tamen me pignora apud judices depoſiturum, aut ne vivam amplius.

STREPSIADES. Perdes itaque & illa cum duodecim minis: quanquam ego nolim hoc tibi evenire, quia ΚΑΡΔΟΠΗΝ ſtulte vocaſti ΚΑΡΔΟΠΟΝ.

AMYNIAS. Io! hei mihi!

STREPSIADES. Hem! quisnam iſte eſt ejulatus? numquid aliquis Carcini deorum vocem edidit?

AMYNIAS. Quid? hoc ſcire vultis, quis ego ſim? ſum homo miſerrumus.

STREPSIADES. Abi ergo tuam viam.

AMYNIAS. O genium iratum meum! ô Fortunam, quæ rotas diffringit curruum meorum! ô Pallas, ut me perdidiſti!

STREPSIADES. Quid autem mali tibi fecit Tlepolemus?

AMYNIAS. Ne me irrideas, ô bone; ſed mihi pecuniam jube ut reddat filius, quam accepit, præſertim quum nunc male me habeam.

STREPSIADES. Quamnam iſtam pecuniam narras?

AMYNIAS. Quam ille fœnore ſumſit.

STREPSIADES. Male itaque revera tibi fuit, ut videtur.

AMYNIAS. Namque hercle equos agitans decidi.

STREPSIADES. Quid itaque deliras, tanquam ſi ab aſino decideris?

AMYNIAS. Deliro autem, ſi pecuniam recipere volo?

STREPSIADES. Non poteſt fieri ut tu ſis ſanus.

AMYNIAS. Quidum?

STREPSIADES. Nam cerebro quaſi emoto eſſe mihi videris.

AMYNIAS. At tu, ita me Mercurius amet, videris in jus rapiendus, niſi reddis argentum.

STREPSIADES. Reſponde mihi nunc, utrum putas Jovem idenridem recentem aquam pluere, aut Solem retrahere ab imo ſurſum eandem iſtam aquam.

AMYNIAS. Neſcio ego utrum fiat, neque mihi curæ eſt.

STREPSIADES. Quomodo ergo recipere argentum te æquum eſt, ſi nihil noſti de rebus cœleſtibus?

AMYNIAS. At ſi penuria obſtat quin ſortem reddas, redde ſaltem fœnus.

STREPSIADES. Fœnus vero quodnam eſt animal?

AMYNIAS. Quid aliud, niſi quod ſingulis menſibus, ſingulisque diebus magis magisque augetur argentum, ſenſim labente tempore?

STREPSIADES. Recte autumas. Quid itaque? poteſtne fieri, ut mare auctius eſſe nunc putes, quam antehac?

AMYNIAS. Non hercle; ſed æquale: non enim illud augeri decet.

STREPSIADES. Quomodo ergo, homo perdite, quum mare nihilo fiat auctius, influentibus fluviis, tu ſtudes argentum tuum auctius facere? nonne te hinc auferes ex ædibus? heus puer, affer mihi ſtimulum.

AMYNIAS. Hujus facti teſtes appello.

STREPSIADES. Perge; quid ceſſas? nonne te movebis, tu Samphora?

AMYNIAS. Nonne hæc contumelia eſt?

STREPSIADES. Non erumpes? contundam te, ſub culum te pungens, funalem equum: fugisne? Eram ergo te moturus loco una cum ipſis rotis tuis & bigis.

CHORUS. Hem! quale eſt adamare res pravas! Quippe hic ſenex, qui ejusmodi res adamavit, fraudare hos vult pecunia, quam ſumſit fœnore: nec fieri poterit, quin hodie eveniat ei aliquid, quod faciet, ut iſte argutator, ob ea quæ patrare cœpit, improviſum aliquod malum accipiat. Nam puto eum actutum inventurum, quod dudum quærebat, nimirum ut filius ei poſſit docte contrariis ſententiis oppugnare jura, adeo ut omnes vincat, cum quibus congreſſus fuerit, quamlibet prava dicat. Forte autem, forte optabit vel mutum eum eſſe.

STREPSIADES, PHIDIPPIDES, CHORUS, DISCIPULI SOCRATIS, SOCRATES, CHÆREPHON.

STREPSIADES. Io! io! O vicini & cognati & populares, ferte vapulanti auxilium quovis pacto. Hei mihi miſero! ô caput! ô maxilla! ſceleſte, patrem verberas?

PHIDIPPIDES. Aio, pater.

STREPSIADES. Videte confitentem, quod me verberet?

PHIDIPPIDES. Utique.

STREPSIADES. O ſcelerate, & parricida, & parietum perfoſſor!

PHIDIPPIDES. Eadem hæc iterum dic mihi, & plura maledicta ingere. Num tu etiam ſcis me lubenter male audire?

STREPSIADES. Proſtibulum popli.

PHIDIPPIDES. Conſperge me multis roſis.

STREPSIADES. Patrem verberas?

PHIDIPPIDES. Immo hercle etiam oſtendam jure me id feciſſe.

STREPSIADES. O impuriſſume, ecquo pacto fieri poteſt, ut quis jure verberet patrem?

PHIDIPPIDES. Id equidem demonſtrabo, & te vincam dicendo.

STREPSIADES. Iſtud tu vinces?

PHIDIPPIDES. Longe quidem & facile. Elige utrum ex duobus ſermonibus me velis perorare.

STREPSIADES. Quibus ſermonibus?

PHIDIPPIDES. Utrum velis potiorem an inferiorem?

STREPSIADES. Equidem hercle curaſſem te doceri, ô perdite, juri contradicere, ſi hoc eras mihi perſuaſurus, juſtum & honeſtum eſſe, patrem verberari a filiis.

PHIDIPPIDES. Immo arbitror me tibi ita persuasurum, ut, ubi audiveris, ne ipse sis mihi contradicturus.

STREPSIADES. Atqui audire volo, quid dicas.

CHORUS. Tuum est, ô senex, providere, quo pacto virum hunc vincas: nam iste, si non quapiam fiducia fretus esset, non esset adeo protervus: sed est aliquid, quod eum audacem facit: quippe palam est hominis præfidens sibi animus. Sed unde primum inceperit hæc rixa, oportet dicere Choro; & hoc tibi omnino erit agendum.

STREPSIADES. Equidem unde primum cœperimus conviciari inter nos, ego dicam. Quum enim jam epulati essemus, ut scitis, primo eum jussi lyram capere, & canere carmen Simonidis, *Aries ut detonsus fuit*: at ille statim dicere, ineptum esse canere ad citharam inter pocula, velut mulierem hordea molentem.

PHIDIPPIDES. Annon vero tunc statim oportuit verberari te & conculcari, cantare jubentem, haud secus ac si convivio cicadas acciperes?

STREPSIADES. Talia & intus tunc effutiebat, qualia nunc; & Simonidem dicebat malum esse poëtam. Et ego vix quidem, sed tamen continebam me primo: deinde jussi illum, ut sumta saltem myrto quidpiam ex Æschylo mihi recitaret. At ille continuo: *Recte enimvero jubes! namque ego Æschylo primum inter poëtas locum tribuo, strepitus pleno, incomposito, duro, confragoso.* Hîc jam quomodo putatis cor meum commotum fuisse? tamen compressa ira dixi ei: *Quin tu saltem recentiorum aliquid recita, quæcunque sunt scita ista & elegantia.* At ille statim cecinit ex Euripide longam orationem, quomodo subagitavit frater, pro Averrunce! sororem uterinam. Ego autem non amplius me continui, sed confestim incesso multis & turpibus conviciis: postea, ut fieri solet, maledicta maledictis cumulavimus: denique iste exsilit, tum tundit, cædit, suffocat, & me perditum it.

PHIDIPPIDES. Annon merito tuo, qui Euripidem non laudas sapientissumum?

STREPSIADES. Illumne ſapientiſſumum? O quem te memorem? ſed rurſus vapulabo.

PHIDIPPIDES. Idque mehercle jure.

STREPSIADES. Et quo jure? qui te, ô impudens, educavi tam ſedulo, ut, ſi quid balbutires, ſtatim omnia perſentiſcerem quæ velles. Quippe ſi *Bryn* diceres, ego confeſtim bibere dabam: ſi *Mamman* peteres, aderam ferens tibi panem: *Caccan* vix prolocutus eras, & ego te ſuſceptum foras efferebam, atque ante me tenebam. Tu vero nunc angens me clamantem, & vociferantem me cacaturire, non ſuſtinuiſti efferre, impuriſſume, foras me: ſed inter ſuffocandum ibidem cacavi.

CHORUS. Arbitror utique juniorum corda palpitare exſpectatione, quidnam dicturus ſit. Si enim iſte, qui talia perpetravit, dicendo effecerit, ut hæc credantur jure fieri, cutem ſeniorum non emeremus, ne quidem cicere. Tuum eſt, ô vibrator & quaſſator novarum ſententiarum, quamdam perſuadendi rationem conquirere, ut dicere videaris juſta.

PHIDIPPIDES. Quam ſuave eſt rebus novis & ſcitis imbui, & leges conſtitutas ſpernere poſſe. Ego enim quamdiu rei tantum equeſtri ſtudui, ne tria quidem verba profari poteram, quin peccarem. At nunc poſtquam iſte ab illis rebus me abduxit ipſemet, & ego adſuevi ſubtilibus ſententiis & orationibus & meditationibus, arbitror fore ut edoceam, fas eſſe patrem caſtigare.

STREPSIADES. Equita ergo, per Jovem obſecro; nam ſatius eſt me quadrigas alere, quam vapulantem peſſumdari.

PHIDIPPIDES. Illuc autem redibo, unde mihi ſermonem abrupiſti, & primum hoc te interrogabo: me puerum verberaſtine?

STREPSIADES. Ita, inquam, quia bene volebam & tibi proſpiciebam.

PHIDIPPIDES. Dic mihi, quæſo, annon & me tibi æquum eſt bene velle ſimiliter, & te verberare, ſi quidem bene velle, verberare eſt? Quomodo enim decet corpus tuum verberum eſſe immune,

meum autem non esse? atqui liber natus sum ego etiam. Plorant filii; at patri non plorandum esse censes?

STREPSIADES. Quid ita?

PHIDIPPIDES. Dices, lege receptum esse, ut puer hoc patiatur? at ego contra dicerem, senes bis pueros esse. Et æquius multo est senes plorare, quam juniores, quanto minus æquum est ipsos peccare.

STREPSIADES. Sed nusquam gentium lege receptum est, ut pater istud patiatur.

PHIDIPPIDES. Nonne ergo homo erat, sicut tu & ego, qui primo illam legem tulit, & dicendo persuasit veteribus ut ei parerent? Qui minus, quæso, licet mihi etiam legem novam ferre filiis, ut deinceps patres suos contra verberent? Plagas interim, quascunque accepimus, priusquam lex hæc daretur, missas facimus, & concedimus, ut impune flagris concisi simus ab ipsis. Specta vero sis gallos & alias bestias, quomodo patres suos ulciscantur. Attamen quid differunt a nobis illi, nisi quod decreta non perscribunt?

STREPSIADES Quid itaque, quando gallos per omnia imitaris, non stercus itidem comedis, & in pertica dormis?

PHIDIPPIDES. Non eadem ratio est, ô bone; nec sane Socrati ita videretur.

STREPSIADES. Quare tempera verberare: alioqui te ipsum olim culpabis.

PHIDIPPIDES. Quidum?

STREPSIADES. Quia æquum est, ut ego te castigem, & tu filium tuum, si tibi aliquis fuerit natus.

PHIDIPPIDES. Si vero non fuerit, frustrane ego ploravero, tuque me irriso moriere?

STREPSIADES. Mihi, ô æquales, æquum dicere videtur: & puto istis concedendum esse, quod par est. Nam plorare nos oportet, nisi quod justum est faciamus.

PHIDIPPIDES. Specta vero aliam adhuc sententiam.

STREPSIADES. Peribo enim, ni fecerim.

PHIDIPPIDES. Et forte non ægre feres iſtuc tibi eveniſſe, quod modo perpeſſus es.

STREPSIADES. Quomodo vero? doce quid inde mihi commodabis.

PHIDIPPIDES. Matrem etiam, ſicut & te, verberabo.

STREPSIADES. Quid ais? quid ais tu? hoc jam aliud majus malum.

PHIDIPPIDES. Quid, ſi pejore illo adhibito ſermone evincam dicendo, matrem verberari oportere?

STREPSIADES. Quid aliud vero? Iſtuc ſi feceris, nihil obſtabit, quin te ipſum injicias in Barathrum cum Socrate, & ſermonem illum pejorem. Per vos, ô Nubes, hæc mihi accidere, qui vobis omnes res meas commiſi.

CHORUS. Tutemet tibi horum cauſa es, qui te ipſum convertiſti ad mala facinora.

STREPSIADES. Cur itaque hæc mihi tunc non dicebatis, ſed hominem ruſticum & ſenem ſpe extuliſtis?

CHORUS. Semper iſtud factitamus, quotiescunque cognoverimus aliquem fraudes adamare, uſquedum ipſum conjiciamus in aliquod malum, ut diſcat deos revereri.

STREPSIADES. Eheu! acerba iſta ſunt, ô Nubes, ſed juſta. Non enim oportebat me pecuniam, quam fœnore acceperam, defraudare. Nunc igitur, mi cariſſume, veni mecum, ut Chærephontem illum impurum & Socratem perdas, qui me & te deceperunt.

PHIDIPPIDES. Sed haudquaquam magiſtros læſerim.

STREPSIADES. Immo reverere Jovem Patrium.

PHIDIPPIDES. Ecce autem *Jovem Patrium!* quam ſtultus es! Eſtne vero Jupiter aliquis?

STREPSIADES. Eſt.

PHIDIPPIDES. Non poteſt fieri: nam Turbo regnat, qui Jovem expulit.

STREPSIADES. Non expulit: ſed ego tum arbitrabar Jovem eſſe turbinem hunc. Hei miſero mihi! quum te etiam, qui fictilis es, pro deo habuerim.

PHIDIPPIDES. Iſtic tibi ipſe deſipe & nugare.

STREPSIADES. Hei mihi ob iſtam inſaniam! quantum deſipiebam, quum etiam deos propter Socratem ejicerem! at, ô cariſſume Mercuri, nequaquam mihi ſuccenſeas, neque me perdas; ſed da veniam mihi, quem garrulitas delirantem concinnaverat: & fias mihi conſultor, utrum eos publice reos poſtulem, an aliud faciam, quod tibi videtur. Recte mones, quod non ſinis lites conſuere, ſed quamprimum jubes incendere domum his argutatoribus. Adesdum, Xanthia, ſumta ſcala egredere, ligonem etiam ferens, deinde aſcende ſupra ſcholam, &, uſquedum in ipſos ruere facias domum, everte tectum, ſi herum amas. Mihi vero aliquis ferat facem accenſam, & faxo ego, ut illorum nonnemo pœnas mihi det hodie, etiamſi valde ſint arrogantes.

DISCIPULUS I. Io, io!

STREPSIADES. Tuum eſt, ô fax, plurimam flammam mittere.

DISCIPULUS I. Tu homo, quid facis?

STREPSIADES. Quid faciam? quid aliud, quam diſputo de ſubtilibus rebus cum trabibus hujus domus?

DISCIPULUS II. Heu! quis nobis incendit domum?

STREPSIADES. Ille, cujus veſtem cepiſtis.

DISCIPULUS II. Perdes nos, perdes.

STREPSIADES. Hoc enim ipſum etiam volo, niſi ligo fallat ſpes meas, aut ego forte prius delapſus cervicem fregero.

SOCRATES. Eho tu, quid facis, quæſo, qui in tecto es?

STREPSIADES. Per aërem incedo, & Solem contemplor.

SOCRATES. Hei mihi miſero! ſuffocabor infelix.

CHÆREPHON. At ego perditus comburar.

STREPSIADES. Nam qua fiducia freti contumelioſi eratis in deos, & Lunæ ſedem ſpeculabamini? pelle, jace, feri multis de cauſis, maxume vero quum ſcias eorum in deos impietatem.

CHORUS. Præite foras: Chorus enim nobis ſatis eſt actus hodie.

FINIS NUBIUM



ARISTOPHANIS
AVES.

DRAMATIS PERSONÆ.

EUELPIDES.
PISTHETÆRUS.
TROCHILUS famulus Epopis.
EPOPS.
CHORUS AVIUM.
PHŒNICOPTERUS.
PRÆCONES.
SACERDOS.
POETA.
FATIDICUS.
METO.
INSPECTOR.
LEGISLATOR.
NUNTII.
IRIS.
PATRICIDA.
CINESIAS.
SYCOPHANTA.
PROMETHEUS.
NEPTUNUS.
TRIBALLUS.
HERCULES.
FAMULUS Pisthetæri.

EUELPIDES, PISTHETÆRUS, TROCHILUS, EPOPS, CHORUS, PHŒNICOPTERUS, PRÆCO.

EUELPIDES. Rectane jubes, qua arbor illa conſpicitur?

PISTHETÆRUS. Disrumparis! hæc enimvero retro eundum eſſe crocitat.

EUELPIDES. Quid, miſer, ſurſum deorſum oberramus? peribimus fruſtra viam euntes redeuntesque.

PISTHETÆRUS. Mene vero miſerum cornici obſequutum iter decucurriſſe ſtadiorum plus quam mille!

EUELPIDES. Mene vero infelicem graculo obſequutum detriviſſe ungues digitorum!

PISTHETÆRUS. Atqui nec ubi terrarum ſimus amplius equidem novi.

EUELPIDES. Hinccine tu patriam invenias alicubi?

PISTHETÆRUS. Nunquam hercle: ne Execeſtides quidem hinc inveniat.

EUELPIDES. Væ mihi!

PISTHETÆRUS. At tu, amice, iſtam viam ingreditor.

EUELPIDES. Certe malo nos multavit ille ab aviario foro avium venditor Philocrates atra bile percitus; qui ſolas haſce inter omnes aves dixit nobis indices futuras eſſe Terei Epopis, qui ales factus eſt, vendiditque iſtum Tharrelidæ graculum obolo; hanc vero tribus: at enim utrisque nihil aliud ineſt quam morſicare. Et quid tu nunc hiante ore proſpectas? Eſtne locus aliquis, quo per petras nos adhuc duces? non enim hîc eſt ulla via.

PISTHETÆRUS. Nec pol hîc uspiam eſt ſemita.

EUELPIDES. An neque cornix quicquam de via dicit?

PISTHETÆRUS. Non: eadem hercle nunc crocitat atque antea.

EUELPIDES. Quid ergo de via dicit?

PISTHETÆRUS. Quid enim aliud, quam se rodendo abesuram dicit meos digitos?

EUELPIDES. Nonne vero miserum est, nos, qui cupimus ad corvos ire, & id jam molimur, non tamen invenire posse viam? Nos etenim, ô viri, qui huic sermoni interestis, haud consimili morbo laboramus, atque ille est Sacæ. Is enim, quum civis non sit, vi sese intrudit: nos autem tribu & genere insignes, cives cum civibus, nemine pellente, evolavimus e patria utrisque pedibus; non ipsam quidem illam odio habentes urbem, quasi non magna sit vere & fortunata, omnibusque communis habentiam in ea litibus perdituris. Enimvero cicadæ unum mensem, aut duos, in arborum cantant ramis; at Athenienses semper judiciis affixi cantant omnem vitam. Propterea hanc viam ingredimur, canistrumque ferentes, & ollam, myrrhinasque, erramus, locum investigantes negoti molestiæque vacuum, ubi perpetuam sedem figamus. Iter autem utrisque nobis est ad Tereum Epopem, utpote a quo scisciatari avemus, sicubi talem viderit urbem iis in locis ad quæ pervolavit.

PISTHETÆRUS. Heus tu.

EUELPIDES. Quid est?

PISTHETÆRUS. Jamdudum mihi cornix, sursum ut tendamus, quiddam significat.

EUELPIDES. Hic itidem graculus sursum hians spectat, quasi aliquid mihi monstraret: neque omnino fieri potest, quin hic sint aves. Jam scibimus, ubi sonitum pultando fecerimus.

PISTHETÆRUS. Scin' vero quid facias? crure tuo pulta petram.

EUELPIDES. At tu capite, sis, duplex ut exoriatur sonus.

PISTHETÆRUS. Ergo itaque sumto lapide pulta.

EUELPIDES. Utique, siquidem videtur. Puer, heus puer.

PISTHETÆRUS. Quid tu mihi? Epopem evocaturus, *Puer* dicis. Nonne vice *pueri* decebat *Epopoi* inclamare?

EUELPIDES. Epopoi. Efficiesne ut pultem denuo? Epopoi.

TROCHILUS. Quinam hi? quis inclamat herum?

EUELPIDES. Apollo Averrunce, qui rictus!

TROCHILUS. Væ mihi miſero! aucupes iſti ſunt.

EUELPIDES. O bone, quid conturbaris? nam cur meliora non loqueris?

TROCHILUS. Male peribitis.

EUELPIDES. Atqui homines non ſumus.

TROCHILUS. Quid ergo?

EUELPIDES. Hypodedios ego ſum, avis Lybica.

TROCHILUS. Nihil dicis.

EUELPIDES. At enim interroga pedes noſtros.

TROCHILUS. Hicce vero quis eſt ales? quin dicis?

PISTHETÆRUS. Epicechodos equidem Phraſianicus.

EUELPIDES. At tu, quid tandem animalis es, obſecro?

TROCHILUS. Ales equidem ſervus.

EUELPIDES. Num ab aliquo ſuperatus es gallo?

TROCHILUS. Minume. Sed quando herus meus in epopem eſt converſus, tunc fieri me quoque optavit alitem, ut a pedibus me haberet & miniſtrum.

EUELPIDES. An igitur avi etiam uſus eſt miniſtro aliquo?

TROCHILUS. Hic quidem, opinor, utpote qui antehac homo fuerit olim, nunc quidem comedere cupit apuas Phalericas: ego, ſumta trulla, ad apuas curro: nunc autem pultem deſiderat; tudicula opus eſt & olla; tudiculam arceſſitum curro.

EUELPIDES. Trochilus ales iſte eſt. Scin' ergo quid facias, Trochile? herum nobis voca.

TROCHILUS. Atqui hercle modo obdormivit, poſtquam comedit myrti baccas, & vermes aliquot.

EUELPIDES. Attamen illum excita.

TROCHILUS. Equidem liquide ſcio illum hoc ægre laturum: veſtri tamen gratia illum expergefaciam.

PISTHETÆRUS. Male pereas: ita me occidiſti metu.

EUELPIDES. O me infortunatum! etiam graculus mihi evolavit præ metu.

PISTHETÆRUS. O tu timidiſſumum animal, pavens amiſiſti graculum?

EUELPIDES. Dic mihi, quæſo, nonne tu prolapſus amiſiſti coturnicem?

PISTHETÆRUS. Non equidem hercle.

EUELPIDES. Ubi igitur eſt?

PISTHETÆRUS. Avolavit.

EUELPIDES. Non ergo amiſti, ô bone? quam virili es animo!

EPOPS. Aperi ſilvam, ut exeam tandem.

EUELPIDES. O Hercules! hoc quid tandem eſt animalis? quænam hæc eſt pennarum, quæ triplicis criſtæ ratio?

EPOPS. Quinam illi ſunt, qui me quærunt?

EUELPIDES. Conſentes Dii .... qui te male mulcaſſe videntur.

EPOPS. Num mihi illuditis, formam videntes alarum? Equidem eram, hoſpites, antehac homo.

EUELPIDES. Tibi non irridemus.

EPOPS. Cui ergo?

EUELPIDES. Roſtrum tuum nobis ridiculum videtur.

EPOPS. Talibus ergo Sophocles injuriis adficit in Tragœdiis me Tereum.

EUELPIDES. Tune itaque Tereus es? utrum ales an pavo?

EPOPS. Ales equidem.

EUELPIDES. At enim ubi tibi ſunt pennæ?

EPOPS. Defluxerunt.

EUELPIDES. Anne morbo aliquo?

EPOPS. Minume. Sed hieme cunctis alitibus pennæ defluunt; iterumque aliæ enaſcuntur. Sed dicitote mihi, vos quinam eſtis?

EUELPIDES. Nos? mortales ſumus.

EPOPS. Cujates gente?

EUELPIDES. Unde triremes illæ pulchræ ſunt.

EPOPS. Num Heliaſtæ?

EUELPIDES. Minume. Sed alterius moris, Apeliaſtæ.

EPOPS. Seriturne ibi illud ſemen?

EUELPIDES. Toto in agro ſi quæras, pauxillum inde feres.

EPOPS. Cujus itaque rei indigentes huc veniſtis?

EUELPIDES. Te convenire cupientes.

EPOPS. Qua de re?

EUELPIDES. Quia primum quidem olim homo fuiſti, uti nos: argentumque item debuiſti olim, uti nos; idque ſi non redderes, gaudebas olim, uti nos: deinde vero in avium converſus naturam, & terram circumvolaſti & mare; & omnia, quæcunque homo, quæque avis, pernoſti. Eo igitur ſupplices ad te huc venimus, ſi quam nobis urbem indicare habeas tenellam, cui molliter, ut in villoſis ſtragulis, incubemus.

EPOPS. Itane majorem Athenis urbem quæris?

EUELPIDES. Non quidem majorem, ſed nobis commodiorem.

EPOPS. Palam eſt ariſtocratiam te quærere.

EUELPIDES. Egone? minume. Quin Scelliæ filium abominor.

EPOPS. Qualem ergo lubentiſſume habitetis urbem?

EUELPIDES. Ubi ſumma ſint ejusmodi negotia; meas veniens ad fores mane aliquis amicorum hæc mihi talia dicat: *Per Jovem Olympium rogo, ut una mecum ſis & tu, tuique liberi, loti tempori: epulas enim nuptiales celebraturus ſum: neque aliter omnino feceris: ſin minus, ne ad me tunc inviſas, quum res fuerint adverſæ.*

EPOPS. Edepol næ tu miſerabilium rerum cupiditate duceris. Quid vero tu?

PISTHETÆRUS. Haud diſſimilia & ipſus amo.

EPOPS. Quænam?

PISTHETÆRUS. Ubi quis mihi obvius hæc exprobret, tanquam injuria adfectus, pueri formoſi pater: *Egregie vero mihi filium, ô Stilbonide, quum obviam haberes redeuntem a gymnaſio lotum, non oſculo tetigiſti, non adlocutus es, non illexiſti, neque teſticulos adtrectaſti, quum mihi paternus ſis amicus!*

EPOPS. Miſer, quanta expetis mala! ſed interim eſt, qualem dicitis, beata civitas propter Erythræum mare.

EUELPIDES. Hei mihi! nequaquam nobis maritimam urbem memores, ubi apparebit calatorem vehens ſummo mane Salaminia navis. Græcam vero urbem habenne nobis indicare?

EPOPS. Quidni ad Eleum Lepreum incolendum migratis?

EUELPIDES. Quia, ita me Dii ament, etſi non viderim, abominor tamen Lepreum, Melanthi cauſa.

EPOPS. Atqui alii utique ſunt Locridis Opuntii, ubi commode poteſt habitari.

EUELPIDES. Equidem vero Opuntius ut fiam, auri talentum non meream. At hæc cum avibus qualis eſt vita? Iſtuc enim tu noſti accurate.

EPOPS. Non injucunda degere: quippe ubi primum oportet vivere ſine marſupio.

EUELPIDES. Multam ſane e vita abſtuliſti depravationem.

EPOPS. Depaſcimur autem in hortis alba ſeſama, myrtique baccas, & papaver, & ſiſymbria.

EUELPIDES Vos igitur vivitis recens nuptorum vitam.

PISTHETÆRUS. Heu, heu! profecto magnum video conſilium in avium gente, & potentiam, quæ exſiſtere poſſit, ſi mihi obtemperetis.

EPOPS. Quid tibi obtemperemus?

PISTHETÆRUS. Quid mihi obtemperetis? Primum quidem ne circumvoletis quoquoverſus ore hiante, quia res eſt iſtæc indecora. Quod ut argumento tibi oſtendam, en illic apud nos ſi quis de inconſtantibus illis, quos volitare dicimus, interroget, *Quænam eſt hæc avis?* Teleas hæc dicet: *Homo eſt inſtabilis, immo avis volitans, vaga, nullum unquam momentum in eodem permanens.*

EPOPS. Ita me Bacchus amet, recte iſta carpis. Quid igitur faciamus?

PISTHETÆRUS. Condite unam urbem.

EPOPS. Qualem autem condamus aves urbem?

PISTHETÆRUS. Itane vero? ô ſiniſterrimum prolocute verbum! deſpice deorſum.

EPOPS. Enimvero deſpicio.

PISTHETÆRUS. Adſpice nunc ſurſum.

EPOPS. Adſpicio.

PISTHETÆRUS. Circumage collum.

EPOPS. Næ hercle operæ pretium fecero, ſi collum diſtorqueam.

PISTHETÆRUS. Vidiſtine quid?

EPOPS. Nubes equidem & cœlum.

PISTHETÆRUS. Nonne hic vero eſt avium polus?

EPOPS. Polus? quo pacto?

PISTHETÆRUS. Ac ſi quis diceret, *locus*. Quoniam autem illud circumrotatur, & tranſit per omnia, propterea vocatur *polus*. Illic autem ſi urbem condideritis, & ſepto ſemel circumdederitis, ex illo polo nominabitur urbs: quo facto hominibus imperabitis, uti locuſtis; ipſos autem deos perimetis fame Melia.

EPOPS. Quidum?

PISTHETÆRUS. In medio nimirum ſitus aër terram hinc diſterminat: tum, ſicuti nos, ſi ire velimus Delphos, Bœotos tranſitum rogamus, ſimiliter quando ſacruficabunt homines diis, niſi vectigal vobis pendant dii, per urbem alienam veſtrumque Chaos femorum oblatorum nidorem non transmittetis.

EPOPS. Iou, iou! Terram obteſtor, decipulas, nebulas & retia, haud ego commentum lepidius audivi unquam, adeo ut lubenter tecum condere cuperem hanc urbem, ſi idem viſum fuerit ceteris avibus.

PISTHETÆRUS. Quis igitur eam rem ipſis exponat?

EPOPS. Tute. Ego enim eas, quum barbaræ eſſent antidhac, edocui humanam vocem, quum longo tempore una fuiſſem.

PISTHETÆRUS. Quo pacto, quæſo, ipſas convocaveris?

EPOPS. Facile. Huc enim extemplo ingreſſus in fruticetum, & excitata deinde mea luſcinia, advocabimus eas: illæ vero noſtram vocem ubi exaudiverint curriculo adcurrent.

PISTHETÆRUS. Alitum ô tu cariſſume, ne igitur conſiſtas; ſed obſecro te, age, quam citiſſime in fruticetum ingredere, & excita luſciniam.

EPOPS. Age vitæ mihi conſors, deſine ſomni, ſacrorumque modos effunde hymnorum, quos divino ore flebiliter cantas, meumque tuumque lacrimabilem Ityn complorans tenelli oris liquidis cantibus. Purus procedat per comantes taxos ad Jovis usque ſedem ſonus, ubi aureo decorus crine Phœbus tuum exaudiens melos, ad tuos elegos reſponſans, pulſat eburneam citharam, deorumque ſtatuit choros: tum vero ex immortalium ore exit concordans ſimul divina beatorum acclamatio.

(Tibia canit intus aliquis.)

PISTHETÆRUS. Pro Jupiter! ô delectabilem aviculæ vocem! ut melle perfudit univerſum fruticetum!

EUELPIDES. Heus tu.

PISTHETÆRUS. Quid eſt?

EUELPIDES. Quin taces?

PISTHETÆRUS. Quid ita?

EUELPIDES. Epops ad cantandum iterum ſe comparat.

EPOPS. Epopoi, popopo, popoi, popoi. Io, io, ito, ito, ito, ito, ito huc aliqua ſociarum mihi volucrium, quotquot fertiles agrorum tractus depaſcimini, infinita genera hordeivorarum, feminaque legentium gentes celeriter volantes, mollem emittentes vocem; quæque in ſulcatis agris ſuper glebis cacabatis tam exili ſono, gaudentes voce. Tio tio tio tio tio tio tio tio. Et quæcunque veſtrûm per hortos in hederæ ramis vagamini, quæque per montes, & quæ ſilveſtrem depaſcimini olivam arbutumque; cito advolate ad meam vocem: trioto trioto trioto tobrix. Quæque paludoſis in vallibus aculeatos culices devoratis; & quæ roſcida terræ loca incolitis, pratumque amœnum Marathonis; atque avis picta alas attagen, attagen: quarumque ſuper marinos ponti fluctus gens cum alcedinibus volat: huc adeſte res novas audituræ. Omnia enim huc genera congregamus longicollium alitum. Quippe venit argutus quidam

ſenex, novi inventor conſili, novarumque rerum auctor. Igitur ite ad conferendos ſermones cunctæ huc, huc, huc, huc.

CHORUS. Torotorotorotorotorotorotinx, ciccabau, ciccabau, torotorotorotorotililinx.

PISTHETÆRUS. Viden' aliquam avem?

EUELPIDES. Nullam equidem, ita me juvet Apollo; & tamen inhians in cœlum ſuſpicio.

PISTHETÆRUS. Fruſtra ergo, ut videtur, in fruticetum ingreſſus Epops ſeſe, tanquam ſi ovis incubet, abſcondit, charadrium imitatus.

PHŒNICOPTERUS. Torotinx, torotinx.

PISTHETÆRUS. At, ô bone, hæcce jam aliqua venit avis.

EUELPIDES. Avis quidem hercle. At quænam illa eſt? anne vero pavo?

PISTHETÆRUS. Hic ipſe nobis indicabit. Quænam eſt iſta avis?

EPOPS. Hæc non eſt una illarum familiarium, quas vos videtis continuo; ſed paluſtris.

PISTHETÆRUS. Papæ! pulchra ſane & punicea.

EPOPS. Quippini? Siquidem & nomen ipſi ſit Phœnicoptero.

EUELPIDES. Heus tu.

PISTHETÆRUS. Quid clamitas?

EUELPIDES. Alia hæc iterum avis.

PISTHETÆRUS. Edepol næ alia, peregrina, ut videtur, alienamque hîc ſedem habens. Quænam hæc eſt abſurda oracula canens avis monticola?

EPOPS. Nomen huic Medus eſt.

PISTHETÆRUS. Medus? ô rex Hercules! Quo demum pacto ſine camelo, Medus quum ſit, advolavit?

EUELPIDES. Hæc autem alia criſtata avis quænam eſt?

PISTHETÆRUS. Quid tandem iſtuc portenti eſt? non itaque tu ſolus es Epops, ſed & hic alter.

EPOPS. Hic quidem Philoclis eſt filius ex Epope prognati: ego

vero avus ipsi sum paternus; ac si dicas: *Hipponicus Calliæ filius, & ex Hipponico Callias.*

PISTHETÆRUS. Callias igitur est hic ales. Ut ipsi plumæ defluunt!

EUELPIDES. Scilicet, ut qui generosus sit, a sycophantis deplumatur, & femellæ insuper evellunt ipsi pennas.

PISTHETÆRUS. O Neptune! eccum alium denuo versicolorem illum alitem. Quo vero nomine censetur iste?

EPOPS. Hic est Catophagas.

PISTHETÆRUS. Num vero Catophagas alius est atque Cleonymus? quî autem potis est, ut, Cleonymus quum sit, non abjecerit cristam? At vero quid sibi volunt isti avium apices? an diaulum cursuri venerunt?

EUELPIDES. Scilicet, ut Cares, ô bone, in collium apicibus incolunt, securitatis ergo.

PISTHETÆRUS. O Neptune! nonne vides quantum sit congregatum malum avium?

EUELPIDES. Apollo rex, quæ nubes! Iou, iou! præ volantum multitudine ne introitum quidem licet amplius conspicari.

PISTHETÆRUS. Hic perdix est; iste vero, ita me Jupiter amet, attagen; hic autem penelops, & iste alcedo.

EUELPIDES. Ecquis vero ille est pone alcedonem?

PISTHETÆRUS. Quis ille sit? cerylus.

EUELPIDES. Num igitur cerylus est ales?

PISTHETÆRUS. Quippini? an non & Sporgilus? hæc vero noctua est.

EUELPIDES. Quid ais? quis noctuam Athenas deportavit?

PISTHETÆRUS. Pica, turtur, alauda, eleas, hypothymis, columba, nertus, accipiter, palumbus, cuculus, erythropus, ceblepyris, porphyris, strix, urinatrix, ampelis, ossifraga, picus.

EUELPIDES. Iou, iou, quantum avium! Iou, iou, quantum merularum! ut pipiunt & cursitant perstrepentes! numquid nobis

minitantur? væ mihi! utique ora pandunt, atque in me reſpiciunt & te.

PISTHETÆRUS. Id quidem & mihi videtur.

CHORUS. Popopopopopopopopoi. Ubinam eſt qui me vocavit? quo tandem in loco degit?

EPOPS. Hìc jampridem adſum, neque amicos deſero.

CHORUS. Tititititimprou. Quem itaque tandem amicum ſermonem mihi adferens?

EPOPS. Popularem, tutum, juſtum, jucundum, conducibilem. Duo enim viri ſubtilis ingeni huc advenerunt ad me.

CHORUS. Ubi? qua ratione? quid inquis?

EPOPS. Ab hominibus aio adveniſſe huc duos ſenes: ſecum autem habentes veniunt ſtipitem rei prodigialis.

CHORUS. O tu, qui maxumum commiſiſti flagitium, ex quo equidem natus ſum & eductus, quid dicis?

EPOPS. Quod tibi memoro, ne id tibi adhuc terrorem incutiat.

CHORUS. Quid mihi feciſti?

EPOPS. Viros admiſi amantes hujus conſorti.

CHORUS. Tune iſtuc feciſti facinus?

EPOPS. Idque etiam feciſſe gaudeo.

CHORUS. Et jam nunc ubinam ſunt?

EPOPS. Apud nos, ſi quidem apud vos ego ſim.

CHORUS. Hei, hei! proditi ſumus, & infanda perpeſſi. Qui enim amicus erat, & in iisdem pariter nobiscum paſcebatur campis apud nos, transgreſſus eſt inſtituta vetera, violavitque ſacramenta avium, & in dolum me devocavit, inſidiisque expoſuit generis impii, quod, ex quo fuit natum, ad gerendas mecum inimicitias increvit. De hoc autem poſtmodum alite videbimus: hos vero ſenes æquum mihi videtur nunc dare pœnas, & dilacerari a nobis.

PISTHETÆRUS. Ut igitur periimus!

EUELPIDES. Cauſa tu quidem nobis es iſtorum malorum ſola. Quam enim ob rem me inde abduxti?

PISTHETÆRUS. Ut me ſequereris.

EUELPIDES. Ut equidem potius maxumopere plorem.

PISTHETÆRUS. Ea ſane in re deliras valde.

EUELPIDES. Quidum?

PISTHETÆRUS. Plorabis ſcilicet, ſi ſemel oculi tibi fuerint exciſi.

CHORUS. Io, io, irrue, fac hoſtilem impetum & letalem, alasque ſimul ingere, & circumcinge viros hos: nam utrosque plorare oportet, roſtroque præbere meo eſcam. Nullus etenim mons ombroſus, neque nubes ætheria, neque canum eſt mare, quod excipiat iſtos me effugientes. Sed ne nunc cunctemur illos vellicare & mordere. Ubinam eſt ordinum ductor? inducat dextrum cornu.

EUELPIDES. Hoc ipſum illud eſt. Quo fugiam infelix?

PISTHETÆRUS. At tu, non permanebis?

EUELPIDES. Utin' ab iſtis differar?

PISTHETÆRUS. At enim quomodo iſtos te cogitas effugere poſſe?

EUELPIDES. Neſcio quo pacto.

PISTHETÆRUS. At ego profecto tibi dicam, nobis pugnandum eſſe manentibus, & has capiendas eſſe ollas.

EUELPIDES. Quid autem olla nobis proderit?

PISTHETÆRUS. Tum quidem noctua nos non invadet.

EUELPIDES. Quid autem iſtis aduncos ungues habentibus faciam?

PISTHETÆRUS. Vericulum ocius arripe, atque ita erectum tibi prætende.

EUELPIDES. Oculis vero quidnam?

PISTHETÆRUS. Illis acetabulum inde ſumtum adpone, aut catinum.

EUELPIDES. O ſapientiſſume, bene ſane illud adinveniſti & imperatorie: tu vero jam Niciam exſuperas machinationibus callidis.

CHORUS. Elelelеu, procede, demitte roſtrum; cunctari non decet. Trahe, velle, feri, percute, primamque ollam confringe.

EPOPS. Dicite mihi, quam tandem ob cauſam, omnium peſſumæ

beluarum, perdetis, nullam passi injuriam, hos viros, & distrahetis, qui meæ conjugis cognati sunt & tribules.

CHORUS. Quid enim his magis parcemus, quam lupis? aut quos alios puniemur, qui nobis adhuc inimiciores sint?

EPOPS. At si natura quidem sunt inimici, animo tamen amici sunt, atque huc etiam veniunt, ut utile quid vos edoceant.

CHORUS. Quo tandem hi modo utile quid nos edocere queant, aut ostendere, qui avis jam meis exstiterint hostes?

EPOPS. Sed ab inimicis sane multa discunt sapientes. Cautio enim omnia conservat: ab amico autem illam non discas: at hostis cautos esse nos coëgit. Primum enim civitates ab hominibus didicerunt hostibus, non amicis, exstruere alta mœnia, & naves habere longas: istuc autem repertum servat liberos, familiam, rem.

CHORUS. Atqui, uti nobis videtur, sermones primum audire utile est: discat enim quis & ab inimicis sapiens quiddam.

PISTHETÆRUS. Hi vero iram remittere videntur: retro parumper cede.

EPOPS. Illud vero justum est; mihique hanc vos gratiam facere decet.

CHORUS. Et sane in nulla alia unquam tibi re contrarii fuimus.

PISTHETÆRUS. Magis pacem agunt nobiscum: quapropter ollam & catinos humi depone: & hastam oportet, hoc inquam veru, nos deambulare tenentes intra castra, ad ipsam ollam, extremam eam respicientes e propinquo. Nequaquam enim nobis fugiendum est.

EUELPIDES. Vera loqueris: si tamen occubuerimus, ubi terrarum sepeliemur?

PISTHETÆRUS. Ceramicus nos excipiet. Ut enim publice condamur, Prætoribus dicemus, nos cum hostibus depugnantes cecidisse ad Orneas.

CHORUS. Recipe te iterum in ordines, eodem unde abieras, animumque depone pronus juxta iram, tanquam gravis armaturæ

miles: istosque percontemur, quinam sint, & unde venerint, & quid consili gerant. Hem! Epops, te voco.

EPOPS. Cujus autem rei cupidus audiendæ me vocas?

CHORUS. Quinam hi sunt & unde?

EPOPS. Hospites e sapiente Græcia.

CHORUS. Quænam eos tandem fors induxit, ad aves uti venirent?

EPOPS. Cupido vitæ vostræ atque consuetudinis, tuique, tecumque habitandi, & usque una degendi.

CHORUS. Quid ais? quidnam enimvero dicunt?

EPOPS. Incredibilia & hactenus inaudita.

CHORUS. Videtne commodi aliquid, quod sibi ex hac habitatione contingat, quoque confidat, si nobiscum sit, se hostem superare, aut amicis prodesse posse?

EPOPS. Magnam aliquam prædicat felicitatem, inenarrabilem & incredibilem; hæc omnia scilicet esse tua, quæque hîc atque illic sunt, quæque horsum spectant, argumentis adstruit.

CHORUS. Satin' sanus est?

EPOPS. Difficile dictu, quam sit prudens.

CHORUS. Sapitne ei pectus?

EPOPS. Est callidissima vulpes, ipsa astutia, promti consili, subactus, versutus totus.

CHORUS. Dicere ipsum, dicere ad me jube. Auditis enim, quos mihi narras, sermonibus, in spem erigor.

EPOPS. Agite vero vos ambo, omnem illam armaturam sumite rursus, &, quod felix faustumque sit, suspendite in camino intus prope epistatem: tu vero ea, quorum causa hosce convocavi, edisfere atque expone.

PISTHETÆRUS. Haud equidem hercle, nisi illi mecum tale pacisscantur pactum, quale simius ille ensium faber cum sua pepigit uxore, ut neque illi me commordeant, neque testiculis trahant, neque fodicent —

EPOPS. Illumne metuis? intellegis. Nequaquam.

PISTHETÆRUS. Non hunc, ſed oculos dico.

CHORUS. Spondeo equidem.

PISTHETÆRUS. Jurejurando igitur hæc mihi confirma.

CHORUS. Ita iſtis omnibus vincam judicibus, & his cunctis ſpectatoribus.

PISTHETÆRUS. Eveniet hoc quidem.

CHORUS. Sin fefellero, ut uno tantum judice vincam.

PRÆCO. Audite populi: gravis armaturæ nunc quidem milites ſumtis armis revortantur domum: nos autem conſideremus, quæ ſint nobis in tabulis præſcribenda.

CHORUS. Subdolum quidem ſemper & vafrum omni modo natus eſt homo: at tu tamen eloquere. Fors enim commodum aliquid in medium protuleris, quod mihi excogitaveris, aut poteſtatem quandam majorem, quæ præterierit me imprudentem: tu autem illud perſpicis. In commune, quæſo, conſule: quodcunque enim mihi bonum conciliaris, illud erit commune. Sed cujuscunque rei cauſa huc venire animum induxti, confidenter eloquere: neutiquam enim pacta, antequam quid velis acceptum fuerit, violaverimus.

PISTHETÆRUS. Edepol næ dicere geſtio; dudumque mihi macerata eſt una oratio, quam porro ſubigere nihil vetat. Puer, affer corollam: ad manus aquam ocius quis miniſtret.

EUELPIDES. Cœnaturine ſumus, aut quid?

PISTHETÆRUS. Haud ſanequam: ſed dicere quæro jampridem magnam aliquam rem & pinguem, quæ iſtorum emolliat animos. Adeo veſtri cauſa percrucior, qui, quum antea reges eſſetis —

CHORUS. Nos reges? cujus?

PISTHETÆRUS. Vos inquam, omnium quæcunque ſunt, mei primum, hujuſce, & Jovis ipſius; quippe qui antiquiores priores-que exſtitiſtis Saturno & Titanibus & Terra.

CHORUS. Et Terra?

PISTHETÆRUS. Ita hercle.

CHORUS. De iſtoc, ita me Jupiter amet, nihil inaudiveram.

PISTHETÆRUS. Indoctis nimirum es moribus, atque incurioſus,

neque Æſopum triviſti, qui dicit alaudam avem ante omnia primum exſtitiſſe, ipſa Terra priorem: deinde morbo patrem ejus fuiſſe exſtinctum, quum Terra nondum eſſet: illum autem jacuiſſe inſepultum ad quintum uſque diem: illam vero conſili expertem præ ineluctabili rei difficultate, patrem ſuum in capite contumulaſſe.

EUELPIDES. Pater itaque alaudæ nunc conditus eſt poſt mortem in Cephalis.

EPOPS. Nonne itaque, ſi Terra priores, prioresque diis exſtiterint, ad eos, utpote antiquiſſumos, juſte pertinebit regnum?

EUELPIDES. Ita hercle: quapropter valde in poſterum oportet te roſtrum alere. Non enim facile Jupiter ſceptrum reſtituet pico.

PISTHETÆRUS. De diis ſane, eos in homines non habuiſſe imperium antiquitus, ſed illud penes aves fuiſſe, eosque regnaſſe, multa ſunt indicio. Ac primum quidem, ut inde ordiar, vobis oſtendam gallum regno potitum fuiſſe, Perſisque imperaſſe ante omnes, Dariumque & Megabyzum: quapropter nominatur adhucdum Perſicus ales, ex eo imperio.

EUELPIDES. Ideo videlicet nunc etiam, uti Magnus Rex, graviter incedit, tiaram in capite gerens, ſolus alitum, rectam.

PISTHETÆRUS. Tantum autem potuit, tantaque ejus tum fuit imperi magnitudo & dignitas, ut ad hoc usque tempus, propter poteſtatem, quam tunc olim obtinuit, quando ſolummodo diluculo cantaverit, exſiliant omnes ad opus, ærarii, figuli, coriarii, ſutores, balnearii, farinæ venditores, clypeorum lyrarumque confectores, & calceis in tenebris indutis ad res ſuas properent.

EUELPIDES. Illud quidem ex me quære: lænam enim perdidi miſer e Phrygia mollique lana, iſtius opera. Ad nominalia enim aliquando pueri celebranda vocatus compotabam in urbe, atque jam obdormiebam: priusquam vero deſiiſſent ceteri bibere, gallus iſte cecinit: ego autem diluculum eſſe ratus Alimuntem diſceſſi: & vix proceſſeram extra murum, atque graſſator clava mihi dorſum percutit; tum ego procido, jamque opem imploraturus eram; is me interea veſte ſpoliavit.

PISTHETÆRUS.

PISTHETÆRUS. Miluus itidem Græcis tunc imperitavit, regnoque potitus eſt.

EPOPS. Græcis?

PISTHETÆRUS. Et primus ille, quum regnum obtineret, docuit in genua procumbere, conſpectis miluis.

EUELPIDES. Ita me Bacchus amet, ego quum forte aliquando miluum vidiſſem, ad terram me demiſi, quumque ſupinus jacerem hiante ore, obolum deglutivi, vacuumque ære ſacculum domum retuli.

PISTHETÆRUS. Ægypti autem totiusque Phœniciæ cuculus erat rex, & quum cuculus ceciniſſet *coccu*, univerſi tum Phœnices frumenta & hordeum in arvis demetere ſolebant.

EUELPIDES. Non temere ergo iſtuc proverbio jactatur: *Coccu, recutiti in agros.*

PISTHETÆRUS. Tantam autem obtinuerunt imperi poteſtatem, ut ſi quis etiam regnaret in Græcorum urbibus Agamemnon aut Menelaus, ſuper ſceptris conſidebat avis, particeps eorum, quæ ille acciperet dona.

EUELPIDES. Id equidem ignoraveram; atque adeo mirari ſubibat, ſiquando in tragœdia prodiret Priamus aliquis avem tenens, quæ erecta in ſummo ſceptro Lyſicratem obſervaret, quibusnam ille muneribus corrumperetur.

PISTHETÆRUS. Quod autem omnium maxume mirandum eſt; Jupiter ille, qui nunc regnat, aquilam avem gerit in capite, ut qui rex ſit; ejusque filia, noctuam: Apollo vero, tanquam famulus, accipitrem.

EUELPIDES. Cererem obteſtor, ut iſtæc recte fabularis. At vero quamnam ob cauſam iſta habent?

PISTHETÆRUS. Ut, quum quis ſacrificat, ipſisque in manus, ut ſacrorum eſt ritus, exta deponit, ipſæ ante Jovem exta accipiant. Neque tunc hominum ullus per deum quempiam jurabat, ſed per aves univerſi: & adhucdum Lampon per anſerem jurat, quum decipit aliquem: tanto opere vos omnes antehac venerabiles & ſanctos

habuerunt: nunc autem mancipia, fatuos & fervolos viles. Jamque adeo vos in templis etiam tanquam furiosos feriunt: nemo non ut vos capiat auceps ponit laqueos, tendiculas, virgas, septa, nebulas, retia, pedicas; deinde vos captos vendunt universos: emtores vero manibus imum vobis ventrem contrectant: neque tantum, quandoquidem ista facere videtur, vos assatos adponunt, sed comminutum radula caseum, oleum, silphium, acetum adjiciunt; istisque simul intritis, jusculum aliud dulce & pingue conficiunt, illudque calidum in vos ipsos effundunt, tanquam si morticinæ carnes essetis.

CHORUS. Longe vero, longe acerbissumam orationem apportasti, mi homo, ut deplorem patrum meorum ignaviam, qui istos a majoribus traditos honores ad meam usque ætatem non propagarint, sed aboleri siverint. Tu vero, deo mihi propitio, & peropportune advenisti mihi servator. Tibi enim commissis pullisque meis & memetipso, secure degam. Sed quid facere expediat, tu nos nunc præsens edoce: nam vivere nos certe indignum est, nisi redipiscamur quovis pacto regnum nostrum.

PISTHETÆRUS. Et primum itaque moneo, una ut avium sit urbs: deinde ut omnis aër circum, atque universum hocce intervallum commœniatur magnis lateribus coctilibus, uti Babylon.

EPOPS. O Cebrione & Porphyrio, quam terribilem urbem!

PISTHETÆRUS. Porro autem quum illa fuerit excitata, imperium ut a Jove repetatis: si autem negarit, & noluerit, neque extemplo suæ sibi imbecillitatis conscius consenserit, sacrum illi bellum indicatis, deosque veretis per vostram regionem rigente nervo transire, sicut antea descendebant, Alcumenas, Alopas & Semelas stupraturi: sin adeant, ut mentulam eis anulo constringatis, ne amplius illas futuant. Ad homines autem alium alitem vos mittere legatum jubeo, ut avibus, utpote regnum adeptis, sacra dehinc faciant, & deinde demum diis: unicuique autem deorum decorè adjungant avem aliquam, prout singulæ singulis convenient: Veneri si quis faciat, avi phaleridi triticum offerat: si quis Neptuno pecudem

ſacruficet, triticum anati conſecret: Herculi vero ſi bovem, gaveæ placentas libet mellitas: ſi Jovi immolet regi arietem, rex eſt orchilus ales, cui ante ipſum Jovem decet culicem coleatum mactare.

EUELPIDES. Perplacet culex ille mactatus: nunc intonet magnus Jovis.

EPOPS. Etenim quo pacto nos homines exiſtumabunt eſſe deos, non vero graculos? quippe qui volemus, pennasque habeamus.

PISTHETÆRUS. Nugaris: nam pol & ipſe Mercurius volat, tametſi deus eſt, alasque gerit; aliique itidem dii permulti: &, ut alios omittam, Victoria volat aureis alis; immo hercle Amor. Quin Iridem Homerus ſimilem eſſe dixit trepidæ columbæ.

EPOPS. Nonne Jupiter intonabit, nobisque aligerum immittet fulmen?

PISTHETÆRUS. Si autem homines præ inſcitia vos quidem nihil eſſe duxerint, illos vero tantum deos, qui ſunt in Olympo, tunc oportet paſſerum ſeminilegularumque ſubvolantem nubem, eorum ex agris ſublectum ſemen conſumere: tum ipſis Ceres eſurientibus triticum diſtribuat.

EUELPIDES. At hercle recuſabit, ipſamque videbis cauſas prætendentem.

PISTHETÆRUS. Corvi itidem jumentorum, quibus terram arant, pecudumque oculos effodiant, ut experiantur an dii ſitis: tum ipſis Apollo, qui medicus eſt, medeatur: operam enim mercede locat.

EUELPIDES. Modo hoc ne fiat, antequam par quod habeo buculorum primum vendiderim.

PISTHETÆRUS. Te vero ſi ducant eſſe deum, te vitam, te Terram, te Saturnum, te Neptunum, omnibus illi rebus bonis affluent.

EPOPS. Vel unum mihi iſtorum commodorum memora.

PISTHETÆRUS. Primum quidem illis vitium florem locuſtæ non depaſcentur: nam unica noctuarum & ſtrigum turma eas abſu-

PISTHETÆRUS. At tu etiam atque etiam considera: nam in Æsopi fabulis hoc scilicet traditum est volpem haud bono suo societatem aliquando cum aquila coiisse.

EPOPS. Animo sis defæcato. Est enim radix quædam, qua comesa, eritis alati.

PISTHETÆRUS. Hac quidem conditione ingrediamur. Agedum Xanthia, & tu Manodore, tollite stragula.

CHORUS. Heus tu, tibi dico.

EPOPS. Quid me vocas?

CHORUS. Hos quidem tecum duc & lauto excipe prandio: at dulce canentem, & voce Musis æquiparandam luscíniam relinque nobis huc excitam, ut cum ea ludamus.

PISTHETÆRUS. O, per Jovem rogo, istuc ipsis obsequere: excita aviculam illam ex arundinibus; huc illam evoca, per deos obtestamur, ut & nos quoque luscíniam contemplemur.

EPOPS. Si quidem vobis ita videatur, sic faciundum est. Procne, egredere, teque ipsam hospitibus ostende.

PISTHETÆRUS. O supreme Jupiter! quam bella avicula, quam tenera, & quam candida!

EUELPIDES. Scin' vero quam ipsi crura lubens divaricarem?

PISTHETÆRUS. Quantum autem habet auri, tanquam virgo!

EUELPIDES. Equidem, opinor, non me continebo, quin illi feram osculum.

PISTHETÆRUS. Sed, ô miserrume, rostrum habet e duobus verubus.

EUELPIDES. At hercle oportet, tanquam ab ovo, eximere ab illius capite corticem, & sic dein eam osculari.

EPOPS. Eamus.

PISTHETÆRUS. Duc jam nos faustis ominibus.

CHORUS. O amica, ô tenella, ô dilectissima avium omnium consors, hymnorum meorum socia luscinia, venisti, venisti, apparuisti, suavem mihi sonum adferens: at ô tu, dulce sonante quæ modularis tibia, modis vernis incipe anapæstos.

Agite vero homines in tenebris vitam degentes, foliis adſimiles, imbecilli, figmenta luti, umbræ ſimilis & inanis turba, ſine pennis brevi ævo functi, ærumnoſi mortales, viri ſomniis pares, advertite mentem nobis immortalibus, ſempiternis, ætheriis, ſeni expertibus, æterna animo verſantibus, ut, ubi omnia recte a nobis audiveritis de cœleſtibus rebus, naturam avium, ortumque deorum, fluviorum, Erebi atque Chao ubi bene cognoveritis, Prodicum meo nomine plorare jubeatis poſthac.

Chaos erat & Nox, Erebusque niger in principio & Tartarus amplus: Terra vero non erat, neque aër, nec cœlum. Erebi autem in infinito gremio omnium primum peperit irritum furva Nox ovum, ex quo, temporibus exactis, propullulavit Amor deſiderabilis, radians tergo aureis alis, celerrimæ ventorum vertigini ſimilis: ille vero alato caliginoſoque miſtus Chao in Tartaro ingente edidit noſtrum genus, & primum eduxit in lucem. Neque enim deorum genus ante erat, quam omnia commiſcuiſſet amor. Omnibus autem inter ſe confuſis, prodiit Cœlum, & Oceanus, atque Terra, deorumque beatorum genus immortale. Sic itaque nos ſumus multo antiquiſſumi omnium deorum. Nos autem Amore eſſe prognatos, non pauca ſunt indicio: volamus enim & adſumus amantibus. Multos enimvero formoſos pueros, qui dejeraverant ſe nunquam morigeros fore, defloreſcente jam prima ætate, noſtræ poteſtatis munere ſubegerunt amatores; hic quidem coturnice dato, alter porphyrione, alius anſere, & item alius Perſica ave. Omnia vero mortalibus contingunt a nobis alitibus, quæ maxuma ſunt. Primum quidem anni tempora nos deſignamus, veris, hiemis, autumni: ut ſerant, quando grus clangens in Libyam migrat; tunc itidem nauclero ſignificat, ut ſuſpenſo clavo dormiat; præterea Oreſti lænam contexant, ne homines, ſi alſerit, veſtibus ſpoliet. Miluus poſthæc apparens aliud anni tempus deſignat, quum ſcilicet ovibus vernam tondere lanam tempeſtivum eſt. Deinde hirundo, quum læna jam vendenda eſt, & æſtivum aliquod comparandum amiculum. Sumus autem vobis Ammon,

Delphi, Dodona, Phœbus Apollo. Ab avibus enim primum auſpicati, ad omnia dehinc negotia vos confertis, ad mercatum, ad victum quærendum & ad nuptias. *Avis* item nomine cenſetis quæcunque ad vaticinia & futura diſcernenda pertinent: omen vobis *avis* eſt; ſternutationemque vocatis *avem*; ſignum, *avem*; vocem, *avem*; famulum, *avem*; aſinum, *avem*. Annon itaque manifeſto vobis ſumus fatidicus Apollo? Nos igitur ſi pro diis habueritis, uti poteritis pro vatibus Muſis, auris, anni tempeſtatibus, hieme, æſtate, moderato æſtu: neque aufugientes conſidebimus ſurſum ſuperbi in nubibus, quemadmodum Jupiter; ſed præſentes largiemur vobismetipſis, liberis atque nepotibus opes cum ſanitate conjunctas, felicitatem, vitam, pacem, juventam, riſum, choreas, feſta convivia, gallinarumque lac; adeo ut ſatietas vobis ſuboritura ſit præ bonorum copia: ita diteſcetis omnes.

SEMICHORUS. Muſa ſilveſtris, tio tio tio tio tiotinx, verſicolor, quacum ego in ſaltibus, montiumque verticibus, tio tio tio tio tiotinx, fraxino inſidens foliis comanti, tio tio tio tio tiotinx, ex ore meo tenello ſacros carminum modos Pani edo, Magnæque deûm Matri montanæ, ad quos venerandas ducat choreas, tototototototototototinx; unde, velut apis, Phrynichus immortalium carminum depaſcebatur fructum, ſemper proferens ſuavem cantilenam, tio tio tio tio tiotinx.

CHORUS. Si quis veſtrûm, ſpectatores, cum nobis avibus velit degere, jucunde vitam deinceps ut agat, ad nos veniat. Quæcunque enim hîc ſunt turpia, legibusque obnoxia, illa apud nos aves omnia ſunt honeſta. Hîc enim ſi patrem pulſare lege ſit indecorum, hoc ipſum apud nos pulchrum eſt, ſi quis ad patrem adcurrerit, dixeritque percutiens: *Tolle calcar, ſi pugnas.* Si quis vero veſtrûm fugitivus ſit literatus, attagen iſte apud nos verſicolor habebitur. At ſi quis forte eſt barbarus e Phrygia æque ac Spintharus, frigilla avis hic erit e Philemonis genere: ſi vero quispiam ſervus eſt e Caria, quemadmodum Execeſtides, avos ſibi procreet apud nos, & invenientur ipſi gentiles. Quod ſi Piſiæ filius portas prodere infamibus

voluerit, perdix fiat, genuinus parentis pullus, ſiquidem apud nos turpe non ſit perdicum more aufugere.

SEMICHORUS. Taliter olores, tio tio tio tio tiotinx, commiſſis modulantes vocibus, ſimul alis concuſſis perſtrepentes canere ſolent Apollinem, tio tio tio tio tiotinx, in litore inſidentes ad Hebrum fluvium, tio tio tio tio tiotinx; perque ætheria nubila tranſit clamor, omneque ferarum genus ſtupefactum auſcultat, fluctusque componit tranquilla ſerenitas; totototototototototototototinx: totus autem adſonat Olympus, regesque deos capit admiratio: Olympiades vero melos Gratiæ, Muſæque lætæ recinunt, tio tio tio tio tiotinx.

CHORUS. Nihil eſt melius neque jucundius quam plumis veſtirier atque avem eſſe. Nam, ne longe abeam, ſi quis e vobis ſpectatoribus eſſet alatus, atque eſuriens tragœdorum choris ægre impatienterque adſiſteret, is evolaret, & domum revorſus pranderet, deinde ſaturatus ad nos iterum revolaret: & ſi quis e vobis Patroclides forte cacaturiret, non ille pallium contaminaret, ſed alio avolaret, & poſtquam pepediſſet, ſpiritumque recepiſſet, iterum devolaret. Tum ſi quis veſtrûm, quisquis ille ſit, cum aliena rem haberet uxore, videretque maritum mulieris in gradibus ſenatoriis, iſte itidem hinc a vobis, motis alis avolaret, & poſtquam futuiſſet, illinc rurſus in ſuam ſedem huc ſe referret. Nonne igitur alatum eſſe quantivis eſt preti? Etenim Diitrephes, vimineas qui tantum habet alas, creatus eſt Tribus præfectus, deinde equitum magiſter, deinde ex nullius momenti homine magnus evaſit & fortunatus: & nunc flavus eſt & Equigallus.

PISTHETÆRUS, EUELPIDES, EPOPS, CHORUS, SACERDOS, POETA, FATIDICUS, METO, INSPECTOR, LEGISLATOR.

PISTHETÆRUS. Ista quidem sic se habent: at, ita me Jupiter amet, haud ego rem magis ridiculam vidi unquam.

EUELPIDES. Quid rides?

PISTHETÆRUS. Tuas pennas. Scin' cui alatus maxume sis adsimilis? rudibus lineis anseri depicto.

EUELPIDES. Tu autem merulæ caput in orbem deplumatæ.

PISTHETÆRUS. Istis quidem adsimulati sumus, idque, ut ait Æschylus, *non alienis, sed nostris ipsorum pennis.*

EPOPS. Age jam nunc quid faciundum?

PISTHETÆRUS. Primum nomen urbi imponendum est, magnum aliquod atque illustre: deinde diis sacra faciunda.

EUELPIDES. Ita mihi quoque videtur.

EPOPS Age videam, quid nostræ nominis erit urbi?

PISTHETÆRUS. Voltisne conspicuo illo & a Lacedæmone sumto Spartæ nomine vocemus ipsam?

EUELPIDES. Hercules! Spartam nomen ut ego imponam urbi meæ? ne grabato quidem sparteos funiculos, si modo junceos habeam.

PISTHETÆRUS. Quodnam igitur illi nomen imponemus?

EUELPIDES. Istinc desumtum, ex nubibus & sublimibus regionibus, amplum quid valde.

PISTHETÆRUS. Vin' Nubicuculiam?

EPOPS. Iu, Iu! Pulchrum revera & magnificum invenisti nomen.

EUELPIDES. Numquid hæc eſt illa Nubicuculia, ubi multæ ſunt illæ Theagenis opes, & Æſchinis omnes?

PISTHETÆRUS. Optumum quidem eſt, ut hanc eam eſſe dicas, aut campum Phlegræum, ubi terrigenas Gigantes jactabundi dii ſuperarunt.

EUELPIDES. Splendidâ prorſus eſt hæc urbs. Quis vero deus tutelam habebit urbis? cuinam texemus peplum?

PISTHETÆRUS. Quidni ſinamus Urbanam Minervam præſidem eſſe urbis?

EUELPIDES. Quî vero poſſit urbs bene eſſe morata, ubi dea femina integram armaturam habet, Cliſthenes autem radium textorium?

PISTHETÆRUS. Quis autem murum urbis Pelargicum obtinebit?

EPOPS. Ales hinc e nobis origine Perſica, qui ubique dicitur acerrimus eſſe Martis pullus.

EUELPIDES. O pulle domine! ut idoneus erit ille deus ad incolendas petras!

PISTHETÆRUS. Agedum tu vade ad aërem, illisque, qui murum exſtruunt, miniſteria præſtato: cæmenta adporta, lutumque nudus macera, pelvim fer ſurſum, de ſcala decide, cuſtodes conſtitue, ignem abſconde ſemper, cum tintinnabulo circumcurſita, atque ibi dormi: præcones mitte, unum ad deos ſurſum, alterumque deſuper ad homines deorſum, indeque rurſus ad me.

EUELPIDES. Tu vero hic remanens, per me licet, plora.

PISTHETÆRUS. I, ô bone, eo quo te mitto: nihil enim eorum, quæ dixi, ſine te geretur. Ego vero, ut ſacra peragam novis diis, ſacerdotem, qui pompam ducat, vocabo. Heus puer, puer, caniſtrum afferte & guttarnium.

CHORUS. Sociam operam conjungo, conſentio, adhortor, ſupplicationes magnificæ & ſplendidæ ut fiant diis; inſuperque ad perſolvendas gratias victima quæpiam ſimul ut immoletur. Eat, eat Pythii carminis clamor in honorem Dei, & concinat Chæris cantilenam.

PISTHETÆRUS. Desine tu inflare tibiam. O Hercules! quid illud erat rei? Ita me Jupiter amet, ego multa quum viderim & admiranda, nondum usque adhuc corvum vidi capistratum.

EPOPS. Sacerdos, hoc age, operare diis novis.

SACERDOS. Faciam hercle. Sed ubi ille, qui canistrum tenet? Veneramini Vestam avicularem, miluumque Larem, & alites Olympios atque Olympias cunctos & cunctas.

CHORUS. O accipiter, tutela Suni, salve Rex Pelargice.

SACERDOS. Cycnumque Pythium & Delium, Latonamque coturnicem ingentem, & Dianam acalanthidem.

PISTHETÆRUS. Non amplius Colænis dicatur, sed acalanthis Diana.

SACERDOS. Et frigillam Sabaziam, struthumque, Magnam Matrem deûm hominumque.

CHORUS. Cybebe domina, struthe, mater Cleocriti, da Nubicuculiensibus sanitatem & salutem, ipsis, sociisque Chiis.

PISTHETÆRUS. Chii sane me delectant, ubique adjuncti.

SACERDOS. Heroesque & aves, heroumque natos, & porphyrionem, & pelicanum, phlexidemque, tetracem, pavonem, eleam, bascam, elasam, ardeam, falconem, ficedulam & parum.

PISTHETÆRUS. Desine; in malam rem: desine clamare. Heu, heu! ad qualem, miserrume, victimam vocas nisos & volturios? nonne vides vel unum miluum istuc omne abripere posse? aufer te hinc tuasque infulas: ipsus enim hæc sacra solus peragam.

SACERDOS. Ergo alterum rursus ad gutturnium tibi me oportet accinere carmen, pium sanctumque, & invocare deos, unum aliquem solummodo, si modo satis habebitis cibi. Has enim, quæ adsunt, victimas nihil aliud esse dicas, quam barbam & cornua.

PISTHETÆRUS. Sacra facientes veneremur volucres deos.

POETA. Nubicuculiam illam fortunatam celebra, Musa, tuis hymnorum cantibus.

PISTHETÆRUS. Quid hoc rei est? undenam? dic mihi, quis es?

POETA. Is ego ſum, qui mellifluorum carminum fundo cantus, Muſarum famulus expeditus, ſecundum Homerum.

PISTHETÆRUS. Ergone ſervus quum ſis, comam alis?

POETA. Non ita eſt: verum omnes ſumus nos poëtæ Muſarum famuli expediti, ſecundum Homerum.

PISTHETÆRUS. Non temere eſt ergo, quod lacerum habes amiculum. Sed, ô poëta, quis te huc adegit furor?

POETA. Carmina confeci in Nubicuculiam voſtram, dithyrambosque multos & elegantes, virginaliaque cantica, quæ Simonideis etiam æquiparentur.

PISTHETÆRUS. Quando feciſti tu ea, & a quo tempore?

POETA. Jamdudum equidem, jamdudum hanc urbem concelebro.

PISTHETÆRUS. Nonne ego hoc ipſo in articulo nominalia urbis ſacra facio, & nomen, tanquam puerulo, nunc primum ei impoſui?

POETA. Sed eſt celerrima Muſarum fama, qualis equorum micans pernicitas. Tu vero pater, Ætnæ conditor, divinorum honorum cognominis, largire mihi, quodcunque tuo tibi capite adnuens velis propitius dare mihi.

PISTHETÆRUS. Iſtuc nobis malum hominis faceſſet negotia, niſi defungamur, quidpiam illi dantes. Heus tu, qui ſagum habes & tunicam, illud exue, & da lepido poëtæ. En tibi ſagum: prorſus enim mihi frigere videris.

POETA. Donum quidem hocce lubens accipit mea Muſa: tu vero animo tuo percipe hos Pindari verſus —

PISTHETÆRUS. Importunus iſte a nobis non diſcedet.

POETA. *Nomades enim inter Scythas palatur Straton, qui textilem veſtem non poſſidet; indecorum autem venit ſagum ſine tunica.* Intellege quid dicam.

PISTHETÆRUS. Intellego, nempe tunicam accipere te velle. Exue tu: poëtæ enim benefacere oportet. Hanc ſume & abi.

POETA. Abeo, atque hinc digreſſus carmina hæc in urbem voſtram

componam. Concelebra, ô Apollo aureo ſedens in ſolio; tremulam hanc & frigidam urbem: in campos nive conſperſos fertilesque veni: alalan.

PISTHETÆRUS. Hercle enimvero iſtos effugiſti frigidos campos, accepta hac tunica. Haud pol ego malum hoc unquam ſperaſſem, ut ille tam cito quicquam inaudiret de urbe noſtra. Rurſus tu circumi ſumto gutturnio.

SACERDOS. Favete linguis.

FATIDICUS. Ne immola hircum.

PISTHETÆRUS. Tu vero quis es?

FATIDICUS. Quis ſim? fatidicus.

PISTHETÆRUS. Itaque nunc plora.

FATIDICUS. O bone, res divinas ne contemtui habeas: namque Bacidis exſtat vaticinium, quod manifeſto reſpicit ad Nubiculiam.

PISTHETÆRUS. Cur ergo de eo certiorem me non feciſti, antequam ego hanc urbem conderem?

FATIDICUS. Divinum me impedivit numen.

PISTHETÆRUS. Sed nihil obſtat, quin iſta carmina audiamus.

FATIDICUS. *At quando incoluerint lupi canæque cornices eodem in loco Corinthum inter & Sicyonem* --

PISTHETÆRUS. Quid mihi, quæſo, cum Corinthiis eſt?

FATIDICUS. Obſcure per illud Bacis indicavit aërem. *Primum Pandoræ faciendum eſt albi velleris ariete: quique meorum primus venerit carminum interpres, illi donanda veſtis pura, & calcei novi* --

PISTHETÆRUS. Eſtne iſtic ſcriptum de calceis?

FATIDICUS. Hem ſpecta, eccum libellum. *Phialaque inſuper eſt danda, & extis ei implenda manus* --

PISTHETÆRUS. Etiamne iſtic ſcriptum exta eſſe danda?

FATIDICUS. Hem ſpecta, eccum libellum. *Siquidem illa, divine juvenis, confeceris, uti præcipio, aquila in nubibus eris: ni vero dederis, neque turtur eris, neque aquila, nec picus.*

PISTHETÆRUS. Iſta etiam iſtic inſunt ſcripta?

FATIDICUS. Hem ſpecta, eccum libellum.

PISTHETÆRUS. Neutiquam igitur ſimile eſt illud oraculum iſti, quod egomet mihi ex Apollinis vaticiniis deſcripſi: *Quum vero homo invocatus venerit, ineptus oſtentator, & ſacra facientibus odio erit, extorumque partem ſibi flagitabit, tunc demum verberibus ipſi latera contundere oportet* --

FATIDICUS. Equidem te nugas dicere arbitror.

PISTHETÆRUS. Hem ſpecta, eccum libellum. *Nec parce quicquam, nec aquilæ in nubibus, neque ſi vel Lampon fuerit, magnusve Diopithes.*

FATIDICUS. Iſta etiam iſtic inſunt ſcripta?

PISTHETÆRUS. Hem ſpecta, eccum libellum. Non foras abibis in maxumam malam crucem?

FATIDICUS. Væ mihi miſero!

PISTHETÆRUS. Non tu hinc te alio proripies oracula enarratum?

METO. Ad vos venio --

PISTHETÆRUS. Ecce aliud iterum hocce malum. Quam vero ob cauſam tu huc ades? quæ conſili ratio? quod inſtitutum? cur ad hoc te iter accinxiſti?

METO. Dimetiri vobis aërem volo, non ſecus atque terram ſolent geometræ, & in jugera dirimere.

PISTHETÆRUS. Per deos quæſo, quis tu homo es?

METO. Quis ego ſim? Meto, quem novit Græcia omnis & Colonus.

PISTHETÆRUS. Dic ſodes, quid illud vero rei habes?

METO. Regulas aëris. Ut enim verbo dicam, totus aër forma maxume conſimilis eſt furno: ego igitur adpoſita ſurſum hac ipſa curva regula, impoſitoque circino -- intellegisne?

PISTHETÆRUS. Non ſane.

METO. Rectam admovebo regulam, dimetiarque, ita ut circulus exſiſtat tibi quadratus, inque medio forum: eo autem ducant

undique viæ rectæ, ad ipsum illud medium, sicut a Sole, qui ipse rotundus est, recti quaquaversum radii refulgent.

PISTHETÆRUS. Hem homo Thaletis instar sapiens! Meto —

METO. Quid me vis?

PISTHETÆRUS. Scin', quam te amem? atque si mihi obsequeris, hinc ocius te amove.

METO. Quid enim est periculi?

PISTHETÆRUS. Sicuti Lacedæmone peregrini hinc expelluntur, frequentesque per urbem infligi occeperunt plagæ.

METO. Num orta est inter vos seditio?

PISTHETÆRUS. Non edepol istuc.

METO. Sed quî vero?

PISTHETÆRUS. Communi consensu male mulcare omnes jactatores visum est.

METO. Itaque hercle me hinc subducam.

PISTHETÆRUS. Et vero haud scio an celeri fuga verbera sis evitaturus: hæc enim ecce e propinquo tibi impendent.

METO. Væ mihi misero!

PISTHETÆRUS. Nonne jamdudum id tibi dicebam? non tuo te modulo metieris, atque alio recipies?

INSPECTOR. Ubi sunt hospitum patroni?

PISTHETÆRUS. Quis hic Sardanapalus est?

INSPECTOR. Inspector huc venio, fabæ sorte electus, ad Nubicuculiam.

PISTHETÆRUS. Inspector? quis vero te huc misit?

INSPECTOR. Improbus libellus Teleæ.

PISTHETÆRUS. Quid? Vin' ergo, accepta mercede, carere molestia, atque abire?

INSPECTOR. Perquam lubenter, ita me dii deæque ament. Quippe concioni oportebat me adfuisse domi manentem: sunt enim nonnulla a me in rem Pharnacis confecta.

PISTHETÆRUS. Amove te, accepta mercede: est autem ea hæcce.

INSPECTOR.

INSPECTOR. Quid rei eſt iſtuc?

PISTHETÆRUS. Habita ſuper Pharnace concio.

INSPECTOR. Anteſtor me verberatum, qui Inſpector ſum.

PISTHETÆRUS. Non te proripies? non auferes judiciarias tuas urnas? nonne hæc ſunt intolerabilia? & mittunt jam Inſpectores in hanc urbem, antequam ſacra diis facta fuerint.

LEGISLATOR. *Si vero Nubicuculienſis Athenienſem læſerit* —

PISTHETÆRUS. Quid iſtuc iterum eſt mali libelli?

LEGISLATOR. Decretorum populi venditor ſum, novasque leges ad vos huc venio venditurus.

PISTHETÆRUS. Quid autem?

LEGISLATOR. *Utuntor Nubicuculienſes iiſdem menſuris, ponderibus & legibus, quibus Olophyxii.*

PISTHETÆRUS. Tu vero vapulans jam mox illis uteris, quibus Ototyxii.

LEGISLATOR. Heus quid agis?

PISTHETÆRUS. Nonne tu hinc tuas leges auferes? acerbas ego tibi hodie leges oſtendam.

INSPECTOR. Arceſſo Piſthetærum injuriarum in Munychionem menſem.

PISTHETÆRUS. Itane vero? etiamnum tu hîc ſtabas?

LEGISLATOR. *Si vero quis expellat magiſtratus, neque recipiat ſecundum præſcriptum edicti in columna* —

PISTHETÆRUS. Væ mihi miſero! Tune etiam hîc eras adhuc?

INSPECTOR. Diſperdam te, & dicam tibi decem millium drachmarum ſcribo.

PISTHETÆRUS. Ego vero tuas urnas comminuam.

INSPECTOR. Meminiſtin' ut olim publicam columnam veſperi concacaſti.

PISTHETÆRUS. Ehodum, aliquis illum comprehendat. Heus tu, non manebis?

SACERDOS. Hinc nos præpropere digrediamur, hircum intus diis ſacrificaturi.

SEMICHORUS. Jam nunc mihi cuncta adſpicienti, cunctaque regenti mortales omnes ſacra facient votivis precibus. Univerſam enim terram inſpicio, & conſervo bene florentes fructus, interimens omnigenûm genera animalium, quæ omnia in terra ex calyce progerminantia ore voraci, arboribusque inſidentia, fructus depaſcuntur: itidem conficio, quæ hortos odoratos corrumpunt peſſumis modis; reptiliaque & noxia venenato morſu, quantum eorum eſt, vi alarum mearum internecione pereunt.

CHORUS. Hac maxume die per præconem promulgatur: ſi quis veſtrûm Diagoram interficiat Melium, accipiet talentum: itidem ſi defunctorum tyrannorum quempiam quis occidat, talentum accipiet. Nos igitur etiam iſta nunc hîc promulgare volumus: ſi quis veſtrûm Philocratem occiderit Struthium, talentum accipiet: ſin vivum adduxerit, quatuor; quia frigillas colligans, ſeptenos obolo vendit; turdos itidem ſufflans palam oſtendit, & indigne habet; merulis etiam in nares immittit pennas; ſimiliterque comprehenſas columbas habet incluſas, aliasque cogit aves illicere, in reti deligatas. Hæc publicare volumus: & ſi quis veſtrûm avès alat concluſas in caveis, edicimus ut dimittatis: quod ſi morem non geſſeritis, vos ab avibus comprehenſi invicem apud nos vincti, illices eritis.

SEMICHORUS. O fortunatam volucrium gentem avium, quæ hieme lænis amictæ non ſunt: neque rurſus calore nos urunt æſtus late reſplendentes radii: ſed florida per prata foliorum in gremiis incolo, quando meridianis ſolis ardoribus furiata ſtridula vates argutum reſonat melos: hiemem vero tranſigo cavis in antris, colludens Nymphis monticolis; vernasque depaſcimur virgineas & candidas myrti baccas, Gratiarumque hortulos.

CHORUS. Judicibus aliquid dicere volumus de victoria, quam ſi nobis adjudicaverint, iis omnibus bona largiemur, ita ut dona accipiant multo majoris preti, quam illa Paridi data. Primum igitur, cujus rei maxume omnis judex cupidus eſt, noctuæ nunquam vos deſtituent Laurioticæ, ſed intus inhabitabunt, & in marſupiis veſtris nidificabunt, excludentque minutos nummulos. Præterea tanquam

in templis habitabitis: ædium enim veſtrarum tectis pinnas addemus. Et ſi forte apti fueritis magiſtratum, & quid ſurripere volueritis, celerem vobis in manus accipitrem dabimus. Si vero aliquo ad cœnam eatis, gulas vobis mittemus. Sin victoriam nobis abjudicetis, curate vobis lunulas fabricarier, tanquam ſtatuis: nam quicunque veſtrûm lunulam non habebit, quando candida læna eritis induti, tunc maxume pœnas nobis dabitis, ut ab omnibus avibus concacemini.

PISTHETÆRUS, NUNTII, CHORUS, IRIS, PRÆCO, PATRICIDA, CINESIAS, SYCOPHANTA.

PISTHETÆRUS. Pulcherrime, ô aves, ſacris litavimus. At mirum a mœnibus nullum adhuc adeſſe nuntium, ex quo cognoſcamus, quæ ibi gerantur. Eccum vero occurrit aliquis Alpheum ſpirans.

NUNTIUS I. Ubi, ubi eſt, ubi, ubi, ubi eſt, ubi, ubi, ubi eſt, ubi, ubi locorum eſt Piſthetærus Imperator?

PISTHETÆRUS. Adeſt.

NUNTIUS I. Exædificata tibi ſunt mœnia.

PISTHETÆRUS. Bene dicis.

NUNTIUS I. Pulcherrimum opus & magnificentiſſumum, ut in ſummo muro, etenim tanta eſt illius latitudo, Proxenides Compaſenſis & Theagenes ſibi occurrentes agitarent currus, quibus equi eſſent juncti pari magnitudine atque Durius, & facile prætermearent.

PISTHETÆRUS. Hercules tuam fidem!

NUNTIUS I. Longitudo autem, egomet enim murum dimenſus ſum, centum eſt ulnarum.

PISTHETÆRUS. Pro Neptune! quanta longitudo! qui vero illum exſtruxerunt talem?

NUNTIUS I. Aves, nemoque præter eas alius, non Ægyptius laterum bajulus, non lapicida nec faber aderat; ſed ipſæ ſuamet induſtria, adeo ut in admirationem hoc me rapiat. Ex Libya quidem venerunt triginta circiter millia gruum, quæ lapides deglutiverant, quibus fundamenta ſubſternerentur: hos autem creces roſtris ſuis complanabant: aliæ autem lateres adportabant ciconiæ decem mille: aquam autem ferebant e terra ad aërem charadrii, ceteræque aves fluviatiles.

PISTHETÆRUS. Lutum vero quinam illis adferebant?

NUNTIUS I. Fulicæ in pelvibus.

PISTHETÆRUS. At quo pacto lutum in pelves injiciebant?

NUNTIUS I. Istuc, ô bone, inventum est lepidissume. Anseres eruentes pedibus suis, veluti palis, lutum in pelves ingerebant.

PISTHETÆRUS. Quid pedes igitur non conficiant?

NUNTIUS I. Atque edepol anates etiam succinctæ lateres adportabant, sursum autem volabant, malleum dorso adligatum habentes, ut pueri: lutum in ore ferebant hirundines.

PISTHETÆRUS. Quorsum igitur mercenarios quis amplius mercede conducat? Age videam: quid enim? ligna quæ ad murum pertinebant, quinam elaborarunt?

NUNTIUS I. Aves erant fabri lignarii callentissimi pelecani, qui rostris dedolaverunt portas: erat autem sonitus ab iis, dum dolarent, excitatus, qualis est in navali. Et omnia nunc ista portis sunt instructa, pessulis occlusa, & undequaque custodiuntur, circumeuntur, tintinnabulo vigiliæ explorantur, ubique excubiæ sunt constitutæ, & nocturnæ faces in turribus. Sed ego hinc digrediens me abluam: tu autem ipse jam nunc cetera perfice.

CHORUS. Heus tu, quid agis? an miraris tanta celeritate murum esse commœnitum?

PISTHETÆRUS. Ita equidem hercle: etenim res est admiratione digna. Nam revera hæc mihi falsis commentis similia videntur. Sed quid accidit novi? ecce enim ab excubitoribus nuntius hic ad nos accurrit, bellicum intuens.

NUNTIUS II. Iou, iou, iou, iou, iou, iou!

PISTHETÆRUS. Quid hoc negoti est?

NUNTIUS II. Indignissuma nobis acciderunt. Illorum enim aliquis, qui apud Jovem sunt, deorum jam modo per portas involavit in aërem, clam graculis qui excubias agunt diurnas.

PISTHETÆRUS. O quam nefarium & indignum designavit facinus! Quis deorum?

NUNTIUS II. Ignoramus: quod autem alas haberet, hoc tantum scimus.

PISTHETÆRUS. Nonne igitur oportebat circuitores extemplo adverſus eum mittere?

NUNTIUS II. Atqui miſimus triginta mille accipitres, ſagittarios equites: diſcurſant quicunque curvos habent ungues, ſtrix, buteo, volturius, cymindis, aquila: celerrimo motu, alarumque ſtridoribus æther agitatur, dum deus inquiritur: neque procul abeſt, ſed hîc, ni fallor, jam eſt.

PISTHETÆRUS. Ergo fundas capere oportet & arcus. Huc accedat quicunque miniſter: nemo non ſagittas mittat: fundam mihi aliquis det.

CHORUS. Bellum oritur, bellum infandum, inter me & deos. At quilibet cuſtodiat aërem nubibus obductum, quem Erebus genuit; nec ullus deorum clam te hac ſe penetret: quisque vero intentis oculis circumſpectet. Nam prope jam eſt deus ſublimis, agitatarumque alarum ſonitus exauditur.

PISTHETÆRUS. Heus tu, quo, quo, quo volas? mane quieta, eſto immota, hîc conſiſte, ſuſtine curſum. Quæ es? cujas? Jam dicere oportebat, unde tandem venias.

IRIS. A diis ego quidem Olympiis.

PISTHETÆRUS. Nomen autem quodnam tibi eſt? navis, an petaſus?

IRIS. Iris velox.

PISTHETÆRUS. Paralus, an Salaminia?

IRIS. Hoc autem quid rei eſt?

PISTHETÆRUS. Hanc nonne aliquis comprehendet ſubvolans buteo bene peculiatus?

IRIS. Mene comprehendet? quid id tandem eſt mali?

PISTHETÆRUS. Multum plorabis.

IRIS. Abſurda utique hæc res eſt.

PISTHETÆRUS. Per quasnam portas urbem ingreſſa es, ſceleſtiſſuma?

IRIS. Néſcio ecaſtor equidem per quasnam portas.

PISTHETÆRUS. Audin' eam, ut nos ludos facit? adiiſtin' ad graculorum præfectos? quid ais? ſigillumne habes a ciconiis?

IRIS. Quid hoc eſt mali?

PISTHETÆRUS. Non accepiſti?

IRIS. Satin' ſanus es?

PISTHETÆRUS. Neque ſymbolum ullus tibi avium immiſit præfectus, qui tecum fuerit?

IRIS. Ecaſtor mihi nullus immiſit, ô fatue.

PISTHETÆRUS. Et tu tamen, quæſo, ſic tacite transvolas per urbem alienam & aërem?

IRIS. Qua enim alia via deos volare oportet?

PISTHETÆRUS. Illud equidem hercle ignoro: hac quidem certe non. Quin nunc etiam injuria es. At hoccine ſcis, te unam omnium Iridum ſummo jure comprehenſam fuiſſe morituram, ſi quidem ex merito plectereris?

IRIS. Atqui immortalis ſum.

PISTHETÆRUS. At ſic tamen periiſſes. Intoleranda enim nobis eveniant, mea ſententia, ſi ceteris quidem imperitemus; vos autem dii petulantes ſitis, & non agnoſcatis, nobis, utpote potioribus, invicem auſcultandum eſſe. Eloquere vero mihi, quo te alarum remigio agas.

IRIS. Egone? ad homines a patre devolo, mandatura, Diis Olympiis ut ſacruficent, oves bovesque in aris mactent, & compita nidore repleant.

PISTHETÆRUS. Quid ais tu? quibus diis?

IRIS. Quibus? nobis, in cœlo qui ſumus, diis.

PISTHETÆRUS. Vos ſcilicet dei eſtis?

IRIS. Et quis vero alius eſt deus?

PISTHETÆRUS. Aves hominibus nunc ſunt dii, quibus etiam operari decet, non autem, ita me Jupiter amet, Jovi.

IRIS. O ſtulte, ſtulte, graves ne commove deorum iras, ut ne genus omne tuum ad internecionem Jovis ligone funditus evertat

Juſtitia, fuligo autem Licymnii fulminis tuum corpus ædiumque ambitum in cineres redigat.

PISTHETÆRUS. Auſcultadum: deſine tumidorum verborum inanis ſtrepitus: quieſce. Age, dic mihi, Lydumne quempiam, an Phrygem his dictis perterrefacere te putas? ſcin' vero, ſi Jupiter amplius mihi moleſtus fuerit, me ædes ipſius & domos Amphionis combuſturum igniferis aquilis? mittamque porphyriones in cœlum contra eum alites, pardi pelle amictos, numero plus quam ſexcentos. Et quidem unus olim Porphyrion negotium ei exhibuit. Tu vero ſi mihi odio eſſe pergas, tua primum famulæ crura ſuſtollens, femoraque diducens, ipſam Iridem inibo: ut mireris, quomodo mihi hoc ſenectæ penis adeo rigeat, ad ternosque valeat compreſſus.

IRIS. Dispereas, inepte, cum iſtis tuis dictis.

PISTHETÆRUS. Non tu hinc te propipies? nonne confeſtim eurax, patax?

IRIS. Quod ſi hanc tuam inſolentiam pater meus non compeſcuerit —

PISTHETÆRUS. Væ miſero mihi! nonne alio avolans fumo & fuligine implebis juniorum aliquem?

CHORUS. Interdiximus ne amplius Jove nati dii per meam transeant urbem, neve quisquam mortalis victimas in templis adolens hac amplius ad deos mittat fumum.

PISTHETÆRUS. Metuo ſane præconem, qui ad homines abiit, ne nunquam revortatur.

PRÆCO. O Piſthetære, ô beate, ô ſapientiſſume, ô celeberrume, ô ſapientiſſume, ô politiſſume, ô terbeate, ô ſilentium impera.

PISTHETÆRUS. Quid vero dicis?

PRÆCO. Iſta te aurea corona ſapientiæ ergo coronant & condecorant omnes populi.

PISTHETÆRUS. Accipio. Cur autem tanto me opere honorant populi?

PRÆCO. O tu, qui celeberrumam condidiſti ætheriam urbem,

neſcis quanto ſis apud homines honore, quotque habeas hujus regionis amatores. Etenim antequam hanc condidiſſes urbem Laconas imitandi ſtudio tum inſaniebant homines omnes, comam alebant, eſuriebant, ſordebant, Socratem æmulabantur, ſcipiones Laconicos geſtabant: nunc vero vice verſa avium amore inſaniunt; omniaque præ voluptate faciunt, quæ aves, easque imitantur. Primum quidem omnes e veſtigio e lectulo ſimul provolant mane, ſicuti nos ad paſcua; deinde ſimul ſe conferunt ad libellos, atque ibi depaſcuntur plebiſcita. Tam aperte vero avium inſaniunt amore, ut etiam pleriſque indita ſint avium nomina. *Perdix* enim caupo quidam vocatur claudus; Menippo autem nomen eſt *Hirundo;* Opuntio *Luſcus corvus;* *Alauda* Philocli; *Vulpanſer* Theageni; *Ibis* Lycurgo; Chærephonti *Veſpertilio;* Syracuſio *Pica*: Midias autem illic *Coturnix* nominatur; nam ſimilis eſt coturnici a pugnace gallo caput ictæ. Omnes autem præ avium amore carmina cantant, in quibus mentio quædam hirundinis eſt inſerta, aut penelopis, aut, ſi mavis, anſeris, aut columbæ, aut alarum, aut ſaltem de pennis ineſt pauxillum quiddam. Ita quidem res illic ſe habent. Unum autem hoc tibi dico. Huc venient illinc plus quam ſexcenti, qui alas ſibi expetunt, moresque avium curvis unguibus rapacium: adeoque pennæ tibi pro advenis alicunde parandæ ſunt.

PISTHETÆRUS. Non igitur hercle cunctandi nobis copia eſt; ſed tu quamprimum ito, & corbes atque cophinos omnes imple pennis, easque mihi huc foras Manes efferat: ego autem advenientes quosque excipiam.

CHORUS. Brevi certe tempore populoſam hancce urbem hominum aliquis vocaverit.

PISTHETÆRUS. Fortuna modo faveat.

CHORUS. Prævalet amor urbis meæ.

PISTHETÆRUS. Ocius afferre jubeo.

CHORUS. Quid enim huic non ineſt urbi, quod commodum non ſit immigranti? Sapientia, Amor, immortales Gratiæ, & comis Tranquillitatis placida facies.

PISTHETÆRUS. Quam tarde miniſtras! nonne ocius properabis?

CHORUS. Cito quis adferat calathum cum pennis. Tu vero hunc rurſum excita, atque iſtum in modum verberato: nimis enim tardus eſt, haud ſecus atque aſinus.

PISTHETÆRUS. Manes etenim eſt ignavus.

CHORUS. Tu vero haſce primum pennas ordine diſpone, ſimul & muſicas, & fatidicas, & marinas; deinde operam da, ut unumquemque conſiderans, iis quæ in ſingulos conveniant, prudenter alis ornes.

PISTHETÆRUS. Non amplius, ſtrigas obteſtor, tibi parcam, quum te tam ignavum eſſe videam & tardum.

PATRICIDA. Utinam aquila fiam altivolans, ut volem ſupra ſterilis cæruleique undas maris.

PISTHETÆRUS. Veridicus fuiſſe videtur nuntius. Nam neſcio quis iſte accedit aquilas cantans.

PATRICIDA. Papæ! nihil eſt jucundius, quam volare. Capior equidem avium legibus: nam ſane earum amore inſanio, & volito, & cupio habitare vobiscum, teneorque deſiderio voſtrarum legum.

PISTHETÆRUS. Quarum legum? multæ enim avium ſunt leges.

PATRICIDA. Omnium: præcipue vero, quod pulchrum habetur apud aves patri collum obtorquere, eumque mordere.

PISTHETÆRUS. Immo hercle fortem illum omnino exiſtumamus, qui, pullus adhuc quum ſit, patrem pulſaverit.

PATRICIDA. Propterea equidem huc transmigravi, patremque ſuffocare cupio, omniaque ejus bona habere.

PISTHETÆRUS. Sed lex eſt nobis avibus antiqua in ciconiarum tabulis: Poſtquam pater ciconia pullos ſuos alendo fecerit volatiles omnes, oportet pullos patrem viciſſim alere.

PATRICIDA. Edepol operæ pretium fecero huc veniens, ſi pabulum etiam patri ſuppeditare me oporteat.

PISTHETÆRUS. Nihil eſt: quandoquidem enim veniſti nobis benevolus, alas tibi, tanquam avi orbæ, aptabo. Tibi autem, juvenis, non male præcipiam, ſed ipſe quæ didici, quum eſſem puer.

Tu enim patrem ne verberato: ſed hac in manum ſumta ala, iſtoque calcis aculeo in alteram, exiſtumans galli eſſe criſtam quam habes, excubias age, milita, ſtipendia merendo victum tibi para: patrem ſine vivere. Sed quoniam pugnax es, in Thraciam avola, atque ibi pugna.

PATRICIDA. Recte, ita mihi Bacchus faveat, conſulere mihi videris: tibique ſane morem geram.

PISTHETÆRUS. Certe itaque ſapies.

CINESIAS. Subvolo ad Olympum levibus alis, volatuque vias permeo, modo has, modo illas, carminum —

PISTHETÆRUS. Iſti negotio opus eſt tota pennarum ſarcina.

CINESIAS. Intrepida mente & indefeſſo corpore novas ſemper ſectans.

PISTHETÆRUS. Tiliaceum Cineſiam amplectimur. Quid huc pedem tu claudum in gyrum verſas?

CINESIAS. Avis fieri volo, arguta luſcinia.

PISTHETÆRUS. Deſine cantillare, quodque dicere habes, ediſſere.

CINESIAS. Alis tua opera inſtructus cupio in ſublime ſubvolans ex nubibus nova ſumere aëris vertigine contorta & caligine obvoluta exordia.

PISTHETÆRUS. An itaque ex nubibus quispiam exordia captet?

CINESIAS. Immo enimvero illinc pendet ars noſtra. Dithyramborum enim qui maxume ſplendidi ſunt, iidem ſunt aërii, caliginoſi, cœruleum ſplendentes, & leves, tanquam alis agitati. Tu vero actutum ſcies, audias modo.

PISTHETÆRUS. Haud equidem audiam.

CINESIAS. Immo mehercle tu quidem. Omnem namque percurram tibi aërem, ſimulacra volatilium, ætherem permeantium, avium longicollium.

PISTHETÆRUS. Oop!

CINESIAS. Utinam ſubſultans marino curſu una cum ventorum flatibus incedam —

PISTHETÆRUS. Hercle equidem tuos flatus & ſpiritus compeſcam.

CINESIAS. Nunc auſtrali via pergens, nunc autem contra ad Boream appropinquans, importuoſum ætheris ſulcum ſecans. Lepida, ô ſenex, & ſcita excogitaſti commenta.

PISTHETÆRUS. Nonne etiam tu gaudes, dum pennis agitaris?

CINESIAS. Hoccine tu facis poëtæ dithyrambico, quem Tribus certatim ſibi ſemper omnes expetunt?

PISTHETÆRUS. Vin' ergo etiam apud nos remanens Leotrophidæ ſumtus ſuppeditanti e Cecropia tribu chorum docere volantum avium?

CINESIAS. Ludificas me planiſſume. Sed id ſcias velim, me non conquieturum, uſque dum volucris factus aërem percurram.

SYCOPHANTA. Quænam hæ ſunt aves, nihil habentes, verſicolores, alas pandens ô picta hirundo?

PISTHETÆRUS. Malum hocce haud leve excitatum eſt. Ecce alius iterum huc cantillans accedit.

SYCOPHANTA. O quæ alas explicas verſicolor iterum iterumque hirundo.

PISTHETÆRUS. In veſtem ſuam hoc mihi ſcolion cantare videtur; apparetque eum non paucis hirundinibus egere.

SYCOPHANTA. Quis ille eſt, qui alis inſtruit huc advenientes?

PISTHETÆRUS. Ipſe hîc adeſt; ſed quo tibi opus ſit, dicendum eſt.

SYCOPHANTA. Alis, alis opus eſt: ne iterum percontare.

PISTHETÆRUS. Num recta Pellenem volare cogitas?

SYCOPHANTA. Nequaquam: ſed citator ſum inſulanus, & ſycophanta --

PISTHETÆRUS. O te artis felicem!

SYCOPHANTA. Et litium inveſtigator. Proinde volo ſumtis alis pernici volatu circuire urbes omnes, reos ubique citans.

PISTHETÆRUS. At vero volando quî callidius reos citare poſſis?

SYCOPHANTA. Non iſtuc quidem hercle; ſed ut ne prædones mihi negotium faceſſant, cum gruibus illinc revortar rurſus, ſaburræ loco multis deglutitis litibus.

PISTHETÆRUS. Enimvero dic mihi, illudne operis obis? Juvenis qui ſis, an peregrinos injuſte reos agis?

SYCOPHANTA. Quid enim agam? nam fodere neſcio.

PISTHETÆRUS. Sed alia utique negotia ſunt honeſta, unde victum ſibi parare hominem hoc ætatis decebat, juſto potius modo, quam litibus conſuendis.

SYCOPHANTA. O bone, ne me præceptis, ſed alis inſtruas.

PISTHETÆRUS. Nunc quum hæc dico, alas addo tibi.

SYCOPHANTA. Et quomodo tu verbis hominem alatum concinnaveris?

PISTHETÆRUS. Omnes verbis, tanquam alis, extolluntur.

SYCOPHANTA. Omnes?

PISTHETÆRUS. Nonne audiviſti in tonſtrinis patres identidem dicere aduleſcentulis? *Mirifice gnatum meum adoleſcentulum Diitrephes ſermonibus ſuis, quaſi alis additis, impulit, ut equos agitaret.* Alius vero quiſpiam dicit filium ſuum ad ſcribendas tragœdias alas ſumſiſſe, mentemque ejus circa illam rem volitare.

SYCOPHANTA. Ergone ſermonibus etiam homines alati fiunt?

PISTHETÆRUS. Fiunt, inquam: nam ſermonibus ſublimis erigitur animus, atque homo extollitur. Ita te etiam erectum volo utili oratione: convertere ad opera honeſta.

SYCOPHANTA. At ego nolo.

PISTHETÆRUS. Quid ergo facies?

SYCOPHANTA. Familiæ meæ nolo eſſe dedecori. Avitum mihi vitæ genus eſt delatorem agere. Sed tu me alis inſtrue velocibus & levibus, accipitris, aut ſtrigis, ut, poſtquam peregrinos citavero, & eorum deinde illic apud magiſtratus nomina detulero, poſtea rurſum iſtuc volem.

PISTHETÆRUS. Intellego: ſic dicis: ut nimirum condemnetur illic, antequam eo advenerit, peregrinus.

SYCOPHANTA. Prorſus intellegis.

PISTHETÆRUS. Poſt is quidem illuc navigat cauſam dicturus; tu vero interea iſtuc revolas, rapturus ejus bona.

SYCOPHANTA. Rem tenes. A turbine nihil me differre oportet.

PISTHETÆRUS. Intellego turbinem. Atque edepol ſunt mihi pulcherrumæ alæ Corcyreæ hujuscemodi.

SYCOPHANTA. Væ mihi miſero! ſcuticam habes.

PISTHETÆRUS. Alas quidem, quibus ego hodie te inſtar turbinis faciam circumrotari.

SYCOPHANTA. Heu me miſerum!

PISTHETÆRUS. Non hinc avolabis? non tu hinc ocius in malam rem abibis, perditiſſume? acerbam jam nunc experieris pervertendi juris malitiam. Nos abeamus collectis alis.

CHORUS. Multa ſane & nova & mirabilia volitando cognovimus, & res vidimus, quas nemo facile credat. Enata eſt enim arbor quædam peregrini admodum & inauditi generis, a corde longiuſcule, Cleonymus dicta, nulli quidem rei utilis, at ſic tamen timida & magna. Hæc vere ſemper germinat, & ſycophantias edit: at ei hieme rurſus clypei, tanquam folia, defluunt. Eſt itidem locus aliquis apud ipſas tenebras, hinc procul in lucernarum vaſtitie, ubi cum heroïbus homines una prandent & converſantur, præterquam veſperi. Id enim temporis non amplius erat tutum obviam illis fieri. Si quis enim mortalium occurriſſet Oreſtæ heroï noctu, nudabatur veſtibus, ab eoque percutiebatur partes corporis quasque nobiliores.

PROMETHEUS, PISTHETÆRUS, CHORUS.

PROMETHEUS. O me infelicem! caveam modo ne me Jupiter conſpiciat. Ubi eſt Piſthetærus?

PISTHETÆRUS. Hem, quid hoc eſt? Quid, malum, ſibi volt hæc capitis obvolutio?

PROMETHEUS. Deorumne hîc quempiam pone me vides?

PISTHETÆRUS. Nullum equidem hercle. Quis vero tu es?

PROMETHEUS. Quodnam igitur diei tempus eſt?

PISTHETÆRUS. Quodnam? aliquantulum poſt meridiem. At tu, quis es?

PROMETHEUS. Inclinatne in veſperam, an præcipitat magis?

PISTHETÆRUS. Væ mihi, ut te abominor!

PROMETHEUS. Quid enim facit Jupiter? detergitne, an obducit cœlo nubes?

PISTHETÆRUS. Male pereas.

PROMETHEUS. Sic quidem me detegam.

PISTHETÆRUS. O care Prometheu!

PROMETHEUS. Deſine, deſine, ne clamites.

PISTHETÆRUS. Quid enim eſt?

PROMETHEUS. Sile: ne meum nuncupes nomen: quippe perdideris, ſi me Jupiter hîc videat. Sed ut tibi enarrem res ſupernas, quomodo ſe habeant, hanc umbellam ſume, & ſupra caput meum ſuſtine, ne me conſpiciant dii.

PISTHETÆRUS. Ha, ha, he; bene illud excogitaſti, & more tuo ſolerter. Ocius itaque ſuccede, ac deinde audacter loquere.

PROMETHEUS. Itaque jam nunc auſculta.

PISTHETÆRUS. Operam tibi do ſedulam; fabulare.

PROMETHEUS. Prorſus periit Jupiter.

PISTHETÆRUS. Quando periit?

PROMETHEUS. Ex quo vos urbem in aëre condidiſtis. Hominum enim nemo quicquam amplius ſacrificat diis, neque nidor a victimarum femoribus aſcendit ad nos ab eo usque tempore. Sed ſicut in Theſmophoriis jejunium agimus, ſacrorum primitiis carentes. Barbari vero dii eſurientes, Illyriorumque more abſonum ſtridentes, clamitant bellum ſe deſuper illaturos Jovi, ni emporia præbeat libera & aperta, ut importentur exta conciſa.

PISTHETÆRUS. Suntne enimvero alii quidam barbari dii ſupra vos?

PROMETHEUS. Nonne enim barbari ſunt, unde Patrius originem ducit Execeſtides?

PISTHETÆRUS. Nomen vero barbaris iſtis diis quodnam eſt?

PROMETHEUS. Quodnam ſit? Triballi.

PISTHETÆRUS. Intellego: inde nimirum illud *Diſpereas* eſt natum.

PROMETHEUS. Veriſſume. Hoc autem unum tibi plane dico, legatos huc eſſe venturos, de pactis qui agant, a Jove illisque ſuperioribus Triballis: vos vero ne pacta ineatis, ni reddiderit avibus ſceptrum denuo Jupiter, & Baſileam uxorem tibi matrimonio jungat.

PISTHETÆRUS. Quæ eſt Baſilea?

PROMETHEUS. Formoſiſſuma virgo, quæ fingit fulmen Jovis, ceteraque omnia, conſilia recta, æquas leges, modeſtiam, navalia, calumniam, Colacretem, triobolarem judicum mercedem.

PISTHETÆRUS. Omnem igitur penum adminiſtrat.

PROMETHEUS. Ita eſt: quam ſi tu a Jove acceperis, cuncta habes. Iſta ut tibi declararem huc veni. Nunquam enim non animi in homines propenſi ſum.

PISTHETÆRUS. Et tui vero ſolius inter deos munere cibos ſuper prunas torremus.

PROMETHEUS. Deos vero, ut noſti, odi omnes male.

PISTHETÆRUS. Semper quidem hercle deorum oſor fuiſti.

PROMETHEUS.

PROMETHEUS. Timon purus putus. Sed ut hinc ocius abeam, cedo mihi umbellam, ut si me Jupiter e cœlo conspexerit, sequi videar caniſtrigeram.

PISTHETÆRUS. Sume itidem hanc sellam, eamque cum umbella fer.

CHORUS. In Sciapodum vero finibus lacus est quidam obscenus, ubi ab Orco animas evocat Socrates. Eo & Pisander venit, obsecrans ut animam sibi videre liceret, quæ illum etiamnum viventem deseruerat: victimamque secum habebat camelum, agnum aliquem, cujus præciso gutture, retro, ut olim Ulysses, abiit: deinde ascendit ipsi ab Inferis ad sanguinem cameli bibendum Chærephon Vespertilio.

NEPTUNUS, TRIBALLUS, HERCULES, PISTHETÆRUS, FAMULUS Pisthetæri, CHORUS.

NEPTUNUS. Urbs Nubicuculiæ, uti vides, hæc est, ad quam legati mittimur. Heus tu, quid agis? adeon' in sinistrum latus rejicis pallium? nonne tu id convertes ad dextram? Quid, miserrume, eodem naturæ vitio laboras, quo Læspodias? O popularis licentia, quo nos tandem cogis, si quidem hunc delegerunt legatum dii!

TRIBALLUS. Quin quiescis?

NEPTUNUS. Male pereas: enimvero te vidi omnium multo barbarissumum deorum. Age vero, Hercules, quid faciemus?

HERCULES. Dudum tibi dixi, illum hominem me velle strangulare, quicunque tandem sit, qui ducto muro deos intercluserit.

NEPTUNUS. Sed, ô bone, delecti sumus de pace legati.

HERCULES. Tanto magis illum strangulare certum est.

PISTHETÆRUS. Radulam det mihi quispiam: adfer laserpitium; caseum quis adportet; suscita carbones.

HERCULES. Virum salvere jubemus nos dii tres.

PISTHETÆRUS Sed rasum inspergo laserpitium.

HERCULES. Cujus autem istæ sunt carnes?

PISTHETÆRUS. Aves quædam novarum rerum studio aggressæ populares aves injusta perpetrasse visæ sunt.

HERCULES. Tum tu illas, amabo, laserpitio prius conspergis?

PISTHETÆRUS. Salve, Hercules; quid est?

HERCULES. Legati huc missi venimus a diis de bello componendo.

FAMULUS. Oleum non inest in ampulla.

PISTHETÆRUS. Atqui pingues esse aviculas convenit,

HERCULES. Nobis enim bellum gerere nihil lucri adfert: vosque, si nobis diis effetis amici, pluviam aquam haberetis in paludibus vestris, alcedoniaque ageretis semper. De istis omnibus legati plena potestate instructi venimus.

PISTHETÆRUS. Atqui neque unquam antea nos lacessivimus vos bello, & nunc etiam parati sumus vobiscum, si videtur, si quidem aliud etiam, quod justum sit, volueritis facere, pacta inire: conditiones autem hæ sunt. Sceptrum ut nobis avibus denuo Jupiter reddat: atque ita conciliemur. Hac conditione legatos ad prandium voco.

HERCULES. Mihi quidem hæc sufficiunt & suffragor.

NEPTUNUS. Quid, ô miserrume, tam stultus es & gulosus? an regno patrem privabis?

PISTHETÆRUS. Siccine vero? non enim vos dii plus poteritis, si rebus, quæ infra in terra sunt, præsint aves? Nunc quidem sub nubibus latentes, atque inclinantes sese, pejerant vestrum numen mortales. Aves autem si socios habueritis, quando quis corvum adjuraverit & Jovem, corvus ad perjurum clanculum volando accedet, percussumque oculum ipsi excutiet.

NEPTUNUS. Ita me Neptunus amet, ista perpulchre dicis.

HERCULES. Mihique etiam sic videtur.

PISTHETÆRUS. Quid autem tu ais?

TRIBALLUS. *Nabaisatreu.*

PISTHETÆRUS. Viden'? & hic ista comprobat. Alterum nunc etiam audite, quantum vobis commodi simus adlaturi. Si quis hominum victimam deorum alicui voverit, deinde is astu eludat, ita inquiens; *faciles sunt dii & moræ patientes:* neque solvat præ avaritia; nos & ista exigemus.

NEPTUNUS. Age, fac sciam, quo pacto?

PISTHETÆRUS. Si forte dinumeraverit nummulos hic homo, aut lavans in balneo confideat, miluus devolabit, surreptumque duarum ovium pretium referet deo.

HERCULES. Ut sceptrum illis denuo reddatur, suffragio meo confirmo.

NEPTUNUS. Interroga nunc Triballum.

HERCULES. Heus tu, Triballe, an plorandum tibi videtur?

TRIBALLUS. *Saunaca baδaricrouſa.*

HERCULES. Nos omnino recte loquutos eſſe dicit.

NEPTUNUS. Si quidem hæc vobis utilia videntur, & mihi itidem videntur.

HERCULES. Heus tu, de reddendo ſceptro quæ rogas, nobis facere acceptum eſt.

PISTHETÆRUS. Atqui hercle aliud etiam eſt, cujus mihi in mentem venit. Junonem enim relinquo Jovi: ſed Baſilea virgo uxor mihi elocanda eſt.

NEPTUNUS. Pacem non cupis ex animo. Domum revortamur.

PISTHETÆRUS. Parum id mihi curæ eſt. Coque, juſculum oportet te dulce conficere.

HERCULES. O hominum diviniſſume Neptune, quo te agis? nosne unam ob mulierem bellum geremus?

NEPTUNUS. Quid itaque faciamus?

HERCULES. Quid? conveniamus.

NEPTUNUS. Quid, inepte, non animadvertis te jamdudum circumveniri? tute enim rem tuam perdis. Namque ſi Jupiter moriatur, tradito hiſce imperio, tu pauper eris. Ad te enim omnia devolvuntur bona, quæ Jupiter moriens reliquerit.

PISTHETÆRUS. Hei mihi miſero, quam tibi callidis dictis os ſublinit! huc ad me ſecede, ut tibi quid dicam. Circumducit te tuus patruus, ô ſtulte: ex bonis enim paternis ne hilum quidem tibi obveniet ſecundum leges: quippe nothus es; non genuinus.

HERCULES. Egone nothus? quid ais?

PISTHETÆRUS. Tu vero hercle, ut qui e peregrina muliere ſis natus: aut quonam pacto unicam eſſe heredem Minervam putes, quæ filia eſt, ſi fratres una ſint genuini?

HERCULES. Quid autem, ſi mihi moriens pater reliquerit bona, ut quæ nothis lege permittantur?

PISTHETÆRUS. At eum lex non ſinit. Ipſus hic Neptunus, qui

te nunc incitat, litem tibi primus de paterna hereditate movebit, genuinum se esse fratrem dictitans. Quin etiam recitabo tibi Solonis legem: *Nothus jure propinquitatis hereditatem ne adeat, liberi si sint genuini: sin liberi non sint genuini, ad proxumos agnatos hereditas devolvatur.*

HERCULES. Nullum itaque mihi obtigerit jus in paterna bona?

PISTHETÆRUS. Ne minumum quidem hercle. Dic autem mihi, an tribulium tabulis jam te pater curavit inscribi?

HERCULES. Nequaquam: illudque jam olim miratus sum.

PISTHETÆRUS. Quid sursum hians spectas irato & verbera minante voltu? a nobis autem si stes, ego te constituam regem, gallinarumque tibi lac præbebo.

HERCULES. Jampridem sane justa mihi petere videris de ista virgine, illamque ego tibi concedo.

PISTHETÆRUS. Quid tu vero?

NEPTUNUS. Seorsum atque aliter sentio.

PISTHETÆRUS. Omnis nunc res in Triballo posita est. Quid tu ais?

TRIBALLUS. Pulchram virginem magnamque Reginam avi concedo.

HERCULES. Concedere tu dicis?

NEPTUNUS. Ita me Jupiter amet, non hic se concedere dicit, nisi tam incondita blatit verba, quam cantillans hirundo.

PISTHETÆRUS. Proinde virginem hirundinibus concedendam esse ait.

NEPTUNUS. Vos nunc ambo litem componite & paciscimini: ego, si quidem ita vobis videatur, silebo.

HERCULES. Nobis, quæ tu rogas, omnia concedere placet. Sed ipse nobiscum ito in cœlum, ut Basileam, ceteraque omnia ibi accipias.

PISTHETÆRUS. Commodum igitur hæ aves concisæ sunt ad nuptiales epulas.

HERCULES. Voltisne verò, ut ego hîc remanens interim carnes assem? vos autem ite.

NEPTUNUS. Tune carnes asses? magnam enimvero voracitatem narras. Non ibis nobiscum?

HERCULES. Molliter sane me curassem.

PISTHETÆRUS. At vestem nuptialem huc mihi quis adferat.

CHORUS. In Pharis vero, apud Clepsydram versuta est Englottogastorum natio, qui lingua metunt, ferunt, vindemiant, & ficus legunt: sunt autem genere barbari, Gorgiæ & Philippi: & ab istis Englottogastoribus Philippis mos invaluit, ut ubique regionis Atticæ lingua seorsum a ceteris extis secetur.

NUNTIUS, CHORUS, PISTHETÆRUS.

NUNTIUS. O ſumme felices, magisque quam verbis poſſit exponi, ô ter beatum volucrium avium genus, excipite regem voſtrum fortunatis in ædibus. Talis enim accedit, qualis neque illuſtris adſpectu ſtella fulſit in auro ſplendente domo; neque Solis clarum radiorum jubar tantum reſplenduit. Venit autem ducens ſecum mulierem inenarrabili pulchritudine, vibrans fulmen, alatum Jovis telum: miræ ſuavitatis odor ad altiſſuma cœli diffunditur; ſpectaculum egregium: ſuffituum vero auræ levi motu adtollunt volumina fumi. Hic vero ipſus eſt: ſed oportet divæ Muſæ ſacrum, bonaque verba fundens, os aperire.

SEMICHORUS. Recede, diſcede, abſcede, concede, circumvolate fortunatum virum fauſto venientem omine. Hem, hem, quanta venuſtas! quæ pulchritudo! O qui feliciſſumum huic urbi matrimonium iniiſti! magna, magna contigerunt per huncce virum generi avium commoda: ſed hymenæis & genialibus excipite carminibus ipſum, ſponſamque ejus Baſileam.

SEMICHORUS. Junoni olim Olympiæ excelſi ſolii regem magnum diis Parcæ conjunxerunt tali hymenæo: Hymen, ô Hymenæe. Floridus autem Amor aureis alis retro adductas regebat habenas, Jovis pronubus beatæque Junonis: Hymen, ô Hymenæe.

PISTHETÆRUS. Delector hymnis, delector cantibus: laudo voſtrum ſermonem. Jam vero nunc age, Jovis ipſius celebrate tonitrua ſub terram mugientia, igneaque fulgura, horrendumque & coruſcum fulmen.

CHORUS. O fulguris aureum lumen, ô Jovis immortale telum igniferum, ô inferna, graveſonantia, & imbrifera ſimul tonitrua,

quibus vir iſte nunc terram concutit, omnium per te potitus, & adſidentem ſibi Baſileam habet Jovis. Hymen, ô Hymenæe.

PISTHETÆRUS. Sequimini nunc nuptias, ô genera omnia aligerûm ſodalium, ad ædes Jovis & lectum genialem. Porrige, ô beata, tuam manum, alisque meis prehenſis, mecum ſalta: tollens autem ego allevabo te.

CHORUS. Alalæ, Ie Pæan, Tenella præclare victor, ô deorum ſumme!

FINIS AVIUM.

ARISTOPHANIS
VESPÆ.

DRAMATIS PERSONÆ.

SOSIA, } servi Philocleonis.
XANTHIA, }

BDELYCLEO.

PHILOCLEO.

CHORUS SENUM VESPARUM habitu.

PUERI.

CANIS.

MULIER PANARIA.

VIR QUIDAM ACCUSATOR.

SOSIA, XANTHIA, BDELYCLEO, PHILOCLEO, CHORUS, PUERI.

SOSIA. Heus tu, quid facis, infelix Xanthia?

XANTHIA. Cuſtodiam nocturnam diſſolvere diſco.

SOSIA. Magnum ergo quoddam malum debebas latetibus tuis. Anne etiam ſcis qualem cuſtodiamus beluam?

XANTHIA. Scio: ſed cupio paululum dormire.

SOSIA. Tu vero periclitare; nam & meis oculis jam aliquid dulce offunditur.

XANTHIA. Profecto inſanis, aut Corybantum more furere incipis.

SOSIA. Non: ſed gravis me quis ſopor inceſſit ex Sabazio.

XANTHIA. Eundem ergo mecum colis Sabazium. Nam & mihi modo quaſi hoſtis quis Medus invaſit palpebras, capitis quaſſator ſopor; & ſane mirum ſomnium ſomniavi modo.

SOSIA. Et ego unum certe, quale nunquam antehac. Sed tu narra prior.

XANTHIA. Viſa eſt aquila devolans in forum, magna oppido, rapere unguibus clypeum æratum, & procul in cœlum auferre: deinde illum clypeum viſus eſt abjeciſſe Cleonymus.

SOSIA. Nihil ergo a gripho differt Cleonymus. *Quî fit, quæſo,* rogabit aliquis inter convivas fabulans, *ut una eademque belua in terra & in cœlo & in mari clypeum abjecerit?*

XANTHIA. Hei mihi! quid ergo mali eveniet mihi, qui tale inſomnium vidi?

SOSIA. Ne ſis ſollicitus: nihil enim erit mali, ita me ament dii.

XANTHIA. Attamen dirum eſt omen homo abjiciens arma. Tu vero jam tuum narra.

SOSIA. Sed eſt magni momenti: nam ad totam reipublicæ navem attinet.

XANTHIA. Propera igitur memorare carinam illius rei.

SOSIA. Viſus ſum circa primum ſomnum videre concionem ſedentum in Pnyce pecudum, baculos habentium & pallia: deinde inter iſtas pecudes mihi videbatur verba facere balæna omnivora, quæ vocem habebat obeſæ ſuis.

XANTHIA. Au!

SOSIA. Quid eſt?

XANTHIA. Deſine, deſine; ne narra. Peſſume olet inſomnium iſtud putorem corii.

SOSIA. Deinde impura illa balæna trutinam tenens, bubulum appendebat adipem.

XANTHIA. Hei mihi miſero! populum noſtrum volt diſtrahere.

SOSIA. Videbatur autem mihi Theorus prope humi ſedere, coracis habens caput: tum vero Alcibiades mihi dixit ore balbo: *Celnisne? Theolus colacis habet caput.*

XANTHIA. Recte id quidem Alcibiades balbutiit.

SOSIA. Annon monſtri hoc ſimile eſt, Theorus corvus factus?

XANTHIA. Minume; immo optumum eſt.

SOSIA Quomodo?

XANTHIA. Rogas? homo erat; deinde repente factus eſt corvus. Nonne hinc manifeſta conjectura augurere, eum ſubvolantem a nobis ad corvos iturum?

SOSIA. Ergone duobus obolis non conducam te, qui tam perſpicue conjicis ſomnia?

XANTHIA. Age vero, ſpectatoribus argumentum eloqui volo, ubi prius pauca hæc eos monuero. Nihil a nobis exſpectent magnum nimis, nec etiam jocos Megaris furtim conquiſitos. Nobis enim nec ſunt, qui nuces ex ſporrula jaciant ſpectatoribus, ſervi: nec eſt Hercules cœna defraudatus, nec iterum Euripides petulanter tradu-

citur; neque etiam, quia Cleo fortunæ favore inclaruit, propterea eundem illum hominem rursus aceto perfundemus. Sed est nobis argumentum non ineptum, quod vestram quidem sapientiam non superat, sed tamen magis est scitum & elegans, quam quævis insulsa comœdia. Nempe herus est nobis, qui in superiore ædium parte dormit, magnus ille in cœnaculo. Iste nobis imperavit, ut suum patrem adservemus, quem intus concluſit, ne foras exeat. Morbo enim pater ejus laborat mirabili, quem nemo facile noverit, neque conjecerit, qui fiet, nisi ex nobis audiatis: si minus creditis, ipsi conjecturas facitote. Amynias quidem iste Pronapi filius ait, esse eum amatorem aleæ: sed nihil dicit.

SOSIA. Nihil hercle; sed de se hunc morbum conjectat.

XANTHIA. Haud sane recte. Est tamen *Amator* quidem exordium hujus mali. Iste vero, Sosia, ad Dercylum ait, amatorem eum esse compotationum.

SOSIA. Nequaquam; si quidem iste morbus etiam virorum est bonorum.

XANTHIA. Nicostratus autem Scambonides ait eum amatorem esse sacruficiorum, aut hospitum.

SOSIA. Per canem juro, Nicostrate, non est amator hospitum. Nam cinædus est Philoxenus.

XANTHIA. Frustra nugamini: non enim invenietis. Si autem scire cupitis, jam tacete: declarabo enim nunc morbum heri mei. Quippe amator est Heliææ, ut nemo alius: insanitque hujus rei, judicandi inquam, cupidine, & gemit, si non in primo sedeat judicum subsellio. Noctu autem somni ne tantillum quidem videt: si vero pauxillum connivere cœpit, tamen noctu etiam mens volitat illic circa clepsydram. Et quoniam assuefactus est calculum tenere, tribus compressis digitis expergefactus surgit, quasi thus imponeret acerræ novilunio. Et mehercle, si alicubi videat inscriptum in janua, *Bellus Demus Pyrilampis filius*, ipse ire solet, & juxta scribere: *Bellus Camus Judiciarius*. Gallum autem gallinaceum, qui cecinerat vesperi, dixit, se excitare tarde, quia corruptus esset a reis

argento. Statim autem a cœna cum clamore poſcit calceos: deinde ubi illuc ante diluculum venit, dormit adnixus & hærens columnæ, inſtar conchæ. Præ ſeveritate autem ducta omnibus longa linea, tanquam apis aut bombylius domum ingreditur cum unguibus cera ſublitis. Et quia timet ne aliquando eum calculi deficiant, litus habet renovatque ſemper domi, ut ferendæ ſententiæ copiam habeat. Ita æſtuat: magis autem monitus, ſemper magis judicare ſtudet. Hunc itaque cuſtodimus obductis incluſum peſſulis, ne exeat. Filius enim ejus morbum graviter fert. Et primum quidem dictis lenibus adlocutus ſuaſit ei, ne geſtaret pallium, neve exiret foras: at ille morem non geſſit. Deinde illum lavit, & purgavit, quin etiam poſtea Corybantum ſacris piari curavit: ille autem tympanum tenens exſiluit, & judicaturus in forum irruit. Quum autem iſtis initiis ei nihil profuiſſet, in Æginam navigavit, ibique prehenſum noctu in Æſculapii fano incubare fecit: at ille ſummo mane apparuit apud cancellos. Exinde non amplius domo exire eum ſivimus: ille vero elabebatur per cloacas & foramina: nos autem, quæcunque erant perforata, obturavimus pannis, & obſepivimus: ille vero paxillos infigebat parieti, quibus, ut graculus, innixus, exſiliebat: nos demum totum atrium circumcirca retibus obduximus, illumque ſic adſervamus. Eſt autem nomen ſeni Philocleo, quo ſane dignus eſt, ita me Jupiter amet: filio autem ejus Bdelycleo, quippe qui mores habeat caperofrontipervicos.

BDELYCLEO. O Xanthia & Soſia, dormitisne?

XANTHIA. Hei mihi!

SOSIA. Quid eſt?

XANTHIA. Bdelycleo ſurgit.

BDELYCLEO. Nonne curret veſtrûm alter huc ocius? nam pater in culinam eſt ingreſſus, rimaturque aliquid, tanquam mus in caverna deliteſcens: ſed ſpecta, ne per foramen alvei elabatur: tu autem januæ incumbe.

SOSIA. Hoc ago, here.

BDELYCLEO. O Rex Neptune! quid eſt, quod fumarium ita ſonat? Eho, quis es tu?

PHILOCLEO. Fumus equidem exeo.

BDELYCLEO. Fumus? age videam cujus ligni.

PHILOCLEO. Ficulnei.

BDELYCLEO. Sane hercle, quod quidem unum omnium fumum facit acerrumum. Sed non intro te referes citiſſume? ubi eſt fumarii operculum? regredere. Agedum afferam etiam ſuperimponam. Iſtic jam aliud quodvis machinare. At ego infelix ſum, ut nemo alius, qui Fumo patre natus jam perhibebor.

SOSIA. Tu puer, januam trude: valde preme atque fortiter: ego etiam illuc veniam. Seram diligenter obſerva & vectem, & vide ne vectis glandem derodat.

PHILOCLEO. Quid facere voltis? non me exire ſinitis, impuriſſumi, judicaturum? Ergo abibit indemnatus Dracontides.

BDELYCLEO. Iſtuccine vero tu graviter ferres?

PHILOCLEO. Etenim conſulenti mihi olim Delphis oraculum reſpondit Deus, me tum mortem oppetiturum, quando mihi indemnatus reus abiiſſet.

BDELYCLEO. Apollo Averrunce! quale hoc eſt oraculum!

PHILOCLEO. Age, obſecro, emitte me, ne disrumpar.

BDELYCLEO. Per Neptunum juro, ut ego te nunquam emittam, Philocleo.

PHILOCLEO. Itaque corrodam mordicus arreptum rete.

BDELYCLEO. Sed non habes dentes.

PHILOCLEO. Me miſerum! quomodo te occidam? quomodo? date mihi gladium ocius, aut tabellam damnatoriam.

BDELYCLEO. Homo iſte magnum aliquod molitur malum.

PHILOCLEO. Non equidem hercle, non, inquam; ſed vendere volo aſinum una cum clitellis abductum: nam novilunium eſt.

BDELYCLEO. Nonne ego etiam, quæſo, poſſem eum vendere?

PHILOCLEO. Non ita ut ego.

BDELYCLEO. Immo hercle melius: ſed educ aſinum.

XANTHIA. Qualem prætextum intulit! quam callide, ut eum emittas citius!

BDELYCLEO. Sed inanem retraxit hamum: mihi enim doli ſuboluerat. Sed ingreſſus aſellum educere volo, ut ne foras rurſus emicet ſenex. — Aſelle, cur fles? anne quod hodie venum ibis? quid ingemiſcis, quiane Ulyſſem aliquem non vehis?

XANTHIA. Sed mehercle quemdam vehit, huncce ſubtus pendulum.

BDELYCLEO. Quemnam? age videam.

XANTHIA. Iſtum.

BDELYCLEO. Hoc quid eſt? quisnam es, quæſo, tu homo?

PHILOCLEO. Utis ſum mehercle.

BDELYCLEO. Utis tu? cujas?

PHILOCLEO. Ithacus ex Fugacia.

BDELYCLEO. At faxo hercle, ut non ſine magno tuo malo Utin te eſſe dixeris. Surſum trahe eum ocius. Impuriſſumus ille, quorſum ſubierat! mihi ſane videtur ſimillimus eſſe pulli ſubrumi aſellæ, qua viator invehit.

PHILOCLEO. Niſi me miſſum feceritis, pugnabimus.

BDELYCLEO. Qua de re, quæſo, pugnabis nobiscum?

PHILOCLEO. De aſini umbra.

BDELYCLEO. Improbus es, ſed rudis & deſperatæ audaciæ.

PHILOCLEO. Egone improbus? non hercle. Sed tu non ſentis nunc me eſſe virum optumum: at ſenties forte, quando comedes ſumen, quod adponet tibi ſenex Heliaſticus.

BDELYCLEO. Trude aſinum & te ipſum in domum.

PHILOCLEO. O judices, mei ſocii, tuque, ô Cleo, ſuccurrite.

BDELYCLEO. Intus vociferare, clauſis foribus. Trude tu multos lapides ad oſtium, & glandem rurſus immitte in vectem, transverſumque oppone tignum, cui fulciendo propere advolve magnum mortarium.

SOSIA. Hei mihi miſero! unde incidit in me glebula?

XANTHIA. Forte mus deſuper eam tibi injecit alicunde.

SOSIA.

SOSIA. Mus? non hercle: sed iste serpens heliastes, qui tegulas subiit.

BDELYCLEO. O me miserum! iste homo passer fit: avolabit. Ubi est rete? ubi? apage, apage, retro apage te. Edepol næ satius esset me Scionem custodire, quam hunc meum patrem.

SOSIA. Agedum, quoniam istum abegimus, nec potis est, ut clam nobis elabatur, cur non obdormiscimus pauxillum?

BDELYCLEO. Sed, ô misselle, venient paulo post sodales judices vocantes hunc meum patrem.

SOSIA. Quid ais? at nondum illuxit.

BDELYCLEO. Nondum hercle. Tamen solito tardius excitantur hodie, quippe qui a media nocte eum semper arcessunt, lucernas habentes, suavissimaque e veteris Phrynichi Phœnissis cantillantes carmina, quibus eum evocant.

SOSIA. Itaque, si opus erit, jam eos lapidibus impetemus.

BDELYCLEO. Sed, ô miser, si quis irritaverit genus istud senum, simile est illud crabronibus. Extremis enim in lumbis aculeum habent acutissumum, quo pungunt, & vociferando saltitant, & jaculantur, instar scintillarum.

SOSIA. Animo liquido & tranquillo es: nam si ego lapides habeam, multorum judicum examen dissipabo.

CHORUS. Perge, procede strenue. Cessas, ô Comia? at hercle, antea non cessabas; sed tam firmus eras, quam lorum caninum: nunc autem te vincit Charinades eundo. O Strymodore Conthylensis, optume judicum, estne hic forte Euergides, aut Chabes Phlyensis? Adest, quidquid superat, appapæ, papæ, papæax! ex illa juventute, quæ tum florebat, quando in Byzantio contubernales eramus custodes ego & tu; deinde obambulantes noctu panariæ illius surripiebamus ligneum mortarium, quo fisso oleris agrestis nonnihil coquebamus. Sed festinemus, ô viri; nam de Lachete nunc judicium fiet. Aiunt autem omnes eum habere alveare plenum pecunia. Itaque heri Cleo, columen nostrum, nos jussit mature adesse, instructos in tres dies ira acerba contra ipsum, ut illius ulciscamur injurias. Eia agite, se-

ſtinemus, ô æquales, antequam illuceſcat: pergamus, ſimulque cum lucerna usquequaque diſpiciamus, ne quis ex inſidiis imprudentes nos opprimat.

PUER. Lutum iſtud, mi pater, pater, cave.

CHORUS. Tu igitur humi feſtucam ſume, & lucernam emunge.

PUER. Non. Sed hocce digito mihi videor lucernam probe emuncturus.

CHORUS. Quamobrem, ô ſtulte, digito promoves ellychnium, præſertim in iſta olei penuria? non enim te mordet, quando care eſt emendum.

PUER. Edepol, ſi pergitis pugnis nos commonefacere, exſtinctis lucernis nos domum abibimus: tum forte in tenebris hac lucerna carens, lutum turbabis ambulans, tanquam attagen.

CHORUS. Profecto ego alios etiam te majores caſtigo. Sed iſtud, quod calco, mihi cœnum videtur. Et mirum ni fuerit neceſſe plurimam pluviam quatuor continuos dies Jovem facere: adeo increvere in lucernis fungi: ſolet autem quam maxume, ſi iſtud fiat, pluere. Expetunt autem fructus, quicunque ſunt ſerotini, pluviam & Boreæ flatum. Quidnam huic ſodali noſtro judici, qui in hiſce habitat ædibus, dicam accidiſſe, quod non prodit huc ad gregem noſtrum? ſane antehac non ſolebat remulco trahi: ſed primus nobis præibat cantans Phrynichi carmen; etenim eſt cantus amans: ſed ego cenſeo, ut hîc ſtantes, ô viri, & cantantes eum eliciamus; ſi forte audiens meam cantilenam præ voluptate prorepat foras.

Quid cauſæ eſt, quamobrem ante oſtium non apparet nobis hic ſenex, nec reſponſat? num perdidit calceos, aut digitum pedis in tenebris alicubi impegit, unde malleolus ei intumuit homini ſeni? & forte etiam inguen ei doleat. Sane multo acerrumus erat omnium noſtrûm, & ſolus oratione non flectebatur. Sed ſi quando aliquis eum ſupplex rogaret, tum ille capite ſic demiſſo dicebat, *Lapidem coquis*. Forte etiam propter iſtum hominem, qui nobis heri elapſus eſt, decipiens nos, & dicens *Se Athenienſium reipublicæ favere, quæque in Samo gererentur, primum ſe indicaſſe*; id, inquam,

ægre ferens, forte nunc in febre cubat. Nam ſic homo eſt. Sed, ô bone, ſurge, & ne te ipſum edas, neque ſtomacheris. Etenim adeſt homo quidam opulentus ex iis, qui Thraciam prodidere, quem vide ut infames plectasve capite.

I præ, puer, progredere.

PUER. Gratificaberisne ergo mihi, pater, ſi quid abs te rogem?

CHORUS. Omnino, mi filiole: ſed dic, quid velis me tibi emere boni: arbitror autem te dicturum talos fortaſſe, mi fili.

PUER. Neutiquam hercle, pater dulciſſume; ſed ficus: plus enim placent.

CHORUS. Non edepol emam, ſi vel ſuſpendatis vos.

PUER. Non edepol ergo amplius te deducam.

CHORUS. Nam ab iſta tenui mercede judiciaria oportet tertium me nunc habere panem & ligna & obſonium: tu autem præterea ficus a me petis?

PUER. Age vero, mi pater, ſi noluerit Prætor nunc fieri conſeſſum judicum, unde ememus prandium? habesne ſpem aliquam bonam nobis, aut *viam Helles ſacram?*

CHORUS. Apapæ! heu! Equidem hercle neſcio, unde nobis erit cœna.

PUER. Cur me ergo peperiſti, ô infelix mater, ut moleſtias ſuſferam in alendo patre?

CHORUS. Inutile ergo, ô ſaccule, te habui decus.

PUER. Heu, heu! parati nobis ſunt gemitus.

PHILOCLEO, CHORUS, BDELYCLEO, SOSIA, XANTHIA, CANIS.

PHILOCLEO. Amici, dudum tabesco, per foramen vos audiens, vobisque respondere cupiens. Sed canere nequeo. Quid agam? adservor ab istis. Jampridem enim cupio vobiscum ire ad urnas judiciarias, & mali quid facere. Sed, ô Jupiter, tona vehementer, & me subito fac fumum, aut Proxeniadem, aut Selli filium, qui mentitur labruscam: ne dubita, ô rex, istud mihi gratificari, sortem miseratus meam: aut me fulmine ardenti cinefac ocius: deinde me sublatum flatu impelle in acidam muriam ferventem; aut me in lapidem illum converte, super quo calculos dinumerant.

CHORUS. Quis est ergo, qui te sic cohibet, & occludit fores? Dic; nam amicis dixeris.

PHILOCLEO. Gnatus meus. Sed ne clamate: etenim in anteriore parte ædium dormit: sed submissiore voce loquimini.

CHORUS. At ista faciens, ô nugator, quanam a re se prohibiturum te cogitat? quamnam prætendit causam?

PHILOCLEO. Non sinit me, ô amici, judicare, nec quidpiam mali facere. Sed me conviviis exhilarare paratus est; ego autem nolo.

CHORUS. Hoccine impurus ille ausus est hiscere, Populi & Cleonis osor, quia nimirum vera dicis de navibus?

PHILOCLEO. Nunquam sane iste homo hoc ausus fuisset dicere, nisi conjurationis esset alicujus particeps.

CHORUS. Sed hæc quum ita sint, tempus est maxumum, ut quæras novum aliquod commentum, quod te faciat clam isto viro huc descendere.

PHILOCLEO. Quidnam id esse possit? vos quærite. Nam ego

quodlibet faciam, tanta flagro cupiditate per ſubſellia ſpatiari cum calculo.

CHORUS. Eſtne, quæſo, foramen aliquod, quod intus poſſis perrodere, atque elabi pannis tectus, uti callidus ille Ulyſſes?

PHILOCLEO. Omnia ſunt obſepta, nec vel formicæ patet exitus. Sed aliud quidpiam quærere vos oportet: per foramen perrepere non licet.

CHORUS. Meminiſtin' ergo, ut militans olim furatus es verua, iisque depactis in murum ex eo te demiſiſti, quando Naxus capta fuit?

PHILOCLEO. Novi: ſed quid iſtud? non enim hic ſtatus rerum illi ſimilis eſt. Quippe juvenis tum eram, & poteram furari, integerque vigoris eram: nec quisquam me cuſtodiebat: ſed mihi tuto licebat fugere: nunc autem cum armis ſatellites ordine diſpoſiti per vias in ſpeculis ſunt: eorum autem duo iſti ad oſtium, tanquam muſtelam, quæ carnem furata eſt, me obſervant, verua manibus tenentes.

CHORUS. Sed etiamnum exprome aliquam machinationem quamprimum, ô mellite; nam Aurora adeſt.

PHILOCLEO. Optumum itaque erit perrodere rete. Ignoſcat autem mihi Dictynna quod retia lædo.

CHORUS. Viri fungeris officium ad ſalutem tendentis: ſed admove tuam maxillam.

PHILOCLEO. Perroſum hoc quidem eſt: ſed nihil quicquam clamate: verum caveamus, ne Bdelycleo perſentiſcat.

CHORUS. Nihil formides, ô amice, nihil: nam ego illum, ſi mutit, cogam mordere cor ſuum, & de vita certare; ut ſciat non eſſe calcanda Cereris & Proſerpinæ ſcita. Sed funem aptato ad feneſtram, deinde alligatum te ipſum demitte, & concipe animo furorem Diopithis.

PHILOCLEO. Age nunc, ſi iſti ſentiant hæc, & me velint reducere atque retrahere intro, quid facietis? dicite jam.

CHORUS. Opem tibi feremus, & omne robur adſciſcemus animi, ut nequeant te cohibere: talia nos facinora inceptabimus.

PHILOCLEO. Faciam igitur quod ſuadetis, vobis fretus; & mementote, ſi quid mihi acciderit, ut me veſtris manibus ſublatum & defletum, ſub cancellis ſepeliatis.

CHORUS. Nihil mali accidet tibi, ne timeas: ſed, ô bone, demitte te ipſum audacter, invocatis patris diis.

PHILOCLEO. O Lyce domine, heros vicine; tu enim iiſdem, quibus ego, delectaris, perpetuis reorum lacrimis & lamentis: huc ſane veniſti habitatum data opera, ut iſta audires, & ſolus omnium heroum voluiſti apud flentem ſedere: miſerere mei, & me vicinum tuum nunc ſerva. Sic nunquam ad tuas ſtoreas mingam aut pedam.

BDELYCLEO. Eho tu ſurge.

SOSIA. Quid negoti eſt?

BDELYCLEO. Quaſi vox quædam me circumſonat.

SOSIA. An ſenex ille aliquorſum prorepit?

BDELYCLEO. Non hercle: ſed funе ſe vinctum demittit.

SOSIA. O impuriſſume, quid facis? nunquam deſcendes.

BDELYCLEO. Aſcende ocius in alteram feneſtram, & verbera ramis, ſi qua ratione retro ſe convertat, illis cæſus.

PHILOCLEO. Nonne ſuppetias venietis, quotquot hoc anno litigaturi eſtis, ô Smicythio, & Tiſiade, & Chremo, & Pherediپne? Quando autem, niſi nunc, opitulabimini mihi, antequam magis introrſum trahar?

CHORUS. Dicite mihi, quid ceſſamus commovere illam bilem, quam ſolemus, quum quis noſtrum crabronum examen excitaverit? nunc, nunc ille iracundiæ noſtræ ſtimulus, quo fontes caſtigamus, acutus erigitur. Sed, abjectis tunicis, ocius, ô pueri, currite & clamate, & Cleoni hæc nuntiate, ipſumque jubete venire, ut contra hominem reipublicæ oſorem & peſſume periturum, quia ſententiam hanc introducit, lites non oportere judicarier.

BDELYCLEO. O boni, rem ipſam audite & ne clamate.

CHORUS. Pol in cœlum usque tollemus clamorem: nam hunc ego non deseram.

BDELYCLEO. Annon intolerabilia sunt hæc, & manifeste tyrannica?

CHORUS. O cives, & Theore deorum contemtor, & si quis alius assentator nobis præsidet!

XANTHIA. O Hercules! spicula etiam habent. Nonne vides, ô here?

BDELYCLEO. Sane, quibus Philippum Gorgiæ filium judicantes perdiderunt.

CHORUS. Et te rursus perdemus. Sed unusquisque convertere huc, & exserto spiculo hunc pete, constipatus, ordinatus, ira & furore plenus, ut deinceps sciat quale examen irritaverit.

XANTHIA. Atqui hercle hoc jam grave est, si pugnandum erit: nam ego quidem timeo, quum eorum aculeos video.

CHORUS. Sed amitte virum; sin minus, aio te beatas prædicaturum testudines, ob tergi duritiam.

PHILOCLEO. Eia nunc, ô sodales judices, crabrones irritabiles, partim in culum ei involate irati; partim oculos circumcirca pungite & digitos.

BDELYCLEO. O Mida, & tu Phryx, huc succurrite, & tu Masyntia, istumque tenete, neque cuiquam eum dimittite; sin minus, in crassis compedibus jejunia agetis. Nam ego jam sæpius ficulneorum foliorum crepitum audivi.

CHORUS. Nisi hunc dimiseris, spiculum infigetur tibi.

PHILOCLEO. O Cecrops heros, domine noster, in draconem desinens, paterisne me sic a barbaris hominibus opprimi, quos ego docui quatuor mensuras lacrimarum fundere in chœnicem?

CHORUS. Ergone in senectute multa non insunt incommoda scilicet? nunc etiam ambo isti veterem herum vi capiunt, subigunt-que, immemores renonum & exomidum, quas iste eis emit, & galerorum, & ut hieme pedes eis fovebat, ne quando frigerent: sed illis non inest in oculis pudor nec reverentia veterum calceorum.

PHILOCLEO. Nonne me nunc quidem dimittes, peſſuma beſtia, nec in memoriam revocans, quando te uvas furantem deprehendi, & adductum ad oleam probe flagris concidi usque ad invidiam? at tu ingrati animi homo eras. Sed dimitte me & tu, & tu, priusquam gnatus meus huc excurrat.

CHORUS. Sed horum mox pœnas nobis dabitis non ita multo poſt; ut ſciatis, qualis ſit mos hominum iracundorum & juſtorum & acerba tuentium.

BDELYCLEO. Cæde, cæde, ô Xanthia, & abige crabrones ab ædibus.

XANTHIA. Atqui hoc ago; ſed & tu largo fumo illos preme.

SOSIA. Nonne in malam rem faceſſetis? non abibitis? percute caudice.

XANTHIA. Et tu impoſito in ignem Æſchine Selli filio, fac fumum. Eramus ergo vos abacturi tandem.

BDELYCLEO. Sed mehercle non tam facile illis defunctus fuiſſes, ſi forte de carminibus Philoclis comediſſent.

CHORUS. Annon ergo hæc manifeſta ſunt pauperibus, ut clam me imprudente inſinuarit ſe tyrannis? ſiquidem tu, ô improbiſſume, ſuperbique illius ſectator Amyniæ, a legibus nos arces, quas conſtituit noſtra civitas, neque cauſam ullam prætendens, neque orationem comem, quamobrem ſolus ipſe domineris.

BDELYCLEO. Poſſemusne ſine pugna & acuto clamore ſermones conferre inter nos, & in gratiam redire?

CHORUS. Tecumne conferam ſermones, ô populi oſor, & monarchiæ cupide, & familiaris Braſidæ, qui geſtas fimbriam e tæniis, & barbam intonſam alis?

BDELYCLEO. Edepol næ ſatius eſt, ut a patre meo prorſus abſcedam, potius quam quotidie conflicter cum tantis malis.

CHORUS. Nec in apio nec in ruta ſunt adhuc res iſtæ: hoc enim inferemus viliſſumum verbum: & nunc quidem nihil dolet tibi; ſed dolebit, quum orator eadem iſta in te ingeret crimina, conjuratosque tuos vocabit.

BDELYCLEO. Obsecro per deos, estisne vos hinc discessuri? sin aliter, constitutum est mihi vapulare usque & verberare toto die.

CHORUS. Nunquam desistam, donec aliqua pars mei reliqua erit, quando tu ad tyrannidem affectas viam.

BDELYCLEO. Nempe omnia vos tyrannidem & conjurationem nominatis, sive majus, sive quis minus crimen alicui intentet, cujus ego tyrannidis nomen quinquaginta annis ne semel quidem audiveram. Sed nunc multo vilior est salsamentis, adeo ut illius nomen jam in foro etiam circumferatur. Nam si quis emat orphos, nolit autem membradas, illico dicit ille, qui in proxumo vendit membradas: *Iste homo videtur obsonare ad tyrannidem.* Si quis autem porrum petat ad condiendas apuas, olerum venditrix limis intuens dicit illi: *Porrum petis: dic mihi, num paras tyrannidem? an putas tibi Athenas condimenta tributi instar ferre?*

XANTHIA. Me quoque scortum, quum heri meridie ad illud ingressus essem, quia jubebam, ut supinum agitaret equum, iratum interrogavit, *an Hippiæ tyrannidem constituam.*

BDELYCLEO. Hæc enim istis auditu jucunda: & nunc ego, quia volo, ut pater meus, his relictis moribus, primo mane domo non egrediatur, delationibus & litibus misere vacaturus, sed vitam agat splendidam, uti Morychus, insimulor ista facere ex conjuratione, tyrannidisque studio.

PHILOCLEO. Tuo quidem hercle merito: namque ego vel gallinarum lac nihili faciam præ ista vivendi ratione, a qua me nunc abducere satagis: neque delector raiis, nec anguillis; sed libentius comederem liticulam minutam in patina suffocatam.

BDELYCLEO. Namque edepol assuevisti ejusmodi rebus delectari. Sed si poteris patienter silere, & cognoveris quæ dicam, arbitror tibi me ostensurum, ut ista omnia te falsum habeant.

PHILOCLEO. Fallor, quando judico?

BDELYCLEO. Et quidem derideri te non sentis ab hominibus, quos tu tantum non adoras. Quin insciens servitutem servis.

PHILOCLEO. Desine memorare servitutem mihi, qui omnibus impero.

BDELYCLEO. Haud tu quidem: verum servus es, dum te putas imperare. Nam doce nos, ô pater, quid tibi accedit dignitatis, qui tributa Græciæ in rem tuam convertis.

PHILOCLEO. Plurimum vero: voloque his arbitrium permittere.

BDELYCLEO. Ego etiam. Dimittite nunc eum omnes, & gladium mihi date. Nam si argumentis a te victus fuero, gladio incumbam. At, perii! dic mihi, quid, si non acquieveris arbitrorum sententia?

PHILOCLEO. Nunquam bibam meri mercedem Boni Geni.

CHORUS. Nunc autem te, qui e nostra palæstra es, oportet dicere quid novi, ut videaris --

(BDELYCLEO. Ferat mihi huc scrinium aliquis ocius.

CHORUS. Sed non prorsus homo nihili videberis esse, si istud tibi jubes dari.) non ita, ut adulescens iste, verba facere. Vides enim quam magnum tibi instet certamen, in quo omnia in discrimen adducuntur, si, quod absit, iste victor erit.

BDELYCLEO. Etenim quæcunque dixerit, memoriæ causa summatim notabo.

PHILOCLEO. Quid autem vos dicitis, si iste oratione me superaverit?

CHORUS. Non amplius senum turba utilis foret, nec hilum. Nam irriderемur per vias omnes & thallophori vocaremur, litium putamina. Sed ô qui disceptabis de universo imperio nostro, nunc audacter omnium linguæ tuæ virium fac periculum.

PHILOCLEO. Equidem statim ab ipsis carceribus imperium nostrum argumentis ostendam, ut nullo regno sit inferius. Quid enim fortunatum aut beatum magis nunc est judice, aut deliciis magis abundans, aut formidabilius animal, præsertim sene? quem primum quidem prorepentem e lecto observant apud cancellos homines magni & quadricubitales: deinde statim accedens aliquis injicit mihi

manum mollem, quæ furta fecit publicæ pecuniæ: ſupplicesque mihi ad genua accidunt ſontes, vocem miſerabilem fundentes: *Miſerere mei, ô pater, obſecro te, ſi & tu unquam ſurripuiſti aliquid, magiſtratum gerens, aut in militia contubernalibus obſonans.* Qui nec an viverem ſciret, niſi a me jam antea crimine abſolutus fuiſſet.

BDELYCLEO. Quod de ſupplicibus dicis, illius hoc eſto mihi monumentum.

PHILOCLEO. Deinde ingreſſus, precibusque oneratus, & ira deterſa, intus nihil horum quæ promiſerim, facere ſoleo. Sed audio reos omnigenas voces mittentes, ut abſolvantur. Age, quæ non ibi blandimenta poteſt audire judex? alii deflent paupertatem ſuam, eaque quibus revera premuntur mala cumulant aliis, donec æquaverit aliquis ſua meis. Alii narrant fabulas nobis: alii Æſopi ridiculum quoddam: alii dicteria dicunt, ut ego rideam & iram deponam. Atque ſi his non moveamur, liberos extemplo protrahit, filias & filios manu ducens: ego autem auſculto: at illi capita ſimul demittentes balant: deinde per illos pater, tanquam deum, me obſecrat, tremens, ut ſe noxa liberem: *Quod ſi delectaris agni voce, filii vocem miſerearis. Si vero porcellis delecter*, orat, *ut filiæ voce movear.* Atque tunc nos intenſionem iræ nonnihil relaxamus. Annon magnum hoc eſt imperium & divitiarum irriſio?

BDELYCLEO. Hoc alterum erit, quod literis mandabo, divitiarum tua irriſio. Et commoda mihi memora quæ habes tu, qui Græciæ imperare te dicis.

PHILOCLEO. Etiam puerorum ætas quum examinatur, nobis licet pubem eorum contemplari; & ſi Œagrus in judicium veniat, non ante abſolvitur, quam nobis ex Nioba orationem reciter, optumam quamque eligens. Si autem tibicen cauſam vincat, pro latæ ſententiæ mercede nobis judicibus e foro egredientibus exodium modum tibia canit capiſtratus. Et ſi pater quis moriens filiam, quam unicam relinquat hæredem, teſtamento det alicui nuptum, nos tabulas & concham ſigillo decore impoſitam longum flere jubemus, &

reſcindimus, puellamque damus illi, qui precibus nos ad ſuas partes adduxerit: & iſta quum facimus, immunes ſumus reddendæ rationis: ceterorum autem magiſtratuum nullus.

BDELYCLEO. Honeſta quidem ſunt quæ dixti cetera, ob eaque felicem te prædico: at quod reſcindis teſtamentum de unica hærede, injuſte facis.

PHILOCLEO. Præterea quum Senatus, itemque populus, in cognitione magni alicujus criminis dubius hæret, decreto facto reos ad judices amandant: deinde Euathlus & magnus ille palpator clypeique abjector Cleonymus dicunt ſe non prodituros vos, & pro populari ſtatu pugnaturos. Et apud populum nullius unquam oratoris ſententia valuit, niſi dixerit judicum conſeſſus eſſe dimittendos, quum primum unam litem judicaverint. Ipſe autem Cleo, qui clamore omnia domat, ſolos nos non arrodit; ſed obſervat, manu tenens flabellum, muſcasque a nobis abigit. Tu autem patri tuo nihil iſtorum feciſti unquam. At Theorus, quamvis nequaquam inferior vir ſit Euphemo, ſpongiam habens e pelvi calceos nobis pice illinit. Conſidera autem a quibus me excludis & arces commodis, quæ tu ſervitium eſſe & miniſterium te dicebas probaturum.

BDELYCLEO. Dic uſque ad ſatietatem: nam utique deſiſtes aliquando ab iſto præclaro tuo imperio, & videberis *podex loturam pervincens.*

PHILOCLEO. Sed quod jucundiſſumum eſt omnium iſtorum, cujus oblitus fueram; quum domum redeo, mercedem habens, atque ingredientem ſimul omnes amplectuntur propter argentum; & primo gnata me lavat, & pedes ungit, & me prona deoſculatur, atque me *pappam* vocitans, interea triobolum lingua ſua mihi ex ore expiſcatur: deinde uxorcula mihi ſubblandiens mazam adfert non multum ſubactam, poſtea mihi adſidens me ſic invitat: *Comede iſtud; manduca iſtud.* His ego delector; nec mihi opus erit, ut ad te reſpiciam & ad condum promum, quando prandium adponat, maledicens mihi & murmurans, ne mox aliam mihi pinſat offam. Hæc poſſideo, propugnaculum malorum, munimentumque telis arcendis. Tum ſi mihi

vinum ſitienti non infuderis, *aſinum* hunc adtuli vino plenum: deinde pandus ipſe memet ingurgito: ille autem hians rudit, & contra tuum *turbinem* grande & horrendum pedit. Annon magnum imperium obtineo, nec inferius Jovis regno? qui eadem audio de me dici, quæ Jupiter de ſe. Nam ſi nos tumultuemur, quilibet prætereuntium autumat: *Quam vehementer tonat forum judiciale, ô ſupreme Jupiter!* Et quando fulmino, poppyſmate me adorant, & cacant præ metu divites vel maxume ſuperbi. Et tu me in primis times ipſe, times, inquam, ita me Ceres amet; ego vero peream, ſi te timeo.

CHORUS. Nunquam tam accurate quemquam audivimus, neque tam prudenter verba facere.

PHILOCLEO. Non: verum ille deſertas vineas ſperabat ſe vindemiaturum; probe enim norat me hac arte plurimum valere.

CHORUS. Ut autem omnia perſecutus eſt, & nihil præteriit, adeo ut extollerer quidem auſcultans, & jus dicere in Beatorum inſulis ipſe mihi viderer, dulcedine ejus verborum perfuſus.

PHILOCLEO. Ut iſte jam pandiculatur, & non eſt apud ſe! Efficiam certe, ut tu ſcuticas præ oculis habeas hodie.

CHORUS. Oportet autem te omnigenos nectere dolos, ut elabaris: difficile enim iram meam mollire, ſi quis a me non dicat. Proinde tuum eſt quærere molam bonam recensque cæſam, ſi nihil tale dixeris, quod meam iracundiam frendere poſſiet.

BDELYCLEO. Difficilis equidem eſt labor, cui adhibendum acrius majusque ingenium, quam Comicorum ſit, morbum ſanare civitati ex longo tempore ingenitum. Sed, ô pater noſter Saturno gnate —

PHILOCLEO. Deſine patrem commemorare. Niſi enim cito oſtenderis me ſervire, non eſt, ut mortem effugias, etiamſi oporteat me extis abſtinere.

BDELYCLEO. Auſculta modo, mi patercule, pauliſper exporrecta fronte; atque primo quidem computa levi negotio, non calculis, ſed digitis, tributa univerſa, quæ ab urbibus nobis conferuntur: præterea vectigalia ſeorſum, & multas illas centeſimas, prytanea,

metalla, fora, portus, mercedes, sectiones. Istorum redituum summa est circiter bis mille talenta. Hinc jam pone mercedem annuam judicibus, qui sunt sex mille; non enim plures in hac urbe habitatis: cedunt itaque vobis centum & quinquaginta talenta.

PHILOCLEO. Ne quidem decima pars ergo nobis in mercedem cedit.

BDELYCLEO. Non hercle. Sed quorsum abit reliqua pecunia?

PHILOCLEO. Ad eos qui semper hæc verba in ore habent: *Nunquam prodam Athenienſium colluviem; verum pro Populi libertate pugnabo ſemper.*

BDELYCLEO. Tu enim, ô pater, ipsos tibi adsciscis dominos, speciosis illis dictis deceptus. Deinde isti quinquagenorum talentûm munera ab urbibus extorquent, hujusmodi minis terrorem incutientes: *Aut tributum dabitis, aut ego intonans urbem voſtram evertam.* Tu vero contentus es, si imperi tui rejectanea rodas. Socii autem nostri ut senserunt reliquam turbam e phimo sorbere & comedere res nihili, te quidem habent pro Conni calculo: istis autem adferunt munera, salsamentorum orcas, vinum, tapetes, caseum, mel, sesama, pulvinaria, phialas, lænas, coronas, torques, pocula, opes cum sanitate. Quibus autem tu imperas post multos terra marique exantlatos labores, eorum tibi nemo ne caput quidem allii ad condiendos piscículos dat.

PHILOCLEO. Non hercle: sed ipse tres allii bulbos ab Eucharida qui peteret misi. At odiosus es, istam servitutem omittens, quam mihi demonstraturus eras.

BDELYCLEO. Nonne vero servitus magna est, quum omnes isti magistratus gerentes, & ipsi, & eorum assentatores, mercedes accipiunt: tu vero, si quis tibi tres obolos det, contentus es, quos ipse remigando & terrestribus præliis depugnando, & urbes obsidendo quæsieras multo labore? Et præterea, quod me in primis excruciat, alieno jussu ad forum ire cogeris, quando domum tuam ingressus impudicus adolescentulus, Chæreæ filius, sic divaricatis cruribus stans, lascivo & ad mollitiem composito gestu, tibi edicit,

ut ſummo mane & tempeſtive judicaturus eas, quia quicunque veſtrûm poſt datum ſignum venerit, triobolum non accipiet. Ille vero qui reipublicæ dat operam, pro patrocinio drachmam accipit, etiamſi ad concionem ſerius venerit: deinde alium quemdam eorum, quos in magiſtratu collegas habet, participem facit, ſi quis reorum aliquid dederit: atque ita ambo de compoſito negotium conficere ſtudent: deinde, velut quum ſerra rurſum prorſum ducitur, alter trahit, alter remittit: tu vero hietans quæſtorem reſpicis, & quæ gerantur non animadvertis.

PHILOCLEO. Hæccine mihi faciunt! hei mihi, quid dicis? ut mihi cor profundum moves, facisque ut magis advortam animum, nec ſcio quomodo me adfectum reddas.

BDELYCLEO. Specta igitur, ut, quum tibi & univerſis diteſcere in proclivi ſit, involutus ſis neſcio quibus anguſtiis, ab iſtis, qui populo ſe ſtudere ſimulant ſemper: qui urbibus plurimis imperans inde a Ponto ad Sardiniam uſque, non habes quo fruaris, præter iſtud quod fers mercedis minumum: idque ex lanæ flocculo inſtillant identidem tibi paulatim, ad ſuſtentandam vitam, tanquam pultem. Pauperem enim te eſſe volunt, idque qua gratia velint, dicam tibi; nempe ut cognoſcas tuum nutricium, & quum iſte te inſtigabit & tanquam canem immittet in quempiam inimicorum, ferociter tu illis inſultes. Si enim vellent victum præbere populo, perfacile id eſſet. Sunt enim urbes mille, quæ tributum nobis conferunt: harum ſi unicuique injungeretur, ut viginti viros aleret, viginti millia civium viverent in omnibus deliciis, abundantes carne leporina, coronis omnigenis, coloſtra & decocto lacte, illisque perfruentes, quibus digna eſt patria noſtra, erectumque Marathone tropæum: nunc autem, tanquam olivantes, illum comitamini, qui mercedem diſtribuit.

PHILOCLEO. Hei mihi! quid ita quaſi torpore manus mea perfunditur, & gladium tenere non poſſum, ſed jam molleſco?

BDELYCLEO. At ſi quando ipſi timeant, Eubœam dant vobis, & frumenti promittunt quinquagenos modios ſe præbituros: nihil

autem unquam dederunt, præter quinque modios nuper hordei; & hos vix, peregrinitatis poſtulatus, accepiſti per chœnices ſingulatim admenſos. Ideo incluſum ſemper ego te habui, alere te cupiens, ne iſti irrideant te acerbe. Et nunc certum eſt præbere tibi quidquid voles; tantum quæſtoris lac bibere haud te ſinam.

CHORUS. Utique ſapiens erat, qui dixit: *Priusquam amborum orationem audiveris, ne judica.* Nam tu mihi nunc longe vincere videris. Itaque jam ira laxata ſcipiones abjicio. Sed, ô æqualis & ſodalis noſter, obtempera, orationi obtempera, ne imprudentem te præbe, neque rigidum infractumque. Utinam mihi adfinis aut cognatus fuiſſet aliquis, qui me talia monuiſſet! Tibi autem nunc deorum aliquis manifeſte præſens adjutor eſt in hac re, & palam beneficia in te confert, quæ tu quoque præſens accipe.

BDELYCLEO. Equidem alam ipſum, præbens quæcunque ſeni conveniunt; alicam lingendam, lænam mollem, lodicem, meretricem, quæ penem ei fricet lumbosque. Sed quod tacet, nihilque mutit, id non poteſt mihi placere.

CHORUS. Quid ſibi agendum ſit, ipſe nunc ſecum reputat: jam enim agnoſcit, quantum inſaniebat modo; criminique ſibimet ipſe vertit, quæcunque tu illum hortatus es, ſe iis obſecutum non fuiſſe. Nunc igitur forte tuis dictis paret, & ſapit, mutatis in poſterum moribus, tibique morem gerens.

PHILOCLEO. Hei mihi!

BDELYCLEO. Heus tu, quid mihi clamas?

PHILOCLEO. Ne mihi quicquam iſtorum pollicere. Illa amo: illic ſiem, ubi præco dicit: *Quis ſuffragium nondum tulit? ſurgat.* Atque adſtem urnis judiciariis, ultimus eorum qui calculum in phimum demittunt. Propera, anima mea. Ubi mea eſt anima? ades, ô caliginoſa. Hercules ne ſirit, ut nunc ego inter judices ſedens Cleonem furti reum deprehendam!

BDELYCLEO. Per deos obſecro, mi pater, age obtempera mihi.

PHILOCLEO. Quid obtemperem tibi? dic quidquid voles, præter unum.

BDELYCLEO.

BDELYCLEO. Quodnam id eſt? fac ſciam.

PHILOCLEO. Ut a judiciis abſtineam: illam enim conſuetudinem Orcus adimet mihi prius, quam ego tibi obſequar.

BDELYCLEO. Tu itaque, quandoquidem iſtud libenter facis, illuc quidem ne amplius eas; ſed hic manens, jus dicito familiaribus.

PHILOCLEO. Qua de re? quid nugaris?

BDELYCLEO. Eadem fac, quæ illic fiunt. Quia oſtium clam aperuerit famula, hanc unica multabis multa, quod quidem illic utique factitabas. Et iſta in poſterum facies, ut rationi conſentaneum eſt: quum ortus fuerit calor ſolis mane, judicium exercebis in ſole: ſi vero ningat, aut pluat, ante focum ſedens, cauſas cognoſces: & licet meridie ſurgas, nullus te cancellis excludet Theſmotheta.

PHILOCLEO. Satis hoc mihi placet.

BDELYCLEO. Præterea ſi quis cauſam nimis longa oratione dicat, non exſpectabis eſuriens, te ipſum crucians ſimul & oratorem.

PHILOCLEO. Quomodo ergo potero, ut antidhac, cauſam recte cognoſcere, ſi comedam interim?

BDELYCLEO. Multo quidem melius: etenim hoc vulgo dicitur, *Judices, mentientibus teſtibus, vix rem cognoviſſe ruminando.*

PHILOCLEO. Utique mihi perſuades. Sed illud nondum dicis, mercedem unde ſim accepturus.

BDELYCLEO. A me.

PHILOCLEO. Bene eſt iſtud, quod ſeorſum, non cum alio accipiam. Nam turpiſſime mecum egit nuper Lyſiſtratus ille ſcurra: quum enim accepiſſet drachmam mecum, venit in forum piſcarium & eam ærea moneta permutavit; deinde mihi impoſuit in manum tres ſquamas mugilis, quas ego in os condidi: nam obolos me rebar accepiſſe: deinde offenſus odore eas exſpui, illumque in jus trahere volui.

BDELYCLEO. Is vero quid ad hæc dixit?

PHILOCLEO. Rogas? Galli me aiebat ſtomachum habere; *Itaque facile concoques pecuniam*, inquit.

BDELYCLEO. Vides ergo quantum tibi inde accedet lucri.

PHILOCLEO. Non parum ſane. Sed quod facturus es, face.

BDELYCLEO. Manta modo: ego autem mox adero iſta ferens.

PHILOCLEO. Vide ſis, ut oracula perficiantur. Audiveram enim fore ut Athenienſes aliquando ſinguli jus dicant in ſuis ædibus, & in veſtibulis ædificet ſibi unusquisque forum parvulum oppido, inſtar Hecatæ ſacelli, ubique ante fores.

BDELYCLEO. En: quid jam dices? nam omnia fero, quæcunque dixi, & multo etiam plura. Etenim matula, ſi micturias, iſta juxta te pendebit prope e paxillo.

PHILOCLEO. Scitum certe iſtud, & ſeni utile omnino inveniſti remedium ſtranguriæ.

BDELYCLEO. En & ignis, cui lens adpoſita, ſorbere ſi quid neceſſe fuerit.

PHILOCLEO. Iſtud etiam ſcitum eſt. Nam ſi vel febricitem, mercedem tamen accipiam. Iſtic enim manens lentem ſorbebo. Sed cur hunc ad me extuliſtis gallum?

BDELYCLEO. Ut, ſi dormias, dum aliquis cauſam dicit, iſte cantans deſuper te excitet.

PHILOCLEO. Unum adhuc deſidero: cetera autem placent mihi.

BDELYCLEO. Quidnam?

PHILOCLEO. Simulacrum Lyci herois ſi qua ratione efferas.

BDELYCLEO. Ecce ob oculos adeſt, & ipſus ille eſt heros.

PHILOCLEO. O heros domine, quam terribilis es aſpectu, qualis Cleonymus nobis videtur!

SOSIA. Ergo nec ipſe, tametſi heros eſt, arma habet.

BDELYCLEO. Si ocius ſederes tu, ocius etiam litem ego citarem.

PHILOCLEO. Cita modo: nam ſedeo ego dudum.

BDELYCLEO. Agedum, quamnam ei primum introducam litem? fecitne quid mali quispiam e familia? Thratta ancilla, quæ aduſſit nuper ollam —

PHILOCLEO. Eho tu reprime te; nam parum abeſt, quin me

perdideris. Num ſine cancellis litem citaturus es, qui inter res ſacras primi nobis apparere ſolent?

BDELYCLEO. Edepol non adſunt, ſed curram, & ipſe actutum efferam foras. Quid hoc rei eſt? Quam multum valet, quibus adſueſcas locis!

XANTHIA. Abi in malam rem. Iſtiusnemodi nos canem alere!

BDELYCLEO. Quid rei eſt, ſodes?

XANTHIA. Nonne enim Labes iſte canis in culinam modo irruens abreptum Siculum caſeum comedit?

BDELYCLEO. Hæc itaque noxa patri prima introducenda eſt: tu vero ades & accuſa.

XANTHIA. Non ego hercle: verum alter canis ait ſe accuſaturum, ſiquis introducat actionem.

BDELYCLEO. Agedum adduc eos huc.

XANTHIA. Ita ſane facere oportet.

PHILOCLEO. Hocce quid eſt?

BDELYCLEO. Suile vimineum Laris.

PHILOCLEO. Itane manu ſacrilega ablatum adfers?

BDELYCLEO. Non: ſed a Lare facto initio aliquem conteram.

PHILOCLEO. Sed propera introducere litem: nam ego multam intuor.

BDELYCLEO. Agedum efferam nunc tabulas & ſtylos.

PHILOCLEO. Hei mihi! obtundes me enecabisque tempus terendo: mihi ſat erat ungue ſulcos ducere in tabula.

BDELYCLEO. En accipe.

PHILOCLEO. Cita nunc.

BDELYCLEO. Jam in eo ſum.

PHILOCLEO. Quis iſte eſt primus?

BDELYCLEO. Perii! ut piget oblitum me eſſe urnas judiciarias efferre!

PHILOCLEO. Heus tu, quorſum curris?

BDELYCLEO. Ad quærendas urnas.

PHILOCLEO. Nequaquam, ego enim iſtis cotylis uſurus eram,

BDELYCLEO. Optume ergo: omnia enim adſunt nobis, quibus opus eſt, præter clepſydram.

PHILOCLEO. Hoc vero quid eſt? annon clepſydra?

BDELYCLEO. Lepide excogitas hæc inſtrumenta, & more vernaculo. Sed quamprimum aliquis intus efferat ignem & myrtos & thus, ut vota primum faciamus diis.

CHORUS. Nos etiam in libaminibus & votis verba bona dicemus vobis, quia ex concertatione & jurgio mutuam generoſe reconciliaſtis gratiam.

BDELYCLEO. Linguis nunc primum favete.

CHORUS. O Phœbe Apollo Pythie, hoc negotium, quod machinatur iſte ante fores, da ut proſpere nobis omnibus cedat, ut ab erroribus liberatis. Io Pæan!

BDELYCLEO. O Rex domine, vicine Agyieu veſtibuli mei, nova hæc accipe ſacra, quæ patris mei in gratiam nunc primum comminiſcimur, & mitiga hos ejus nimis auſteros & rigidos mores, pro defruto pauxillum mellis iracundiæ ejus admiſcens, ut jam deinceps fiat hominibus clemens, & reorum magis miſereatur, quam accuſatorum, illisque orantibus illacrumet, & depoſita aſperitate, ab iracundia ſua demat urticam.

CHORUS. Nos ſimul tecum precamur & accinimus tibi, in novo conſtituto magiſtratu, propter ea quæ modo dixiſti. Benevoli enim ſumus tibi, ex quo ſenſimus te populum amare, ut nemo eorum, qui nunc ſunt te juniores.

BDELYCLEO. Siquis Heliææ judicum foris eſt, ingreditor: nam quumprimum cauſidici orare inceperint, non intromittemus amplius.

PHILOCLEO. Quisnam eſt iſte reus? ut condemnabitur!

XANTHIA ut ACCUSATOR. Audite nunc accuſationis libellum. Dicam ſubſcripſit canis Cydathenæenſis Labeti Æxonenſi, quod ſolus contra jus & fas comedit caſeum Siculum: pœna eſto boja ficulnea.

PHILOCLEO. Immo mors canina, ſi ſemel convictus fuerit.

BDELYCLEO. Equidem Labes reus iſte adeſt.

PHILOCLEO. O impurus ille! quam furaciter etiam intuetur! ut dentes reſtringens ſe decepturum me arbitratur! ubi eſt accuſator Cydathenæenſis ille canis?

CANIS. Hau, hau.

BDELYCLEO. Alter iſte rurſus eſt Labes, bonus latrare & ollas lingere.

SOSIA ut PRÆCO. Sile, ſede: tu vero aſcende & accuſa.

PHILOCLEO. Agedum ſimul & ego hancce infundam & ſorbebo.

XANTHIA ut ACCUSATOR. Audiſtis quam dicam ſcripſerim huic, ô judices: etenim indigniſſimum facinus admiſit & in me & in navales ſocios. Nam in angulum ſe proripiens plurimum caſeum deſiciliſſavit, & ſe implevit in tenebris --

PHILOCLEO. Satis hercle facti manifeſtus eſt, ſiquidem mihi peſſimum fœtorem caſei ructavit in faciem modo impuratus iſte.

XANTHIA ut ACCUSATOR. Nec me petentem fecit participem. At vero quis vobis bene facere poterit, niſi quis & mihi cani aliquid projecerit?

PHILOCLEO. Nihil impertivit?

XANTHIA ut ACCUSATOR. Ne mihi quidem, qui conſors ei ſum.

PHILOCLEO. Fervidus enim vir eſt, nec minus ac lens iſta.

BDELYCLEO. Per deos obſecro, mi pater, ne condemnes, priusquam ambos audiveris.

PHILOCLEO. Sed, ô bone, res manifeſta eſt; ipſa enim clamat.

XANTHIA ut ACCUSATOR. Ne ergo dimittite eum, utpote qui multo omnium canum lubentiſſume ſolus vorat, qui circumnavigans mortarium, urbium exedit cruſtam.

PHILOCLEO. Nec mihi adeo ſupereſt, quî rimas obturem urcei.

XANTHIA ut ACCUSATOR. Proinde iſtum caſtigate: nunquam enim poterit una domus duos fures alere: ne in vanum fruſtra latrem ego; ſin minus, deinceps non latrabo.

PHILOCLEO. Hui, hui! quantas ejus commemoravit nequitias!

furax omnino ille homo eſt. Nonne & tibi videtur, galle? næ hercle; adnuit ille quidem. Heus tu Thesmotheta! ubi ille eſt? matulam mihi det.

SOSIA ut THESMOTHETA. Ipſe deme: nam ego teſtes citabo. Labeti teſtes adſunto; catinus, piſtillum, radula, craticula, olla, ceteraque aduſta vaſa. Sed mejisne tu adhuc, nec ſedes?

PHILOCLEO. Nondum: ſed iſtum arbitror cacaturum hodie.

BDELYCLEO. Annon deſines rigidus eſſe & difficilis, idque erga reos, ſemperque eis mordicus inhærebis? Aſcende tu, Labes, & crimen purga. Quid taces? eloquere.

PHILOCLEO. Sed iſte nihil habere videtur, quod dicat.

BDELYCLEO. Habet quidem: ſed idem ei puto accidiſſe, quod olim accidit reo Thucydidi: buccas ſtupore percuſſus obmutuit ſubito. Faceſſe hinc: ego enim cauſam tuam defendam. Difficile quidem eſt, ô viri, crimine invidioſo arceſſiti canis patrocinium ſuſcipere: dicam tamen. Bonus enim eſt & lupos fugat.

PHILOCLEO. Immo fur iſte quidem & conjuratus.

BDELYCLEO. Neutiquam hercle: ſed natum quantum eſt canum optumus eſt, quique poſſit præeſſe magno pecori.

PHILOCLEO. At vero quid prodeſt, ſi caſeum comedit?

BDELYCLEO. Nempe pro te pugnat, & cuſtodit januam, ceteraque optumus eſt: ſi autem quidpiam ſurripuit, condona eum; citharam enim pulſare neſcit.

PHILOCLEO. Vellem equidem, ut nec literas ſciret, ut ne patrato ſcelere orationem conſcripſiſſet.

BDELYCLEO. Audi, ô bone, meos teſtes. Aſcende tu, radula, & dic alta voce: tu enim tunc quæſturam exercebas: reſponde clare: nonne comminuiſti militibus dividenda quæ acceperas? Ait ſe comminuiſſe.

PHILOCLEO. Sed mehercle mentitur.

BDELYCLEO. O bone, miſerere afflictorum. Iſte enim Labes & capita piſcium edit & ſpinas: nec unquam in eodem loco manet. Alter vero ille nihil aliud ſcit quam domum cuſtodire: quippe

manens ibi ſemper, quæcunque quis inferat, eorum partem ſibi flagitat: ſi quis vero non det, mordet eum illico.

PHILOCLEO. Au! quidnam eſt mali, quo molleſco? malum quoddam evenit mihi, & perſuadeor.

BDELYCLEO. Age, mi pater, obſecro, miſereſcite ejus, & nolite perdere. Ubi ſunt liberi? aſcendite, ô miſeri, & gannitu orate, obſecrate, & lacrimate.

PHILOCLEO. Deſcende, deſcende, deſcende, deſcende.

BDELYCLEO. Deſcendam: & quamvis iſtud *deſcende* complures jam deceperit, deſcendam tamen.

PHILOCLEO. Abi in malam rem. Ut nocet ſorbuiſſe! Ecce enim illacrimavi ego, quod, animo quidem meo, haud feciſſem unquam, niſi impleſſem me lente.

BDELYCLEO. Nonne ergo abſolvetur?

PHILOCLEO. Difficile ſcitu.

BDELYCLEO. Age, mi patercule, ad meliora convertere. Hoc ſumto calculo, ad poſteriorem urnam connivens tranſili, & eum abſolve, ô pater.

PHILOCLEO. Minume: nam citharam pulſare neſcio.

BDELYCLEO. Agedum, hac te celeriter circumducam.

PHILOCLEO. Eſtne hæc prior urna?

BDELYCLEO. Hæcce.

PHILOCLEO. Huc demiſſus eſto hicce calculus.

BDELYCLEO. Deceptus eſt, & abſolvit imprudens.

PHILOCLEO. Age effundam calculos humi: nam qua fortuna certavimus?

BDELYCLEO. Res ipſa videtur oſtenſura. Abſolutus es, ô Labes. Pater, pater, quid tibi accidit?

PHILOCLEO. Hei mihi! ubi eſt aqua?

BDELYCLEO. Erige, erige te ipſum.

PHILOCLEO. Illud dic mihi: reverane abſolutus eſt?

BDELYCLEO. Ita hercle.

PHILOCLEO. Nullus ego ſum.

BDELYCLEO. Ne ſis ſollicitus, ô bone; ſed ſurge.

PHILOCLEO. Quomodo ergo id ego mihi conſcire potero, hominem reum meo calculo fuiſſe abſolutum? quid me nunc denique fiet? ſed, ô dii ſancti, ignoſcite mihi: invitus enim id feci, & non eſt moris mei.

BDELYCLEO. Ne feras id ægre; ego enim te, ô pater, ſplendide alam, ducens mecum quocunque, ad cœnam, ad convivium, ad ſpectacula, ut reliquum vitæ tempus degas jucunde: neque te irridebit Hyperbolus, os tibi ſublinens offuciis. Sed ingrediamur.

PHILOCLEO. Id nunc fiat, ſi videtur.

CHORUS. Sed ite vos læti, quo voltis, celeriter. At, ô innumerabiles catervæ, nunc quæ recte dicentur, ne decidant humi in vanum, cavete? nam inſcitorum eſt ſpectatorum id committere, & non voſtrûm.

Nunc vero advortite animum, ô populi, ſi vera nec fucata loquentem amatis: nam incuſare ſpectatores poëtæ nunc lubido eſt: ait enim vos in ſe injurios eſſe, de quibus prior ſæpe bene meritus eſt, partim non aperte, ſed clam adjutans alios poëtas, quum Eurycłis divinationem & mentem imitatus, in alienos ingreſſus ventres, comicas multas fudit fabulas: partim vero aperte poſtea, quum ipſemet auſus eſt periculum ſubire, non alienarum, ſed ſuarum ipſius Muſarum ora moderans. Quum autem tantis honoribus elatus fuiſſet, quantis neminem mactaviſtis unquam, negat credidiſſe ſe ſummum attigiſſe faſtigium, aut tumidos ſpiritus ſumſiſſe, & palæſtras comiſſabundum circuiſſe ut tentaret pueros; & ſi quis amator ad ſe properaret, indigne ferens perſtringi amaſium ſuum, negat ſe ulli unquam morem geſſiſſe, conſilio uſus honeſto, ne videlicet Muſas, quibuscum conſueſcit, lenas redderet. Et quando primum docere cœpit, negat ſe homines aggreſſum fuiſſe; ſed herculeo impetu maxuma monſtra adortum ſe ait, quum ſtatim ab initio audacter congreſſus eſt cum illa immani rictu horrenda belua, cujus ab oculis terribiles Cynnæ radii micabant, centumque capita aſſentatorum perdiriſſumorum circumlambebant ei caput: vocem autem habebat

gurgitis perniciem enixi, odorem phocæ, illotos Lamiæ coleos, culum cameli. Hujusmodi monſtrum quum conſpicatus eſſet, negat ſe timuiſſe, & muneribus id placaviſſe: verum etiamnum pro vobis pugnat, aitque ſe præter iſtud monſtrum incubos & febres aggreſſum ſuperiore anno, qui patres ſtrangulabant noctu, & avos ſuffocabant, & in cubilibus incubantes, quicunque veſtrûm lites odere, litium conteſtationes, & citationes, & teſtimonia illis conglutinabant, ita ut perterriti multi ad Polemarchum ſe proriperent. Talem malorum depulſorem, hujusce purgatorem regionis, quum inveneritis, tamen anno ſuperiore prodidiſtis, ſerentem ſententias grata novitate commendabiles, quas, quia non recte intellexeratis, incrementum capere non ſiviſtis: quamvis per Bacchum inter libamina ſæpe adjuret, nunquam meliores iſtis verſus comicos quemquam audiviſſe. Vobis quidem turpe eſt non ſtatim illorum præſtantiam cognoviſſe: ſed poëta nihilo deterior apud ſapientes habetur, ſi poſtquam adverſarios prætervectus eſt, ſpem victoriæ confregit. At in poſterum, ô boni, poëtarum illos, qui ſtudebunt aliquid novi dicere & invenire, magis amate & colite, atque eorum ſententias ſervate & recondite in arcas cum pomis. Hæc ſi facietis, toto anno vobis veſtes redolebunt dexteritatem.

SEMICHORUS. O nos olim fortes in choris, fortes in præliis, ob idque ſolum viri pugnaciſſumi! Olim hæc erant, olim: nunc autem perierunt, & cycno jam candidiores effloreſcunt hi nobis capilli. Sed ex iſtis etiam reliquiis oportet robur adſumere juvenile. Ego meum ſenium præſtantius eſſe puto multorum aduleſcentum cincinnis & ornatu & impudicitia.

CHORUS. Si quis voſtrûm, ſpectatores, conſpecta mea perſona, miretur, quum videat medium me gracilem eſſe factum in modum veſpæ, aut quæ mens ſit hujus mei aculei, facile hunc ego docebo, ſi vel indoctus fuerit antea. Nos, quibus aculeatus eſt podex, Attici ſumus, vera & ſincera nobilitate ſoli inſignes, indigenæ; fortiſſumum genus, quodque hanc rempublicam ſæpius adjuvit in præliis; quando venit Barbarus, fumo premens incendiisque vaſtans univerſam

regionem, cupidine incitatus favos noſtros vi eximendi. Nam confeſtim facta excurſione cum haſta & clypeo, pugnam ipſis conſeruimus, ira proluti acri, vir juxta virum ſtans, præ iracundia mordens ſibi labra: tela volantia cœlumque diemque ex oculis eripiebant: ſed tamen in fugam compulimus eos circa veſperam, diis opem ferentibus: noctua enim ante conflictum transvolarat noſtrum exercitum. Deinde fugientes inſecuti ſumus, tanquam thynnos pungentes eos in braccas: illi autem fugiebant, genæque & ſupercilia ipſis interea pungebantur, ita ut apud Barbaros ubique etiamnum nihil Attico crabrone perhibeatur fortius.

SEMICHORUS. Utique acer tum eram, quippe qui nihil prorſus timerem: & ſane delevi perduelles, navigans illuc triremibus. Non enim tunc curabamus, quomodo ſcite orationem diceremus, vel calumniaremur aliquem: ſed laudis illius erat inter nos æmulatio, quis optumus clueret remex. Itaque quum multas ceperimus urbes, virtuti noſtræ id maxume debetur, quod huc ferantur tributa, quæ depeculantur juniores.

CHORUS. Si nos contemplemini diligentius, ad omnia invenietis nos conſimiles crabronibus, tum vivendi ratione, tum etiam moribus. Primo enim nullum animal, ſi irritetur, nobis magis eſt iracundum, neque truculentius. Deinde & cetera omnia cum crabronibus molimur. Nam per examina collecti, tanquam in diverſa alvearia migrantes, partim apud Archontem, partim apud Undecimviros, partim in Odeo jus dicimus: alii etiam juxta mœnia ſtipati arcte, in terram capite demiſſo, vix moventes ſe ipſos, tanquam vermes in cellulis. Ad reliqua etiam vitæ neceſſaria inveniunda ingenio ſumus promtiſſumo. Nam quemlibet pungimus, victumque inde nobis paramus. Sed enim fuci quidam inter nos ſedent carentes aculeo, qui exſpectantes tributi noſtri fructum comedunt otioſi. Hoc autem eſt moleſtiſſumum nobis, ſi quis non militans aufert mercedem noſtram, licet pro ſalute hujus urbis nec remum, nec haſtam, nec puſtulam ceperit. Sed rem in pauca conferam; cenſeo ut deinceps quicunque civium non habuerit aculeum, is ne triobolum accipiat.

PHILOCLEO, BDELYCLEO, CHORUS.

PHILOCLEO. Nunquam profecto pallium hoc vivus exuam, quod quidem solum mihi in acie saluti fuit, quum vehemens ille Boreas ingruit.

BDELYCLEO. Nihil boni, ut videtur, cupis evenire tibi.

PHILOCLEO. Haudquaquam enim hercle mihi expedit pretiosam vestem gestare. Nam & nuper, quum me piscículis oppleſſem, maculatam vestem fulloni purgandam detuli, cui debitam mercedem triobolum solvi.

BDELYCLEO. Saltem periculum fiat, quandoquidem mihi te ipsum semel dedidisti, ut tibi benefaciam.

PHILOCLEO. Quid ergo jubes me facere?

BDELYCLEO. Missum hoc pallium face, & hancce lænam conjice in collum instar pallii.

PHILOCLEO. Ergone filios generare & educare oportet, quum iste me nunc suffocare volt?

BDELYCLEO. Hem, hanc cape & injice tibi, & ne loquere.

PHILOCLEO. Per deos obsecro, quid hoc mali est?

BDELYCLEO. Alii vocant Persida, alii Gaunacum.

PHILOCLEO. At ego lodicem esse putabam Thymœtidem.

BDELYCLEO. Nec mirum id quidem: nam Sardes nunquam adiisti. Alioquin enim nosses; nunc autem ignoras.

PHILOCLEO. Egone? non hercle, non, inquam. Sed mihi quidem videtur persimilis esse Morychi villoso sago.

BDELYCLEO. Minume: sed Ecbatanis ista texuntur.

PHILOCLEO. An Ecbatanis fiunt tramæ flocci?

BDELYCLEO. Nequaquam, ô bone; sed hoc a Barbaris texitur magno sumtu, siquidem hæc læna facile talentum absorpsit lanæ.

PHILOCLEO. Nonne ergo *Laniperdam* hanc oportebat appellare potius, quam Gaunacum?

BDELYCLEO. Mane ſis, ô bone, & conſiſte, dum indueris.

PHILOCLEO. Hei mihi miſero! quantum calorem impurata hæc in me eructavit!

BDELYCLEO. Nonne amicieris?

PHILOCLEO. Non equidem hercle: ſed, ô bone, ſi neceſſe eſt, clibanum induite mihi.

BDELYCLEO. Age ſis, ipſe ergo te amiciam: tu perge modo.

PHILOCLEO. Porro huc etiam depone fuſcinam.

BDELYCLEO. Quid ita?

PHILOCLEO. Ut me eximas, prius quam liquefiam & diffluam.

BDELYCLEO. Age nunc exue illos deteſtabiles calceos, & propere indue Laconicas has baxeas.

PHILOCLEO. Egone ut ſuſtineam induere unquam ab hoſtibus conſuta infeſta calceamenta?

BDELYCLEO. Pedem immitte, ô bone, propere, deinde innitere fortiter, in Laconicam.

PHILOCLEO. Injuriam tu quidem mihi facis, qui in hoſtile ſolum me cogis deferre pedem.

BDELYCLEO. Immitte nunc & alterum pedem.

PHILOCLEO. Minume vero iſtum: nam unus digitorum ejus Laconas odit quam maxume.

BDELYCLEO. Aliter fieri nequit.

PHILOCLEO. Infelix ego, qui in ſenectute pernionem non habebo!

BDELYCLEO. Propera induere: deinde more divitum ſic incede cum molli & delicato motu corporis.

PHILOCLEO. En; ſpecta jam habitum meum, & conſidera cui potiſſumum ex divitibus ſum inceſſu ſimilis.

BDELYCLEO. Cuinam? furunculo, cui impoſitum ex alliis emplaſtrum.

PHILOCLEO. Et profecto jam mihi lubido eſt clunem motitare,

BDELYCLEO. Agedum, ſciesne graves & præclaros ſermones exſequi coram viris doctis & lepidis?

PHILOCLEO. Equidem.

BDELYCLEO. Quoſnam ergo proferres?

PHILOCLEO. Permultos. Primum quidem ut Lamia capta pedederit. Deinde ut Cardopio matrem ſuam —

BDELYCLEO. Ne mihi narra fabulas: ſed de rebus humanis ſermones perhibe, quales maxume domi ſolemus.

PHILOCLEO. Jam igitur ego novi eorum, qui maxume ſunt domeſtici, iſtum: *Olim mus erat & muſtela* —

BDELYCLEO. *O ſtolide & indocte*, inquit Theogenes ſtercorario, idque eum objurgans. De muribus & muſtelis vis narrare inter viros?

PHILOCLEO. De quibus ergo narrare me oportet?

BDELYCLEO. De rebus ſplendidis. Ut ſacram legationem obieris una cum Androcle & Cliſthene.

PHILOCLEO. At ego nullibi ludos ſpectavi, niſi in Paro, idque duobus obolis pro mercede ſolutis.

BDELYCLEO. Ergo oportet ſaltem te dicere, ut illico pancratio certaverit Ephudion cum Aſconda præclare, ſenex jam & canus, qui tamen haberet latus robuſtum, & manus, & ilia, thoracemque firmiſſimum.

PHILOCLEO. Ohe, deſine; nihil dicis. Quî enim pancratio certaret thorace indutus?

BDELYCLEO. Hunc in modum confabulari ſolent ſapientes. Sed aliud quid dic mihi. Si apud hoſpites biberes, qualenam velles tuum ipſius memorare facinus fortiſſumum in juventute patratum?

PHILOCLEO. Illud, illud quidem meorum eſt fortiſſumum, quum Ergaſionis ridicas furatus ſum.

BDELYCLEO. Enecas: quas tu, malum, narras ridicas? Quin potius? ut aprum olim ſectatus fueris aut leporem? vel ut lampadem ferens cucurreris? excogitato facinore aliquo, quod juvenilem audaciam ſpiret quam maxume.

PHILOCLEO. Ergo equidem novi audaciſſumum hoc, quum Phayllum curſorem, adhuc catulaſter, perſecutus ſum judicio, & vici duobus calculis ob maledicta accuſatum.

BDELYCLEO. Deſine, & huc potius accumbe, ut diſcas quomodo te in conviviis & converſationibus gerere debeas.

PHILOCLEO. Quomodo ergo accumbam? dic propere.

BDELYCLEO. Compoſite & decore.

PHILOCLEO. Siccine me jubes accumbere?

BDELYCLEO. Nequaquam.

PHILOCLEO. Quomodo ergo?

BDELYCLEO. Genua extende, &, ut palæſtræ peritum decet, flexiles artus molliter defunde in ſtragulis: deinde lauda ex adpoſitis æreis vaſis quidpiam; lacunar contemplare; aulæ crepitacula mirare. Afferatur aqua manibus. Menſæ ferantur intro. Cœnamus. Jam loti ſumus. Libamus --

PHILOCLEO. Per deos obſecro, num epulamur inſomnium?

BDELYCLEO. Tibicina inflavit tibias. Convivæ autem ſunt Theorus, Æſchines, Phanus, Cleo, hoſpes alius neſcio quis ad caput Aceſtoris. Tu una cum iſtis es; proinde vide, ut ſcolia ſcite excipias.

PHILOCLEO. Itane? ut nullus Diacriorum.

BDELYCLEO. Hem, faciam periculum: etenim jam ſum ego Cleo. Incino autem prior Harmodium: tu vero excipies. *Nullus unquam vir fuit Athenienſis* --

PHILOCLEO. *Non ſane fur verſutior.*

BDELYCLEO. Hoccine tu canis? peribis. Magno enim cum clamore minitabitur ſe perditurum te, & interemturum, atque ex hac regione expulſurum.

PHILOCLEO. At ego, ſiquidem minabitur, aliud hercle occinam: *Heus tu, homo! tibi dico, furioſe & præpotens, evertes adhuc hanc civitatem? illa autem jam labat, mox ruinam datura.*

BDELYCLEO. Quid vero? ſi Theorus ad pedes tuos accumbens canat, prehenſa Cleonis dextra: *Admeti hiſtoriam, ô amice, doctus, viros bonos ama.* Quid illi referes ſcolion?

PHILOCLEO. Equidem canore & muſice referam ad hunc modum: *Non licet vulpinari, nec ambobus fieri amicum.*

BDELYCLEO. Poſt illum Æſchines Selli filius excipiet ſcolion, vir ſapiens & muſicus, ſicque incinet: *Pecunias & opes Clitagoræque & mihi cum Theſſalis* --

PHILOCLEO. *Multas ſane diſſipaſti tu atque etiam ego.*

BDELYCLEO. Iſta quidem probe tu calles. Sed jam tempus eſt, ut cœnaturi eamus ad Philoctemonem. Heus puer Chruſe, cœnam compone in ciſtam nobis, ut aliquantiſper inebriemur.

PHILOCLEO. Nequaquam. Noxium eſt potare: etenim oriuntur ex vino januarum effractiones, verbera, lapidum ictus; deinde quum quis crapulam edormivit, præſenti pecunia multam pendere oportet.

BDELYCLEO. Non, ſi apud viros honeſtos & bonos fueris. Aut enim veniam petunt ab eo quem offenderis; aut ipſe fabulam aliquam facetam narras, Æſopicam ridiculam, aut Sybariticam, ex illis quas audieras in convivio: deinde rem in riſum deducis, ita ut ille abeat, miſſum te faciens.

PHILOCLEO. Operæ pretium eſt igitur, ut fabulas multas addiſcam, ſiquidem hoc pacto pœnas non luam, ubi mali quidpiam patravero. Ageſis eamus: nil nobis objiciat moram.

CHORUS. Sæpe mihi viſus ſum urbanus & lepidus eſſe, nunquam ineptus & inſcitus. Sed multo magis ſtolidus mihi viſus eſt Amynias Selli filius, de Crobyli proſapia, ille, quem ego aliquando vidi pro pomo & malo punico cœnare cum Leogora: eſurit enim ſicut & Antipho. Sed enim Pharſalum abiit legatus: deinde ibi ſolus cum ſolis Theſſalorum Peneſtis una erat, ipſe peneſta quum ſit non minus ac quivis alius.

SEMICHORUS. O felix Automenes, quam te beatum prædicamus! filios genuiſti ſolertiſſumos artifices; primum quidem omnibus gratum, virumque maxume catum, illum, inquam, fidibus canere doctiſſumum, quem venuſtas comitabatur: alterum hiſtrionem, difficile dictu quam ſcitum! porro Ariphradem multo ingenioſiſſumum; quem aliquando jurabat pater nullo magiſtro uſum, ſed ſuopte inge-

nio per ſe didiciſſe lingua patrare, lupanaria intrantem identidem.

SEMICHORUS. Sunt, qui me dixerunt in gratiam rediiſſe cum Cleone. Quum is me nonnihil turbaret urgens, & me probris proſcinderet, demumque quum vapularem, qui foris erant, deridebant me valde vociferantem, ſpectabantque, non quod illos aliqua mei tangeret cura, ſed tantum ut viderent, an aliquando preſſus dicterium aliquod emiſſurus eſſem. Quod ego quum perſentiſcerem, ſubblandiri paululum cœpi. Proinde nunc, aiunt, *Ridica deluſit vitem.*

XANTHIA,

XANTHIA, CHORUS, PHILOCLEO, BDELYCLEO, MULIER PANARIA, ACCUSATOR.

XANTHIA. O beatas vos teſtudines ob veſtram cutem, & ter beatas, præut eſt illa laterum meorum cutis! quam bene & provide tergum veſtrum teſta obtexiſtis, quæ plagas illæſa tolerat: at ego perii, quum tergum meum baculo inſcribitur.

CHORUS. Quid eſt, ô puer? nam puerum, tametſi eſt ſenex, eum vocare par eſt, qui plagas acceperit,

XANTHIA. Annon ergo ille ſenex malum erat atrociſſumum, & convivarum multo petulantiſſumus? Etſi adeſſent Hippylus, Antipho, Lyco, Lyſiſtratus, Theophraſtus, Phrynichus, horum tamen ille omnium longe erat injurioſiſſumus. Quum enim ſe primum implevit multis deliciis, occepit ſaltare, tripudiare, pedere, ridere, ut aſellus hordeo ſaturatus, & me verberavit probe, *Puer, Puer*, compellans. Deinde ut ipſum vidit Lyſiſtratus, increpuit eum, hac uſus ſimilitudine: *Similis es, ô ſenex, fæci recens ditatæ, & viatori qui aufugit in paleas.* At ille ſublato clamore ipſum contra ſimilem eſſe dixit *locuſtæ, quæ floccos amiſit palli, & Sthenelo ſupellectile ſpoliato.* Illi vero plauſum excitarunt, excepto Theophraſto ſolo, qui labra diſtorquebat, utpote vir ſcitus & elegans. Tum ſenex Theophraſtum percontari ſic infit: *Dic mihi, quare ſuperbis, venuſtusque & lepidus haberi vis, qui ſcurriliter divitibus ſubpalparis ſemper?* Hujusmodi contumeliis ſingulos inſectabatur, cavillans ruſtice, prætereaque fabulas narrans ineptiſſume, nihil ad rem facientes. Deinde poſtquam inebriatus eſt, domum venit, verberans omnes, quicunque illi fieret obviam. Et eccum jam titubans accedit; ſed faceſſam hinc, priusquam plagas accipiam.

PHILOCLEO. Desinite, concedite. Plorabit aliquis eorum, qui pone me sequuntur. Vah! ut vos, nisi facessitis, ô improbi, hac teda torrefaciam!

BDELYCLEO. Profecto tu dabis cras pro istis pœnas nobis omnibus, etsi valde juveniliter audax es. Nam una omnes veniemus, te in jus vocaturi.

PHILOCLEO. Hui, hui, *vocaturi!* Obsoleta hæc vestra sunt. Num etiam scitis, me ne nomen quidem litium patienter audire? Io, io! ista mihi placent: abjice camos judiciarios. Nonne vero abibitis? ubi est judex Heliasticus? in malam crucem abeat. Ascende huc, aureola melolonthe, fune hoc manu prehenso: firmiter eum tene; sed cave: nam putris est funis ille: attamen fricari gaudet. Vide autem quam te callide subduxerim, convivis jam ore morigeraturam: quamobrem huic peni gratiam refer. Sed non referes, nec opus aggrediere, sat scio: verum decipies & huic peni irridebis cum magno cachinno: nam & aliis multis idem factitasti. At si nunc facilem te benignamque præbeas, ego te, ubi gnatus meus mortuus fuerit, redemtam ex lupanari habebo pro pellice, ô cunne mi. Nunc autem meorum ipsius bonorum non sum dominus: sum enim juvenis & magna cura custodior. Adservat enim me filiolus meus, & est morosus, ceteraque scrupulosus & sordidus cumini sector & nasturti scalptor. Proinde mihi timet, ne corrumpar; nam præter me pater ei nullus est. Sed eccum illum, advorsum te & me celerem videtur conferre gradum. Sed quamprimum consiste, his tedis sumtis, ut eum juveniliter ludos faciam, haud secus ac ille me olim, antequam initiarer.

BDELYCLEO. Heus tu, decrepite, & cannitriba, desideras & videris amare formosam sandapilam. At ita me Apollo amet, ut tu istuc haud inultum feres.

PHILOCLEO. Quam lubenter comederes ex aceto litem!

BDELYCLEO. Nonne indignum est mihi illudere te, qui tibicinam convivis clam abduxisti?

PHILOCLEO. Quamnam tibicinam? quid ita ineptis, tanquam a tumulo delapsus?

BDELYCLEO. Pol eccam, opinor, ipsam, quæ tibi adstat Dardanis.

PHILOCLEO. Non: verum in foro teda diis uritur.

BDELYCLEO. Hæccine teda?

PHILOCLEO. Teda utique. Nonne vides variegatam?

BDELYCLEO. Quid vero nigrum hocce est ejus in medio?

PHILOCLEO. Pix nimirum ex ipsa ardente exsudat.

BDELYCLEO. Sed iste nonne podex est a tergo?

PHILOCLEO. Immo tedæ ramus hic eminet.

BDELYCLEO. Quid ais tu? quis ramus? tu vero nonne huc ibis?

PHILOCLEO. Ohe, ohe! quid facere cogitas?

BDELYCLEO. Hanc abducere ademtam tibi, ut qui te putem rancidum senem esse & nil potesse.

PHILOCLEO. Operam mihi da modo. Etenim ludos Olympicos quum spectarem ego, Ephudion pugnavit cum Asconda egregie, senex jam: deinde pugno feriens prostravit juniorem. Proinde cave, ne suffusis cruore oculis sugillatisque abeas.

BDELYCLEO. Næ hercle Olympiam probe didicisti.

PANARIA. Age, per deos obsecro, assiste mihi. Iste enim homo est, qui me perdidit, teda pulsando, & excussit hinc panes decem singulos unius oboli, & alios quatuor sarcinæ impositos.

BDELYCLEO. Viden', quid feceris denuo? etiam lites paratæ sunt nobis propter tuam temulentiam.

PHILOCLEO. Minume, siquidem hæc component facetæ fabulæ. Quippe scio me huic reconciliatum iri.

PANARIA. Ita me sospitent Ceres & Proserpina, ut tu non impune illuseris Myrtiæ Ancylionis filiæ & Sostratæ, qui sic meas merces perditum iveris.

PHILOCLEO. Ausculta, mulier; fabulam tibi volo narrare lepidam.

PANARIA. Ne mihi quidem ecastor, ô fatue.

PHILOCLEO. Æsopum a cœna redeuntem vesperi audax & temulenta quædam adlatravit canis. Tum ille dixit: *O canis, canis, utique hercle, si pro mala lingua alicunde triticum emeres, sapere mihi videreris.*

PANARIA. Etiam derides me? In jus te voco, quisquis es, ad Ædiles, ob datum mercibus meis damnum, testem habens Chærephontem istum.

PHILOCLEO. Quin hercle potius auscultas, si quid tibi dicere videbor? Lasus olim & Simonides carmine certabant: tum dixit Lasus; *Nihil moror.*

PANARIA. Eho, siccine vero?

PHILOCLEO. At tu, Chærephon, testis adesse mihi videris mulieri buxeæ, Inoni pendenti ad pedes Euripidis.

BDELYCLEO. Sed eccum alium virum, qui, ut videtur, huc venit te citaturus: viatorem utique secum ducit.

ACCUSATOR. O me infelicem! Postulo te, ô senex injuriarum.

BDELYCLEO. Injuriarum? ne, per deos obsecro, ne cites eum: ego enim pro illo pœnam tibi persolvam, quamcunque statueris, & gratiam insuper habebo.

PHILOCLEO. Equidem cum ipso in gratiam redibo ultro. Fateor enim eum a me verberatum, & lapidibus impetitum fuisse. Sed accede huc prius: permittisne meo arbitrio, ut quanti injuriam æstimavero, tantum tibi argenti pendam, & amicus deinceps tuus sim, an ipse indicabis, quantum tibi dari velis?

ACCUSATOR. Dic tu modo; nam lites fugito, otiumque sector.

PHILOCLEO. Sybarita quidam de curru deciderat, & grave vulnus acceperat capite; etenim peritus non erat equestris rei: tum quidam ex amicis superveniens dixit ei: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* Sic tu quoque curre ad Pittalum.

BDELYCLEO. Similia hæc etiam sunt reliquis tuis moribus.

ACCUSATOR. Saltem tu memento quem ad modum ille respondit.

PHILOCLEO. Audi, ne fuge. In Sybari mulier olim fregerat echinum --

ACCUSATOR. Hujus etiam dicti teſtem te eſſe volo.

PHILOCLEO. Echinus ille vero teſte quodam adhibito in jus vocabat mulierem Sybaritidem; tum illa dixit: *Ita me Proſerpina amet, ſi omiſſa hac conteſtatione, celeriter faſciam emiſſes, ſaperes magis.*

ACCUSATOR. Illude, uſquedum Archon litem hanc introduci jubeat.

BDELYCLEO. Ita me Ceres amet, ut tu non amplius hîc manebis: ſed ſublimem medium ego te arreptum —

PHILOCLEO. Quid agis?

BDELYCLEO. Quid agam? fero te hinc intro. Sin minus, teſtes deficient illos tam multos qui te in jus vocaturi ſunt.

PHILOCLEO. Æſopum quondam cives Delphici —

BDELYCLEO. *Nihil moror.*

PHILOCLEO. Furatum eſſe phialam inſimulabant Apollinis: at ille narravit eis, ut olim ſcarabæus —

BDELYCLEO. Vah! enecas me cum tuis ſcarabæis.

CHORUS. Laudo fortunas tuas, ô ſenex. En quo pervenit ex arida illa & aſpera vivendi ratione! alia jam pro illis edoctus, utique deliciis mollitieque indulgebit plurimum. Sed forte nolet: nam recedere difficile eſt ab ingenio, quo ſemper quis fuit: quamvis multis id accidit, ut aliorum conſiliis utentes mutaverint mores. Multam vero laudem, meo ſapientumque judicio, reportabit ob ſuam erga patrem pietatem, & ſolertiam, Philocleonis gnatus. In nullum enim tam comem incidi, nec ullius mores ita deamavi, nec unquam tam effuſe lætatus ſum. Quid enim ille advorſum patrem dixit, in quo non vicerit, cupiens parentes honeſtioribus ornare ſtudiis?

XANTHIA, PHILOCLEO, BDELYCLEO, CHORUS.

XANTHIA. Res turbidas & intricatas, ita me Bacchus amet, in ædes noſtras aliquis deus invexit. Senex enim noſter, ut diu multumque potavit, tibiamque audiit, lætitia perfuſus, totam noctem ſaltationes illas antiquas continuat, quibus certavit Theſpis in choris, ſeque ait mox ſaltando oſtenſurum, Tragicos, qui nunc ſunt, fatuos & inſulſos eſſe.

PHILOCLEO. Quis veſtibuli ſedet in foribus?

XANTHIA. Hoc malum jam procedit.

PHILOCLEO. Clauſtra laxentur iſta: namque jam initur ſaltationis exordium --

(XANTHIA. Quin potius forte furoris exordium.)

PHILOCLEO. Quæ latera magna vi torquet. En ut naris mugit, & vertebra ſonat!

XANTHIA. Bibe helleborum.

PHILOCLEO. Ferit Phrynichus, ut gallus --

(XANTHIA. Ni caveam, calcibus me feries.)

PHILOCLEO. Vibratis in altum calcibus micans: hiat podex.

XANTHIA. Quo in loco te moveas vide.

PHILOCLEO. Nunc enim in noſtris artubus vertitur laxum acetabulum.

BDELYCLEO. Nihil hercle boni, nil profecto; ſed furor hic quidem eſt.

PHILOCLEO. Age nunc edicam & provocem, qui mecum certent. Si quis tragœdus autumat ſe ſcite ſaltare, huc accedat mecum decertaturus ſaltatione. Ait quis, an nemo?

BDELYCLEO. Unus iſte ſolus.

PHILOCLEO. Quis ille eſt infelix?

BDELYCLEO. Filius Carcini medius.

PHILOCLEO. At iſte abſorbebitur: nam ipſum perimam impactis in numerum pugnis: eſt enim rhythmi prorſus imperitus.

BDELYCLEO. Sed, ô miſer, alius tragœdus Carcinita venit, illius frater.

PHILOCLEO. Edepol ergo obſonatus ſum.

BDELYCLEO. Nihil hercle aliud, quam carcinos: nam accedit alius etiam filiorum Carcini.

PHILOCLEO. Quid hoc rei eſt, quod adrepit? acetabulumne an araneus?

BDELYCLEO. Pinnoteres iſte eſt in hac familia, minumus natu, qui tragœdiam facit.

PHILOCLEO. O Carcine, ô felix liberorum prole! quanta multitudo decidit orchilorum! Sed in certamen contra eos deſcendendum eſt, ô miſer. Muriam miſce iſtis, ſi vicero.

CHORUS. Agedum nos omnes paulum concedamus illis, ut libere ante nos turbinis inſtar verſent ſe ipſos.

SEMICHORUS. Agite, ô celeberrimi filii patris marini, ſaltate juxta arenam & litus maris ſterilis, ſquillarum fratres. Velocem pedem agitate in orbem, & in morem Phrynichi calces quis vibret, ut videntes crura ſurſum jactata, cum admiratione exclament ſpectatores.

SEMICHORUS. Verſa te ipſum, duc gyros, ventrem tuum feri, jacta crus ſublime, turbines fiant. Etenim ipſe quoque adſerpit pater iſtorum, regnator maris, lætus filiis ſuis, tribus ſaltatoribus bene peculiatis. Sed, ſi libenter ſaltatis, educite nos quamprimum foras: hoc enim antehac nemo periclitatus eſt, ſaltantem ut dimitteret comicorum chorum.

FINIS VESPARUM.

ARISTOPHANIS
COMŒDIÆ

IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ.

TOMUS III.

ARGENTORATI
Apud Socios Bibliopolas BAUER & TREUTTEL.
MDCCLXXXI.

ARISTOPHANIS
EQUITES.

DRAMATIS PERSONÆ.

DEMOSTHENES.

NICIAS.

ISICIARIUS cui nomen AGORACRITUS.

CLEO.

CHORUS EQUITUM.

DEMUS.

DEMOSTHENES, NICIAS, ISICIARIUS, CLEO, CHORUS.

DEMOSTHENES. Iattatæax! hem mala! Iattatæ! Qui illum Paphlagonem, recens emtum malum, male dii perdant cum ejus conſiliis! Ex quo enim in hanc domum ſe malis intulit avibus, plagas aſſidue infligit ſervis.

NICIAS. Peſſume hercle pereat primarius iſte Paphlago cum ſuis calumniis!

DEMOSTHENES. Infelix, quomodo te habes?

NICIAS. Male, ſicut & tu.

DEMOSTHENES. Agedum huc ades, ut lamenta miſceamus, Olympi flebiles imitati modos.

NICIAS. Mu mu, mu mu, mu mu, mu mu, mu mu, mu mu.

DEMOSTHENES. Quid lamentamur fruſtra? nonne oportebat nos quærere aliquam ſalutem nobis, & non flere amplius?

NICIAS. Quænam igitur evenire nobis poſſit ſalus? dic tu.

DEMOSTHENES. Quin tu dic mihi, ut ne tecum contendam.

NICIAS. Equidem, ita me amabit Apollo, prior non dixerim. Sed dic audacter; deinde dicam etiam tibi.

DEMOSTHENES. *Utinam mihi diceres, quæ me dicere oportet!*

NICIAS. Sed mihi non ineſt confidentia barbara. Quo tandem modo dicam hoc ſcite, & Euripideo more?

DEMOSTHENES. Apage: ne ſcandicem mihi obtrudas: ſed inveni aliquam cantilenam receſſus ab hero.

NICIAS. Dic ergo continenter *fugiamus.*

DEMOSTHENES. Age, dico *fugiamus.*

NICIAS. Nunc ſubjunge *trans* iſti *fugiamus.*

DEMOSTHENES. *Trans.*

NICIAS. Optume. Quaſi maſturbares, nunc primo ſenſim dic *fugiamus*: deinde frequenter, ſubjuncto *trans*.

DEMOSTHENES. *Fugiamus trans fugiamus transfugiamus.*

NICIAS. Hem, nonne jucundum eſt?

DEMOSTHENES. Sane hercle, ut dicis: ſed cuti hoc omen timeo.

NICIAS. Quid ita?

DEMOSTHENES. Quia cutis abſcedit maſturbantibus.

NICIAS. Optumum igitur nobis eſt pro præſenti rerum ſtatu, ut ſupplices accidamus ad cujusvis ſignum dei.

DEMOSTHENES. *Signum?* quale ſignum? Quæſo enim, putasne eſſe deos?

NICIAS. Ego quidem.

DEMOSTHENES. Quonam vero edoctus argumento?

NICIAS. Quia diis inviſus ſum immerito meo.

DEMOSTHENES. Facile me adducis in tuam ſententiam.

NICIAS. Sed diſpiciamus aliam rationem.

DEMOSTHENES. Vin' ut rem omnem ſpectatoribus enarrem?

NICIAS. Non abs re fuerit: ſed unum hoc eos rogemus, manifeſtum ut nobis voltu faciant, an ſermonibus noſtris & rebus delectentur.

DEMOSTHENES. Jam eloquar. Nobis eſt herus feris moribus, fabas eſitans, cerebroſus, *Demus* Pnycenſis, moroſus ſeniculus, ſurdaſter. Iſte ſuperiore novilunio emit ſervum, coriarium Paphlagonem, vaferrimum, calumniatorem peſſumum. Ille, perſpecto ſenis ingenio, coriarius Paphlago, canis in modum hero ſe ſubmittens, blandiri, ſuppalpari, adulari cœpit, eumque decipere, oblatis præſegminibus coriorum minutis, hæc dicens: *O Deme, i lavatum, ubi prius unam litem dijudicaveris: ſume offam, ſorbe, jenta, cape triobolum: vin' ut cœnam tibi anteponam?* Deinde abripiens quodcunque noſtrûm quispiam paraverit, hero illud largitur Paphlago. Nuper etiam quum ei mazam pinſuiſſem in Pylo Laconicam, vaferrimo neſcio quo me modo circumvenit, ſurreptamque ipſus adpoſuit hero, quam ego pinſueram. Nos autem

abigit, nec ſinit ut herum alius colat: ſed coriaceum flabellum tenens, cœnanti adſtat hero, & rhetoras arcet; canitque oracula: inde ſenex intentam Sibyllis habet mentem: ille vero ubi eum videt ſtudio jam ſtupidum, opus adgreditur. Nam familiares aperte falſis criminibus accuſat: deinde flagris cædimur nos. Ipſe vero Paphlago circumcurſitat famulos, petit, turbat, munera captat, hæc dicens: *Videtis, ut Hylas propter me flagris cæditur? niſi me placaveritis, hodie moriemini.* Nos vero illi damus: ſin aliter, conculcati a ſene octuplum cacamus. Nunc itaque diligenter conſideremus, ô bone, quamnam viam inſiſtere, & ad quemnam nos convertere debeamus.

NICIAS. Optuma fuerit, ô bone, via, quam dixi, illa, *fugiamus.*

DEMOSTHENES. Sed nihil clam Paphlagone fieri poteſt: nam ipſemet omnia inſpectat. Habet enim crus alterum in Pylo, alterum in concione. Cruribus itaque ejus tanto intervallo divaricatis, culus reapſe eſt in *Hiantia*: manus utraque in *Petilia:* mens vero in *Clepidum* tribu.

NICIAS. Mori itaque optumum erit nobis: ſed vide ut moriamur quam maxume viriliter.

DEMOSTHENES. Quî, quæſo? quî poſſimus quam maxume viriliter?

NICIAS. Optumum eſt nobis taurinum potare ſanguinem: nam Themiſtoclis letum maxume expetendum eſt.

DEMOSTHENES. Non hercle ſanguinem, ſed merum Boni Geni. Forte enim utile quid excogitaverimus.

NICIAS. Ecce vero *merum!* Ergone de potu tibi agitur? quî vero utile quid excogitaverit homo temulentus?

DEMOSTHENES. Itane, ô ſtulte, ineptis, aqua te ingurgitans? audesne vinum calumniari, ut acuendæ menti minus idoneum? poſſisne vero quidpiam vino invenire efficacius? viden'? quum potant homines, tunc diteſcunt, negotia peragunt, vincunt lites, beati

fiunt, prosunt amicis. Sed effer mihi cito vini congium, mentem ut irrigem, & dicam lepidum quiddam.

NICIAS. Hei mihi! quid nobis facies cum tuo potu?

DEMOSTHENES. Bona. Sed affer: ego vero decumbam. Si enim inebriatus fuero, omnia ista conspergam consiliolis, sententiolis, & ratiunculis.

NICIAS. O factum bene, quod deprehensus non fui, quum vinum intus furarer!

DEMOSTHENES. Dic mihi, quid facit Paphlago?

NICIAS. Postquam liguriit publicatos cibos mola consperses, improbus ille stertit ebrius, in coriis supinus jacens.

DEMOSTHENES. Agesis infunde mihi jam vinum largiter.

NICIAS. Cape jam libamen, & liba Bono Genio: trahe, trahe potionem Geni Pramnii.

DEMOSTHENES. O Bone Geni, tuum est hoc consilium, non meum.

NICIAS. Dic, obsecro, quid est?

DEMOSTHENES. Oracula cito Paphlagonis clam effer domo, dum dormit.

NICIAS. At hæc Geni consilia vereor ne *mali* esse deprehendam.

DEMOSTHENES. Agedum ipsemet mihi admovebo congium, ut mentem irrigem, & dicam lepidum quiddam.

NICIAS. Quam valde Paphlago stertit & pedit! Proinde facile clam eo sacrum illud oraculum abstuli, quod ipse maxuma custodiebat cura.

DEMOSTHENES. O sclertissume, cedo illud, ut legam. Tu vero propere vinum infunde. Age videam quidnam hîc insit. O vaticinia! da mihi poculum cito.

NICIAS. Eccum. Quid ait oraculum?

DEMOSTHENES. Aliud infunde.

NICIAS. Estne in vaticiniis istuc *Aliud infunde?*

DEMOSTHENES. O Bacis!

NICIAS. Quid rei est?

DEMOSTHENES. Da mihi poculum cito.

NICIAS. Sæpiuſcule, opinor, Bacis uſus eſt poculo.

DEMOSTHENES. O impure Paphlago, ergone ideo cavebas dudum, formidans iſtud, quod de te editum eſt, oraculum?

NICIAS. Quidum?

DEMOSTHENES. Hic exſtat, quo pacto ipſe pereat.

NICIAS. Quonam vero?

DEMOSTHENES. Quonam? Oraculum planiſſume dicit, ut primo exſiſtat ſtuparum venditor, qui primus rempublicam tenebit.

NICIAS. Unus jam iſte eſt venditor. Quid poſthæc? memora.

DEMOSTHENES. Poſt hunc rurſus pecudum alius venditor.

NICIAS. Duo iſti jam ſunt venditores. Et quid huic accidere oportet?

DEMOSTHENES. Ut dominetur, uſquedum alius homo ſceleratior ipſo exoriatur: poſtea perit. Succedit enim coriorum venditor Paphlago, rapax, clamoſus, Cyclobori vocem habens.

NICIAS. Interimendus ergo erat pecudum venditor a coriorum venditore?

DEMOSTHENES. Ita hercle.

NICIAS. Væ miſero mihi! undenam gentium unus adhuc exſiſtet venditor?

DEMOSTHENES. Adhuc eſt unus mirificam artem habens.

NICIAS. Dic, obſecro, quis eſt?

DEMOSTHENES. Dicamne?

NICIAS. Sane hercle.

DEMOSTHENES. Iſiciorum venditor eſt, qui hunc perdet.

NICIAS. Iſiciorum venditor? Inſignem vero artem, ô Neptune! age, ubi iſtum inveniemus virum?

DEMOSTHENES. Quæramus eum.

NICIAS. Sed eccum ultro accedit ad forum, non ſine numine.

DEMOSTHENES. O beate iſiciorum venditor, ades, ades, cariſſume, aſcende, qui civitati & nobis ſervator huc prodiiſti.

ISICIARIUS. Quid eſt? cur me vocatis?

DEMOSTHENES. Huc ades, ut audias, quam ſis felix & valde fortunatus.

NICIAS. Agedum dome ipſi abacum, & Dei oraculum ipſum edoce, quomodo ſe habeat; ego autem ibo & ſpeculabor quid rerum agat Paphlago.

DEMOSTHENES. Ageſis tu ſupellectilem hanc primulum humi depone, deinde Tellurem adora & deos.

ISICIARIUS. En. Quid eſt?

DEMOSTHENES. O beate & opulente, ô qui nunc quidem nullus es, cras autem eris maxumus! O Athenarum dux fortunatarum!

ISICIARIUS. Quamobrem, ô bone, non me ſinis abluere iſtos ventriculos, iſiciaque vendere, ſed me ludibrio habes?

DEMOSTHENES. Quoſnam, ſtulte, ventriculos? huc adſpice. Nempe vides ordines horum populorum.

ISICIARIUS. Video.

DEMOSTHENES. Iſtorum omnium tu dux & princeps eris, & fori, & portuum, & concionis: Senatum calcabis: prætores defringes, nervo conſtringes, in carcerem conjicies: ipſus in Prytaneo ſcortaberis.

ISICIARIUS. Egone?

DEMOSTHENES. Tu quidem; & nondum omnia vides. Sed aſcende etiam in hunc abacum, & ſpecta inſulas omnes circumcirca.

ISICIARIUS. Specto.

DEMOSTHENES. Quid vero? Emporia & naves onerarias?

ISICIARIUS. Equidem.

DEMOSTHENES. Quî ergo non ſis valde fortunatus? Etiam oculum detorque in Cariam dexterum, alterum autem in Chalcedonem.

ISICIARIUS. Scilicet fortunatus ero, ſi ſtrabo fiam?

DEMOSTHENES. Immo hæc omnia per te veneunt. Fies enim, ut oraculum hoc prædicat, vir maxumus.

ISICIARIUS. Dic mihi, quomodo ego, qui iſiciarius ſum, vir fiam?

DEMOSTHENES. Ob id ipſum enim fies magnus, quia malus es, & unus e foro, itemque audax.

ISICIARIUS. Indignum me eſſe deputo, qui potens adeo fiam.

DEMOSTHENES. Hei mihi! quid eſt quod te indignum autumas? videris mihi præclari quidpiam tibi conſcire. Num ex bonis & probis es prognatus?

ISICIARIUS. Immo, per deos adjuro, ſum ex malis.

DEMOSTHENES. O fortunate, quam magnum a natura habes adjumentum rerum gerendarum!

ISICIARIUS. Sed, ô bone, nec liberalem doctrinam adtigi, præterquam literas, nec eas quidem ſatis feliciter.

DEMOSTHENES. Hoc unicum tibi officit, quod vel male literas ſcis. Reipublicæ enim adminiſtratio non doctum amplius competit in hominem, nec bene moratum, ſed in rudem & ſceleratum: tu vero noli neglegere, quæ tibi dant in vaticiniis dii.

ISICIARIUS. Quo modo itaque dicit oraculum?

DEMOSTHENES. Bene, ita me dii ament, varieque, & ſcita ambiguitate contextum eſt. *Sed quum maxillis prehenderit coriaria aquila unco roſtro prædita draconem ſtupidum, potorem ſanguinis, ſane tunc Paphlagonum quidem muria alliata peribit: inteſtinorum autem venditoribus magnam deus largitur gloriam, niſi ſi maluerint iſicia vendere.*

ISICIARIUS Quomodo ergo hæc ad me pertinent? edoce me.

DEMOSTHENES. Coriaria quidem aquila eſt Paphlago iſte.

ISICIARIUS. Quid vero ſignificat *unco roſtro prædita?*

DEMOSTHENES. Iſtuc ſubindicat curvis eum manibus rapere & ferre.

ISICIARIUS. Sed draco quorſum ſpectat?

DEMOSTHENES. Planiſſimum hoc eſt. Draco enim eſt longum quiddam: iſicium itidem longum: deinde ſanguinis potor & iſicium eſt & draco. Itaque draconem ait coriariam aquilam ſuperare jam poſſe, ſi verbis ſe decipi non ſinat.

ISICIARIUS. Hæc quidem vaticinia me vocant: ſed miror qua ratione aptus ſim procurandis populi negotiis.

DEMOSTHENES. Res eſt facilluma. Ea, quæ nunc facis, face: turba, implica, ut inteſtina ſoles, ita res omnes; populum fac tuum ſemper, verbulis eum demulcens coquinariis. Cetera tibi ſunt in mundo, quibus populum concilies tibi: vox dira, natura malus es, forenſis es: habes omnia, quibus uſus eſt ad rempublicam adminiſtrandam: oracula conveniunt, & ipſum Pythicum. Sed capiti coronam impone, & liba Coalemo, & vide, ut ſtrenue obſiſtas homini iſti.

ISICIARIUS. Et quis adjutor erit mihi? nam eum & divites metuunt, & plebs formidat paupercula.

DEMOSTHENES. At ſunt Equites mille, viri boni, qui oderunt eum, & opem ferent tibi, & civium quotquot boni ſunt & probi, & ex ſpectatoribus quisquis eſt cordatus, & ego cum ipſis, eritque adjutor deus. Et cave timeas: ipſius enim non videbis voltum; nam perſonam effingere, quæ eum referret, nullus præ metu voluit artifex. Attamen plane cognoſcetur: nam ſpectatores ſciti ſunt.

NICIAS. Væ miſero mihi! Paphlago egreditur.

CLEO. Næ haud impune, ita me amabunt Conſentes dii, feretis, quod in rempublicam conjuraſtis dudum. Iſtuc Chalcidicum poculum quid volt ſibi? non poteſt fieri, quin Chalcidenſes ad defectionem ſollicitetis. Peribitis, moriemini, ſceleratiſſumorum par.

DEMOSTHENES. Eho tu, quid fugis? non manebis, ô egregie iſiciarie? ne prodas negotium. Viri Equites, adeſte, tempus eſt. O Simo, ô Panæti, nonne agetis equos ad dextrum cornu? Prope adſunt viri: ſed reſiſte tu quoque, & revortere rurſus: apparet pulvis quem excitant, unde cognoſcas eos propius imminere. Sed defende, pelle, & in fugam eum verte.

CHORUS. Cæde, cæde veteratorem, & perturbatorem equeſtrium turmarum, & publicanum, & abyſſum malitiæ, & gurgitem rapinarum, & veteratorem, & veteratorem: identidem enim hoc dicam; namque veteratorie ille plus ſemel ſingulis diebus agit. Sed

verbera, pelle, perturba, age, rue, & exſecrare eum, uti nos facimus, eique inſtans clama. Cave autem ne effugiat: quippe novit vias, per quas Eucrates fugit ad furfures.

CLEO. O ſenes Heliaſtæ, cognati trioboli, quos ego paſco, æqua & iniqua clamitans, ſuccurrite: nam ab hominibus conjuratis verberor.

CHORUS. Merito ſane tuo, quippe qui communia bona, prius quam ſorte diſtribuantur, devoras, & pertrectas premisque reos, tanquam ficus, ſpectans ecquis eorum ſit crudus, aut maturus, aut nondum maturus: & obſervas, ſiquis civium ſimplex eſt inſtar agni, opulentus, a negotiis remotus, & fugitans litium: tum ſi quem videas otioſum & oſcitantem, huc evocatum ex Cherſoneſo medium prehendis, collum implicas nexu brachii, humerumque retorques, ſicque afflictum præcidere ſoles.

CLEO. Vos una in me inſurgitis: at, ô viri, propter vos vapulo, quia ſententiam dicturus eram in Senatu, ut æquum ſit in urbe exſtare monumentum voſtræ fortitudinis.

CHORUS. Quam glorioſus, quam ſubactus eſt! Viden' quomodo nobis tanquam ſenibus ſubrepit, & nos deludit. Sed ſi hac ratione vincit, eadem ferietur: ſi vero huc declinaverit, in crus impinget.

CLEO. O cives, ô popule, quales mihi beluæ ventrem percutiunt!

CHORUS. Etiam clamitas, qui ſemper urbem vaſtas?

ISICIARIUS. At ego te iſto meo clamore primum fugabo.

CHORUS. At ſi quidem eum clamore viceris, triumphale canticum tibi accinetur: ſin impudentia ipſum ſuperaveris, palma noſtra eſt.

CLEO. Hunc hominem defero, aioque eum extuliſſe triremibus Peloponneſiorum juſcula.

ISICIARIUS. At ego hunc, ita me Jupiter amet, quia ventre vacuo currit in Prytaneum, poſt revertitur inde currens pleno.

DEMOSTHENES. Quin etiam, ita me Jupiter amet, effert inde

res vetitas, panem & carnem, & piſcium fruſta, quæ nec Pericli obtigerunt unquam.

CLEO. Moriemini jamjam.

ISICIARIUS. Triplo plus vociferabor.

CLEO. Clamando ſuperabo te.

ISICIARIUS. Vociferando ſuperabo te.

CLEO. Calumniabor te, ubi prætor eris.

ISICIARIUS. Concidam tibi tergum.

CLEO. Circumcidam tibi tuas arrogantias.

ISICIARIUS. Molitiones tuas præcidam.

CLEO. Adſpice me oculis non conniventibus.

ISICIARIUS. In foro ego etiam educatus fui.

CLEO. Differam te, ſi quid mutis.

ISICIARIUS. Stercore te oblinam, ſi loqueris.

CLEO. Ego fateor me eſſe furem: tu vero negas.

ISICIARIUS. Quin, ita me Mercurius Forenſis amet, etiam pejero, ſi me furantem viderint.

CLEO. Alienas igitur artes æmularis: & te deferam apud magiſtratus, quod non decimatos diis ſacros poſſides ventriculos.

CHORUS. O impure & flagitioſe & clamoſe, audacia tua omnem terram implevit, omnemque concionem & telonia, & tabularia, & tribunalia. O qui omnia, ut cœnum, confundis, & univerſam urbem noſtram perturbaſti, qui Athenas noſtras obtudiſti clamitans, & qui e ſpecula publica vectigalia, ut piſcatores e ſcopulis thynnos, obſervas!

CLEO. Novi unde res iſta conſuitur dudum.

ISICIARIUS. Si tu non noſti rationem ſuendi coria, nec ego rationem farciendi inteſtina: qui doloſe incidens corium infelicis bovis, vendebas agricolis aſtute, ut videretur craſſum, & prius quam unum diem id geſtaverint, duobus palmis majus erat.

DEMOSTHENES. Edepol eadem fraude uſus eſt mecum, ita ut valde irriſui fuerim popularibus meis & amicis: nondum enim Pergaſis eram, quum jam natarem in calceis.

CHORUS. Annon ergo inde a principio exſeruiſti impudentiam, quæ unicum præſidium eſt rhetorum? qua tu fretus mulges peregrinorum opulentiores, ipſe facile inter eos princeps: Hippodami vero filius liquitur lacrimis. Sed enim exortus eſt homo alius multo te impurior, id quod lætor, qui te dejiciet e loco, &, ut ex his ſatis apparet, te ſuperabit verſutia & audacia & præſtigiis. Sed, ô qui ibi nutritus es, unde prodeunt viri, qui quidem ſunt, nunc oſtende vanum eſſe illud verbum, quod jubet *modeſte educari.*

ISICIARIUS. Atqui audite, qualis iſte ſit civis.

CLEO. Nonne me ſines verba facere?

ISICIARIUS. Haud ſane hercle, quia & ego malus ſum. Sed de hoc ipſo primum decertabo tecum, quis debeat prior verba facere.

CHORUS. Quod ſi huic argumento non ceſſerit, adde etiam, quia ſis malis prognatus.

CLEO. Non mihi concedes?

ISICIARIUS. Non hercle.

CLEO. Immo hercle.

ISICIARIUS. Non: ita me Neptunus amet.

CLEO. Hei mihi! diſrumpar.

ISICIARIUS. At ego te non ſinam.

CHORUS. Sine, ſine, per deos obſecro, eum disrumpi.

CLEO. Qua fiducia fretus dignum te cenſes qui mihi contradicas?

ISICIARIUS. Quia dicendi peritus & ego ſum atque condiendi.

CLEO. Ecce vero *dicendi!* Pulchre tu ſane, negotium aliquod tibi oblatum ſuſcipiens, in fruſta diſcerperes, tractaresque, ut par eſt. Sed ſcinne, quid ego tibi eveniſſe putem? quod plerisque ſolet. Si forte unam liticulam bene defendiſti contra inquilinum advenam quempiam, nocte tota ſuſurrans, & tecum in viis loquens, aquam potans, & ſpeciminis gratia recitans, amicisque moleſtiam exhibens, propterea te peritum eſſe dicendi putas, ô fatue.

ISICIARIUS. At tu quo uſus potu effeciſti, ut civitas nunc tua ſolius loquacitate obſtupuerit muta?

CLEO. Mihine vero oppoſueris hominum quemquam? qui ſimul ac thynni fruſta calida devoravero, & poſt ebibero meracioris vini congium, vexabo omnes in Pylo duces.

ISICIARIUS. Ego vero bovis omaſum & ventrem ſuillum ſi deglutivero, deinde juſculum ſuperimbibero illotus, guttur præcidam rhetoribus, & Niciam commotum reddam.

CHORUS. Cetera quidem, quæ dixti, placent mihi: unum autem improbo, quod ſolus juſculum exſorbebis.

CLEO. Sed non turbabis Mileſios, devoratis lupis.

ISICIARIUS. At bovillis coſtis devoratis metalla redimam.

CLEO. Ego vero in Senatum irruens, vi omnia infima ſummis paria faciam.

ISICIARIUS. Ego vero podicem tuum pro inteſtino agitabo.

CLEO. Ego vero podice impulſum te extrudam cernuum.

CHORUS. At, per Neptunum, trahes me quoque, ſi quidem hunc traxeris.

CLEO. Ut ego te in nervo conſtringam!

ISICIARIUS. Timiditatis reum te agam.

CLEO. Corium tuum ſellis obducetur.

ISICIARIUS. Excoriabo te, & faciam ex te ſaccum furtorum.

CLEO. Diſtenderis humi paxillis adfixus.

ISICIARIUS. Minutalia ex te faciam.

CLEO. Palpebras tuas evellam.

ISICIARIUS. Ingluviem tuam exſcindam.

DEMOSTHENES. Atque hercle immiſſo ei in os paxillo, coquorum more, deinde linguam ejus extrahentes, ſpectabimus probe, ipſo hiante, an ei culus ſtrumas habeat.

CHORUS. Erant ergo igne alia quædam calidiora, & in urbe verbis impudentibus alia impudentiora: & hæc res non eſt adeo contemnenda. Sed inſta & verſa, nihil fac modicum: nunc enim medius tenetur. Nam ubi primo congreſſu molliorem eum feceris, timidum reperies; ego enim novi ejus mores.

ISICIARIUS.

ISICIARIUS. Attamen iſte, qui talis fuerat per omnem vitam, viſus eſt vir fortis eſſe, quum falcem in alienam immiſiſſet meſſem: & nunc ſpicas illas, quas inde adduxit, in nervo conſtrictas arefacit, & volt vendere.

CLEO. Non metuo vos, quamdiu Senatus vivit, & Populi perſona ſedet ſtupida.

CHORUS. Vah! ut impudens eſt ad omnia, nec mutat colorem confidentiæ indicem!

CLEO. Niſi te odi, fiam una de pellibus Cratini, & docear accinere Morſimi tragœdiam.

CHORUS. O qui circa omnia & in omnibus munera captans ſeſſitas, ut apis in floribus, utinam facile, ut inveniſti, ita ejicias bucceam! tunc demum cantarem, *Bibe, bibe ſecundis rebus.* Arbitror etiam Juli filium, ſenem illum puerorum ſectatorem præ lætitia Pæanem & Bacchebacchum cantaturum.

CLEO. Ita me Bacchus amet, ut impudentia me non ſuperabitis, aut nunquam Jovis Forenſis interſim ſacris.

ISICIARIUS. Ita me pugni juvent, quos ſæpe & multis de cauſis perpeſſus ſum inde a puero, & plagæ cultellis mihi inflictæ, ut ſpero me ſuperaturum te in hac re: aut fruſtra offis nutritus, quibus manus abſterguntur, in hanc molem excreverim.

CLEO. *Offis*, ô ſceleſtiſſume, ut canis, nutritus fuiſti? quomodo ergo qui canis cibum eſitas, cum cynocephalo pugnabis?

ISICIARIUS. Quin edepol aliæ ſunt fraudes, quas puer feci. Nam decipiebam coquos, coram ſic dicens: *Spectate pueri, annon videtis? ver novum adeſt, hirundo venit.* Tum illi ſpectabant: ego vero interea carnis aliquid furabar.

CHORUS. O aſtutiſſumum corpus, quam ſolerter providebas! quaſi urticas eſitans, ante adventum hirundinum ſurripiebas.

ISICIARIUS. Id quidem plerumque clam eos faciebam: at ſi quis eorum animadvertiſſet, abſcondens carnem inter femina, per deos furtum abjurabam. Proinde dixit rhetor, qui me id facientem viderat: *Fieri non poteſt, quin iſte puer olim rempublicam adminiſtret.*

CHORUS. Bene ſane conjectavit: atque ſatis apparet, unde documentum ceperit: quod nimirum furto facto pejerabas, & culus tuus carnem tenebat.

CLEO. Audaciam tuam, immo, ut puto, amborum compeſcam. Nam erumpam vehemens, magnoque incumbam impetu, terram ſimul & maria perturbans temere.

ISICIARIUS. Ego vero, iſciis contractis, committens me ipſum fluctibus ſecundis, multum plorare te jubebo.

DEMOSTHENES. Et ego, ſi quid fatiſcat, ſentinam obſervabo.

CLEO. Non tu, ita me Ceres amet, Athenienſium multa talenta impune furatus fueris.

CHORUS. Specta, & pedem veli nonnihil laxa: nam Cæcias iſte jam calumnias ſpirat.

CLEO. Te vero certo ſcio ex Potidæa habere decem talenta.

ISICIARIUS. Quid ergo? vin' accepto uno iſtorum talentûm tacere?

CHORUS. Lubens acciperet homo. Sed tu extremos funes laxa.

ISICIARIUS. Ventus remittit.

CLEO. Lites quatuor tibi intendam centenorum talentûm.

ISICIARIUS. Tibi autem ego viginti deſertæ militiæ, peculatus vero plus quam mille.

CLEO. Aio te ex illis ortum eſſe, qui piaculum in Deam admiſere.

ISICIARIUS. Avum tuum aio unum fuiſſe ex ſatellitibus —

CLEO. Quibusnam? memora.

ISICIARIUS. Byrſinæ, matris Hippiæ.

CLEO. Impoſtor es.

ISICIARIUS. Veterator es.

CHORUS. Verbera ipſum valide.

CLEO. Iu! Iu! verberibus me cædunt conjurati.

CHORUS. Verbera ipſum validiſſume; tunde ejus ventrem tuis iſtis inteſtinis & colis, & vide ut caſtiges hominem. O vaſtiſſumum corpus, animique fortiſſumi, qui ſervator apparuiſti reipublicæ,

nobisque civibus, quam probe & verſute ſupplantatum oratione vicisti! utinam te laudare poſſimus, ita ut geſtimus!

CLEO. Haud clam me erat, ita me Ceres amet, iſta omnia ſtrui: ſed ſciebam ita compingi & conglutinari.

CHORUS. Hei mihi! Tu vero nihil ex carpentaria fabrica dicis?

ISICIARIUS. Haud clam me eſt quid rerum gerat Argis. Simulat quidem ſe nobis Argivos conciliare: at privatim illic Lacedæmonios convenit. Atque hæc novi quamobrem conflentur: quippe propter captivos cuduntur.

CHORUS. Bene ſane; tu contra cude, quum ille conglutinat.

ISICIARIUS. Atque illinc etiam homines quidam eadem ſtruunt. Neque tu, ſi vel argentum & aurum dederis, vel etiam amicos ad me ſupplicatum miſeris, me adduces, ut ego hæc Athenienſibus non indicem.

CLEO. Equidem illico in Senatum ibo, & veſtras conjurationes deferam, & coitiones nocturnas contra rempublicam, & ut conſpiretis cum Perſarum Rege, & iſta, quæ apud Bœotos coagulaſtis negotia.

ISICIARIUS. Quanti ergo venit apud Bœotos caſeus?

CLEO. Ego te, ita me juvet Hercules, diſtendam.

CHORUS. Agedum tu, quo ſis animo & qua mente præditus, nunc oſtende, ſi quidem tunc occultaviſti carnem inter femina, ut ipſe fateris. Nam celeriter currendum tibi erit in ſenatum: iſte enim eo irruens nos omnes calumniabitur, & clamorem tollet.

ISICIARIUS. Jam ibo; ſed primumdum ventriculos cultrosque hosce hîc ſtatim deponam.

CHORUS. Cape modo hunc adipem, & eo collum tibi inunge, ut elabi poſſis e calumniis.

ISICIARIUS. Recte autumas & ex uſu palæſtræ.

CHORUS. Tum etiam allia hæc ſume & degluti.

ISICIARIUS. Quid ita?

CHORUS. Ut fortius, ô amice, pugnes paſtus allio; & feſtina ocius.

ISICIARIUS. Hoc ago.

CHORUS. Memento jam ut mordeas, proſternas, & criſtas rodas, & ut palearibus devoratis huc redeas. Sed abi lætus, & rem ex animi mei ſententia gere; & te cuſtodiat Jupiter Forenſis, victorque inde rurſus venias, ſertis conſperſus. Vos autem anapæſtis noſtris animum advortite, qui omnigenam doctrinam experti eſtis.

Si veterum quispiam Comicorum nos adigere voluiſſet, ut carmina ejus recitaturi in theatrum prodiremus, haud ſane facile id a nobis impetraſſet: nunc autem dignus eſt poëta hicce, cujus in gratiam hoc faciamus, quia eoſdem nobiscum odit, & quod juſtum cenſet, non veretur dicere, fortique animo it obvius turbini & circio. Quod autem veſtrûm multi ad ipſum accedentes mirentur, ut ait, & rogitent, cur non dudum chorum ſibimet ipſe popoſcerit, ejus rei cauſam nos juſſit verbis ediſſerere. Ait autem ſe non dementia adductum, ut cunctaretur, verum quod existimaret artem comicam rem eſſe omnium difficillumam; nam quum multi jam eam tentarint, paucis eam ſui copiam feciſſe: præterea quod veſtrum ingenium dudum cognoſceret, in horas mutabile, veteresque poëtas, ſimul ac conſeneſcunt, a vobis deſeri. Primo quidem non ignorans, quid eveniſſet Magneti, quum jam caneſceret, qui licet multas victorias a choris adverſariorum reportarit, omnigenas voces mittens, pſaltrias introducens, aves, Lydos, pſenas, & batrachio colore faciem oblinens, non perduravit tamen: ſed mala in ætate, non enim in juventute, demum ejectus eſt, ſenior factus, quod ſales eum deſeruerant. Deinde Cratini recordatus, qui quondam multa laude fluens, per planos campos impetu ferebatur, & radicibus evulſas vehebat quercus & platanos, ſuosque funditus adverſarios: quin & canere tunc in convivio nihil licebat, præterquam iſta Cratini, *Doro ficubus pedes ornata*, & *Fabri ingenioſorum hymnorum*; adeo ille florebat. Sed nunc quum videatis illum [illegible]rare, non miſeremini, poſtquam labant clavi, nec ſuperat chorda, harmoniis fatiſcentibus: at ſenex obambulat deſpectui habitus, coronamque aridam gerens, ut Connas, ſiti perit, quem decebat ob

victorias illas priores bibere in Prytaneo, & non tanquam delirantem contemni, verum spectare bene unctum, ad ipsum Bacchi signum sedentem. Crates item quas non iras vestras & vexationes pertulit? qui vos modico sumtu pastos dimittebat, ore delicatissimo perquam urbanas sententias pinsens: iste tamen solus duravit, aliquando cadens, aliquando non. Hæc metuens hicce semper cessavit, dicere etiam solitus, *oportere remigem fieri, priusquam aliquis clavum teneat, deinde proræ custodem & speculatorem ventorum, tum demum gubernare sibi navem.* Horum igitur omnium gratia, quia modestus est, nec temere ingressus nugas agit, plausum ipsi excitate multum, & eum undenis remis prosequimini fausta acclamatione Lenæa, ut poëta lætus abeat, re ex sententia gesta, hilari fronte nitens.

SEMICHORUS. Equestris Neptune, cui æripedum equorum strepitus & hinnitus placet, nec non veloces, cærulea rostra habentes, mercenariæ triremes, gloriantiumque curruum agitatione juvenum certamina, quos perdit equorum cura; huc ades in chorum, ô tridente aureo conspicue, ô delphinorum rex, qui in Sunio adoraris & in Geræsto, nate Saturno, Phormioni amice, Athenienſibusque præ ceteris diis in præsenti.

CHORUS. Laudare volumus majores nostros, qui viros se præstabant dignos hoc solo, & ut eorum facta in peplo pingerentur, qui terrestribus & navalibus præliis ubique semper victores, huic urbi decus conciliarunt: neque quisquam eorum unquam, hostibus conspectis, eorum numerum curavit; sed animo erant ad pugnandum parato. Quod si forte caderent in humerum in prælio aliquo, pulverem abstergebant, & deinde negabant se lapsos esse; quin denuo luctabantur. Nec eorum, qui antea ducebant exercitus, ullus victum sibi publice præberi petebat compellans Cleænetum. At nunc nisi prærogativam sedis obtineant & cibum publicum, negant se pugnaturos. Nos vero volumus pro aris & focis gratiis & fortiter pugnare: insuperque nihil petimus, nisi hoc unicum, ut, si quando pax fiat & a bello sit otium, ne nobis invideatis comam alentibus & cutem nitide curantibus.

SEMICHORUS. O præſes urbis Pallas, ô quæ ſanctiſſumam omnium, belloque & poëtis, opibusque excellentem regis terram, huc ades & adduc tecum illam in exercitibus & præliis noſtram adjutricem Victoriam, choro noſtro amicam, quæ nobiscum hoſtibus adverſatur. Hîc igitur nunc appareas: oportet enim viris iſtis quovis pacto tribuere te victoriam nunc etiam, ſi unquam alias.

CHORUS. Quorum conſcii ſumus de equis, ea volumus prædicare: digni autem ſunt, quibus bene dicatur. Multa enim bella ſocia opera geſſerunt nobiscum, irruptionibusque & præliis interfuere. Sed quæ in terra fecerunt, ea non adeo miramur, ut quum in hippagines inſiluerunt, fortium virorum more, & coëmerunt pocula militaria, itemque allia & cepas; deinde ſumtis remis, uti nos homines, incumbentes vociferabantur: *Hippapæ! quis incumbet remis? Magis capeſſendum opus. Quid facimus? Nonne ages renum, ô Samphora?* Exſilieruntque in Corinthum: deinde juniores fodiebant ungulis cubilia, & ſtragula quæſitum ibant, edebant autem cancros pro herba Medica, ſi quis proreperet foras; quin & in profundo eos venabantur. Proinde Theorus dixit ſic locutum eſſe cancrum Corinthium: *Indignum eſt, ô Neptune, ſi nec in profundo quidem potero, nec in terra, nec in mari effugere Equites.*

CHORUS, ISICIARIUS, CLEO, DEMUS.

CHORUS. O cariſſume hominum & ſtrenuiſſume, quantam mihi abſens exhibuiſti curam! Nunc itaque poſtquam ſalvus rediiſti, narra nobis quomodo rem geſſeris.

ISICIARIUS. Quid aliud, quam victoriam in Senatu me adeptum fuiſſe?

CHORUS. Nunc ergo par eſt, ut omnes fauſtum clamorem tollant. O qui præclara dicis, multo autem præclarioribus factis dicta ſuperas, utinam mihi recenſeas omnia perſpicue! nam ego mihi videor vel longam viam confecturus, ut auſcultem. Proinde, vir optume, dic audacter: nam omnes gratulamur tibi.

ISICIARIUS. Equidem operæ pretium eſt audire res iſtas. Nam ſtatim a tergo hinc eum ſequutus ſum: at ille intus tonantem rumpens vocem, Equites increpuit, monſtra & portenta loquens, confragoſis verbis inceſſens, & conjuratos memorans. Quæ quum omnia tanquam vero ſimilluma Senatus audiviſſet, mendaciis ejus tam facile oppletus eſt, quam atriplex naſcitur, & acerbe intuebatur, frontemque corrugabat. Atque ego, quum jam cognoſſem eum illius verba admittere, & fallaciis decipier, *Agite*, inquam, *Dii præſides ignobilitatis & fraudum & ſtultitiæ & hominum vafrorum atque ſcurrilium, tuque, ô forum, in quo puer eruditus ſum; nunc mihi audaciam, nunc mihi linguam expeditam date & vocem impudentem.* Hæc meditanti mihi a dextra pepedit cinædus quidam, & ego adoravi; deinde podice impetens diſcuſſi cancellos, & magno oris hiatu exclamavi: *Viri Senatores, famam bonam adportans, bona renuntiare vobis primum volo: ex quo enim bellum hoc ingruit, nunquam vidi apuas viliores.* Horum autem voltus ſtatim

ſereni facti ſunt : deinde coronam mihi decreverunt ob fauſtum nuntium. Et ego indicavi eis rem ſecretam, compendi verba multa faciens, ut apuas emant multas uno obolo, trullas omnes colligerent, quæ apud opifices proſtant : illi vero plauſerunt, & me ore hiante ſpectarunt. At ille animadvertens, Paphlago inquam, non ignarus cujusmodi verbis maxume capiatur Senatus, ſententiam dixit: *O viri, jam cenſeo, quia res lætæ renuntiatæ ſunt, ut ob bonum nuntium immolentur centum boves Minervæ.* Rurſus ad illum inclinavit Senatus. At ego animadvertens me bubulo fimo vinci, ducentis additis bobus illum ſuperavi : præterea auctor fui, ut Dianæ mille capellæ voverentur, ſi cras ſardinæ centenæ venirent obolo. Rurſus ad me converſus de meo ore pependit Senatus. At ille, his auditis, perculſus, nugas cœpit agere : deinde ipſum traxerunt Prytanes & lictores. Ceteri autem ſtantes de apuis tumultuabantur: ille vero ſupplex orabat, ut pauliſper exſpectarent, *dum*, inquiebat, *ea, quæ caduceator Lacedæmone veniens dicturus eſt, audiveritis; adeſt enim de pace ineunda verba facturus.* At illi uno omnes ore clamarunt : *Nunc vero de pace? poſtquam, ô fatue, ſenſerunt apuas apud nos viles eſſe? non opus eſt nobis pace; ſed ſerpat bellum.* Et cum clamore juſſerunt Prytanes Senatum dimittere. Deinde omni ex parte cancellos tranſilierunt. Ego vero clam curſitans coëmi coriandrum omne & porrum, quantum erat in foro : deinde ad apuas condiendas indigentibus ipſis illa dedi, & gratiis largitus ſum. Illi vero ſupra modum laudabant, & mihi blandiebantur omnes, adeo ut, Senatu univerſo ad meas partes adducto, adſim, ob unius oboli coriandra viritim data.

CHORUS. Ita prorſus rem geſſiſti, uti fortunatum decet hominem : invenit autem veterator ille alium præſtigiis multo majoribus ornatum, & omnigenis dolis, & verborum illecebris. Sed meditare, ut quam optume perficias reliquam partem certaminis : adjutores autem nos te habere benevolos ſcis dudum.

ISICIARIUS. Sed eccum accedit Paphlago, fluctus vano conatu

propellens, & turbans & miſcens, non ſecus ac ſi me deglutire velit. Vah confidentiam!

CLEO. Niſi te diſperdam, ſi quid veterum mihi mendaciorum ineſt, omnibus exemplis intercidam!

ISICIARIUS. Suave mihi eſt audire tuas minas; rideo fumos tuæ jactantiæ, ſaltito, mothonem alta voce canto.

CLEO. Ita me Ceres amet, niſi te exedam ex hac terra, non amplius vivam!

ISICIARIUS. *Niſi me exedas?* Ego vero peream, niſi te ebibam, teque exſorpto diſrumpar!

CLEO. Diſperdam te, per primam ſedem juro, quam ob Pylum adeptus ſum.

ISICIARIUS. Ecce vero *primam ſedem!* vah! ut ego te videbo ex prima illa ſede ad ultima theatri ſubſellia relegatum!

CLEO. In nervo te conſtringam, per Cœlum juro.

ISICIARIUS. Quam iracundus es! age, quid tibi dem edere? quid tibi velles anteponi, quod lubentiſſume comederes? an cruminam?

CLEO. Evellam tibi unguibus inteſtina.

ISICIARIUS. Præcidam tibi, quaſi ungues, cibos quos ex Pryzaneo capis.

CLEO. Ad populum te traham, ut mihi pœnas des.

ISICIARIUS. At ego te traham, & complurium te criminum accuſabo.

CLEO. At, ó improbe, tibi non credit: ego vero ipſum ludificor, quantum volo.

ISICIARIUS. Quam valde exiſtumas populum tuum eſſe!

CLEO. Enim ſcio quibus ferculis capiatur.

ISICIARIUS. At, quemadmodum nutrices ſolent, maligne ipſum cibas. Nam præmandens, pauxillo ei in os indito, ipſe triplo plus deglutis.

CLEO. Quin hercle, quæ mea eſt ſolertia, populum & amplum & anguſtum facere queo.

ISICIARIUS. Quippini? culus etiam meus hoc ſcite facit.

CLEO. O bone, ne putes te in ſenatu mihi illudere: ad populum eamus.

ISICIARIUS. Nihil impedit: en perge; nobis ne ſit quicquam moræ.

CLEO. O Deme, huc egredere, per Jovem obteſtor, ô pater.

ISICIARIUS. Egredere ſane, Demule cariſſume.

DEMUS. Quinam ſunt qui clamant? nonne abibitis ab oſtio? olivæ ramum januæ appenſum mihi convulſiſtis.

CLEO. Egredere, ut videas quibus adficior contumeliis.

DEMUS. Quisnam injuriis te laceſſit, Paphlago?

CLEO. Propter te verberor ab iſto & ab his adoleſcentibus.

DEMUS. Quare?

CLEO. Quia te colo & ſum amator tuus.

DEMUS. Tu vero quis es ſcilicet?

ISICIARIUS. Rivalis ſum hujusce, qui te dudum amo, cupiens tibi bene facere, ut & alii multi boni & probi viri: ſed non poſſumus propter huncce: tu enim ſimilis es pueris illis, qui amatores habent: bonos & probos non admittis; ſed te ipſum venditoribus lucernarum, iisque qui coria conſuunt, aut ſecant, aut vendunt, dedis.

CLEO. Merito: nam populo bene facio.

ISICIARIUS. Dic ergo qua ratione.

CLEO. Quia præfectos exercitus ad Pylum circumveniens, quum illuc navigaſſem, Laconas huc adduxi.

ISICIARIUS. Ego vero circuiens ex taberna ollam ſurripui cum cibo, quem alius coxerat.

CLEO. Sed ocius conventum age, mi Deme, ut cognoſcas uter noſtrûm ſit tibi benevolentior, & dijudica, ut illum ames.

ISICIARIUS. Quæſo, inquam, dijudica, modo ne in Pnyce.

DEMUS. Nolim in alio loco conſidere; ſed, ut antea, cives oportet convenire in Pnycem.

ISICIARIUS. Væ miſero mihi! ut perii! nam ſenex hicce domi

quidem vir eſt ſapientiſſumus: quum vero in iſta rupe ſedet, tam hianti ore ſtupet, quam qui ficus adligans, petiolis fractis hæret.

CHORUS. Nunc funes omnes movere te oportet, & animum præſentem adferre ſolertemque, & orationem captioſam, ut iſtis hunc ſuperes. Eſt enim homo verſipellis, quique impedita expedire facile poteſt. Proinde opera danda tibi eſt, ut multus & vehemens contra illum prodeas; ſed cave tibi, & prius quam ille impetum in te faciat, tu prior delphinas erige, & lembum appelle.

CLEO. Deam Minervam præſidem hujus urbis precor, ſi erga populum Athenienſem ſum optume poſt Lyſidem & Cynnam & Salabaccham adfectus, ut, quemadmodum nunc, nihil agendo cibum capiam in Prytaneo: ſi autem te odi, & non pro te pugno, ſolum me obponens, peream, & ſerra diſſecer, & diſcindar in lora jugalia.

ISICIARIUS. Et ego, mi Deme, ſi te non amo & magni facio, coquar diſſectus in tenuiſſima minutalia: atque ſi his verbis non credis, ſuper hac menſa minutiſſume radar cum caſeo in moreto, & harpagine correptis teſticulis trahar in Ceramicum.

CLEO. At, ô Deme, quomodo exſiſtere poſſit civis, qui te magis amet, quam ego? præcipue quum tibi meis conſiliis utenti conlocupletaverim ærarium, alios torquendo, alios angendo, ab aliis petendo; non curans privatorum ullum, dum tibi gratificarer.

ISICIARIUS. Iſtud quidem, ô Deme, nihil habet præclari: nam idem præſtabo & ego: alienos enim panes rapiens anteponam tibi. Primum autem id te docebo, hunc te non amare, nec tibi eſſe benevolum, niſi propter id ipſum, quod pruna tua perfruitur. Etenim te, qui cum Perſis de hac regione digladiatus es Marathone, & victo hoſte effeciſti, ut poſſimus noſtras res geſtas magnifice crepare, non reſpicit, tam duriter ſedentem ſuper his lapidibus, ſicut ego, qui hoc pulvinar conſui & tibi fero. Age vero ſurge, deinde ſede molliter, ne atteras podicem illum, qui in prælio ad Salaminem laboravit.

DEMUS. Mi homo, quis es? num aliquis de prosapia Harmodi? Nam revera præclarum est hoc facinus & oppido populare.

CLEO. Quam parvis a blandimentis ei benevolus factus es!

ISICIARIUS. Nam tu quoque rebus multo levioribus cum ineseasti.

CLEO. Immo si quisquam visus est unquam, qui magis pugnet pro populo, aut qui te magis amet quam ego, capitis certamen inire volo.

ISICIARIUS. Et quomodo tu illum amas, quem quum videas octavum jam annum habitare in doliis & turriculis, ejus non misereris tamen, sed inclusum fumo enecas, & offerente pacem Archeptolemo, eam dissipasti, legatosque abigis ab urbe, pede nates eorum verberans, qui ad inducias invitant.

CLEO. Nempe ut Græcis omnibus imperet. Exstat enim in vaticiniis fore, ut ille in Arcadia quinos obolos pro judiciali mercede accipiat, si exspectaverit. Utique alam ego hunc & curabo, atque inveniam qua jure quave injuria, unde triobolum habeat.

ISICIARIUS. Non ideo hercle, ut hic imperet Arcadiæ, satagis, sed ut magis rapias, & plura dona captes ab urbibus; populus autem propter belli caliginem tuas sutelas non videat, sed necessitate & inopia, stipendique cupiditate ore hiante te spectet. Quod si aliquando ipse in agrum revorsus vixerit in pace, & esu granorum recentis frumenti se recrearit, & olivas convenerit, cognoscet cujusmodi bona ei præcideris propter stipendia. Deinde tibi redibit exacerbatus & ferus, calculum contra te quærens. Quæ quum tu scias, hunc decipis, & somnia tua jactas.

CLEO. Annon vero indignum est te hæc in me dicere, & calumniari apud Athenienses & populum, qui præclarius jam multo meritus sum de republica, quam Themistocles, ita me Ceres amet?

ISICIARIUS. *O cives Argivi, audite qualia dicat.* Tune Themistocli te æquiparas? qui quum plenam ad labra usque nostram urbem reperisset, eam redundantem fecit: præterea prandenti ei Piræeum insuper pinsuit, &, nihil de pristinis amovens, novos pisces

adpoſuit. At tu ſtuduiſti urbem Athenienſium parvam facere, interpoſitis muris eam dividens, oracula canens, qui te Themiſtocli æquiparas. Et ille quidem abit in exſilium; tu vero Achilleis placentis veſceris.

CLEO. Annon acerbum eſt, ô Deme, hæc me ab iſto audire, quia te amo?

DEMUS. Heus tu, quieſce, neve conviciis eum pete. Nam ſat longo tempore me clam defraudaſti.

ISICIARIUS. Impuriſſumus eſt, ô Demule, & multa nequiter egit, te oſcitante, caulesque repetundarum ſuccidens deglutit, & ambabus manibus inferciens, haurit reipublicæ bona.

CLEO. Faxo ego ut non gaudeas; nam te furatum eſſe tres myriadas convincam.

ISICIARIUS. Quid tumultuaris? quid ſtrepitas? qui peſſumus es erga populum Athenienſem. Et te oſtendam, ita me Ceres amet, aut ne vivam, ex Mitylene plus quam quadraginta minas dono accepiſſe.

CHORUS. O qui omnibus hominibus maxumo emolumento exortus es, beatum te prædico ob dicendi facultatem; ſi enim ita perrexeris, maxumus eris Græcorum, & ſolus tenebis rempublicam, ſociisque imperabis, tridentem gerens, quo magnam pecuniæ vim conficies, quatiens & turbans. Sed ne dimittas hominem, poſtquam tibi anſam præbuit: facile enim eum vinces, ejusmodi habens latera.

CLEO. Nondum, ô boni, eo rediit res, ita me Neptunus amet; exſtat enim meum quoddam facinus adeo præclarum, ut omnibus meis inimicis os obturare poſſim, quamdiu aliquid ſupererit de clypeis in Pylo captis.

ISICIARIUS. Subſiſte in mentione clypeorum; nam mihi anſam dediſti. Non enim debueras, ſi populum amas, conſulto ſinere eos cum amentis dedicarier. Sed eſt hæc, ô Deme, molitio quædam, ut, ſi tu velis hunc hominem caſtigare, tibi non liceat. Vides enim, ut ſit illi conſtipata iſta caterva coria vendentium juvenum: circa

istos habitant venditores mellis & caseorum, qui omnes in unum conspirant. Proinde, si tu frendeas iratus, & exsilium illi mediteris, dereptis noctu istis clypeis currerent ad occupanda granaria nostra.

DEMUS. Væ misero mihi! ergone habent amenta? ô sceleste, quam diu me decepisti & fraudasti!

CLEO. O bone, ne te sinas a quovis dicente persuaderi, neve putes me ipso unquam te inventurum amicum meliorem: qui solus conjuratos compescui: neque me latet ulla conspiratio in urbe, sed statim vociferari soleo.

ISICIARIUS. Quippe idem facis, quod qui piscantur anguillas. Si enim lacus sit sedatus, nihil capiunt: quum autem sursum deorsum cœnum perturbaverint, capiunt. Tu quoque capis, quando civitatem turbas. Unum vero dic mihi hoc: quum tot coria vendas, dedistine unquam huicce de tuo soleam ad calceos, tu, qui te amare eum dicis?

DEMUS. Non sane hercle.

ISICIARIUS. Ergone cognoscis eum qualis sit homo? at ego tibi hocce par calceorum emi & do gestandum.

DEMUS. Judico te omnium, quod sciam, optume de populo meritum esse, & benevolentissumum te esse reipublicæ atque digitis pedum.

CLEO. Annon ergo acerbum est calceos quidem apud te tantum valere, meorum autem erga te meritorum te oblivisci, qui compescui cinædos, deleto Grytto?

ISICIARIUS. Annon ergo acerbum est, te culos quidem inspectare, & cinædos compescere? quamvis omnino ex invidia compescueris eos, metuens ne rhetores fierent. Hunc autem istac ætate Demum quum videas carere tunica, nunquam hiberno tempore dignatus es eum veste utrinque manicata: at ego tibi istam do.

DEMUS. Tale quid Themistocles nunquam excogitavit; quamvis solers & illa sit Pyræei munitio, non majus illud videtur inventum, quam hocce tunicæ.

CLEO. Væ misero mihi! qualibus me adulationibus exagitas!

ISICIARIUS. Minume: sed id facio, quod poti solent, quum cacaturiunt: nam ut illi soleis alienis, ita ego tuis utor moribus.

CLEO. Sed non superabis me palpationibus. Nam ego superinduam ei hanc vestem; tu vero plora, improbe.

DEMUS. Phui! nonne in maxumam malam crucem ibis, qui pessume corium oles?

ISICIARIUS. Et de industria te istac amicivit, ut te suffocaret. Antea etiam tibi insidiatus est: meministin' quum caulis laserpiti vili pretio veniret?

DEMUS. Equidem memini.

ISICIARIUS. Data opera iste effecit ut vili veniret, ut ementes ederetis, deinde in Heliæa judices visiendo sese invicem enecarent.

DEMUS. Ita me Neptunus amet, idem mihi stercorarius quidam dixit.

ISICIARIUS. Annon tunc tam crebro visientes pudore suffundebamini?

DEMUS. Sane hercle fuit hoc Pyrrhandri commentum.

CLEO. Qualibus, ô improbe, scurramentis me turbas!

ISICIARIUS. Dea enim me jussit vincere te jactantia.

CLEO. At non vinces me. Ego enim aio me tibi daturum, ô Deme, nihil agenti sorbere catinum mercedis judiciariæ.

ISICIARIUS. Ego vero tibi pyxidem & medicamentum do, ut tibiarum ulcera tibi circumungas.

CLEO. Ego vero canos tuos legens, juvenem te faciam.

ISICIARIUS. Hem, accipe caudam leporinam, ut tibi ocellos circumtergeas.

CLEO. Quum te emunxeris, ô Deme, in caput meum digitos absterge.

ISICIARIUS. Immo in meum, immo in meum.

CLEO. Faxo ego, ut triremem instruas tua impensa, ita ut navem veterem habens, in eam tibi sumtuum nullus sit finis, nec fabricationis: comminiscar etiam, ut putre velum accipias.

CHORUS. Homo iſte ebullit: ſeda, ſeda efferveſcentem; ſubducendum aliquid de lignis; deſpumandum de minis nonnihil iſto cochleari.

CLEO. Dabis mihi pulchre pœnas, tributis preſſus: ego enim operam dabo, ut inter divites cenſearis.

ISICIARIUS. Ego vero minabor quidem nihil; opto autem tibi hæc: ut ſartago quidem cum ſepiis ſtet ſuper igne ſtridens: tu autem rogationem laturus de Mileſiis, & lucraturus talentum, ſi rem confeceris, properes ſepiis te ingurgitare, priusquam in concionem eas: deinde, antequam ederis, arceſſat te aliquis, & tu talentum accipere volens, vorando ſuffoceris.

CHORUS. Belle, ita me Jupiter amet, & Apollo, & Ceres.

DEMUS. Et ſane videtur mihi cetera etiam eſſe manifeſto bonus civis, qualis nemo ad hoc tempus vir exſtitit hominibus iſtis, quorum complures veneunt obolo. Tu vero, Paphlago, qui te mei amantem eſſe dicis, me exacerbaſti, & nunc redde mihi anulum; nam non amplius opum mearum cuſtos eris.

CLEO. Habe tibi. Hoc tamen ſcias velim, ſi me non ſines procurare rempublicam, nequiorem me ipſo alium denuo exoriturum.

DEMUS. Fieri nequit, ut iſte ſit meus anulus: ſane ſignum aliud videtur eſſe, niſi forte parum cernunt oculi.

ISICIARIUS. Fac ſciam quid ſigni tibi fuerit.

DEMUS. Bubulæ adipis thrium aſſatum.

ISICIARIUS. Non illud eſt.

DEMUS. Non thrium? quid vero?

ISICIARIUS. Mergus hians ſuper petra loquens pro concione.

DEMUS. Au! miſer ego!

ISICIARIUS. Quid eſt?

DEMUS. Aufer hinc procul. Non meum habuit, ſed Cleonymi. Hunc autem accipe a me, & penum meam adminiſtra.

CLEO. Nondum etiam, ô here mi, obſecro te, priusquam oracula mea audias.

ISICIARIUS. Et mea ergo.

CLEO.

CLEO. Sed si huic creduas, cœcum te fieri necesse est.

ISICIARIUS. Et si huic, verpum te fieri necesse est usque ad pectinem.

CLEO. Immo mea oracula dicunt fore, ut imperes universæ terræ, coronatus rosis.

ISICIARIUS. Mea vero dicunt, ut purpureo indutus sago acu picto & coronatus in aureo curru persequaris Smicythem & dominum.

CLEO. Quin abi & affer illa, ut hic audiat ea.

ISICIARIUS. Maxume.

DEMUS. Tu etiam affer tua.

CLEO. Ecce eo.

ISICIARIUS. Ecce hercle eo: nihil impedit.

CHORUS. Jucundissuma lux hujus erit die præsentibus & adventantibus, si Cleo perierit: quamvis seniores quosdam morosissumos in digmate litium audivi contradicere: *Si iste non evasisset magnus in Republica, non exstitura fuisse duo ista utilia vasa, pistillum & truam.* Sed hoc etiam illius demiror porcinæ eruditionis: pueri enim, qui cum eo ludum frequentarunt, dicunt ad solam Doricam harmoniam fides eum aptare consuevisse, aliam vero noluisse discere; deinde citharistam iratum abduci eum jussisse, cum hoc dicto: *Harmoniam puer iste non potis est addiscere, nisi quæ nomine refert munera.*

CLEO, ISICIARIUS, DEMUS, CHORUS.

CLEO. En, ſpecta; necdum omnia effero.

ISICIARIUS. Hei mihi! quam valde cacaturio! necdum omnia effero.

DEMUS. Quænam ſunt iſta?

CLEO. Oracula.

DEMUS. Omniane?

CLEO. Miraris? atqui hercle adhuc eſt mihi una arca plena.

ISICIARIUS. Mihi autem cœnaculum & duo conclavia.

DEMUS. Facite ſciam cujusnam ſint hæc oracula.

CLEO. Mea quidem ſunt Bacidis.

DEMUS. Tua vero, cujus?

ISICIARIUS. Glanidis, qui fuit frater Bacidis natu major.

DEMUS. Nam qua de re ſunt?

CLEO. De Athenis, de Pylo, de te, de me, de omnibus rebus.

DEMUS. Tua vero, qua de re?

ISICIARIUS. De Athenis, de lente, de Lacedæmoniis, de ſcombris recentibus, de his qui in foro inique metiuntur frumenta, de te, de me: penem iſte ſibi mordeat.

DEMUS. Facite ergo, ut ea mihi legatis, illud præcipue, quod de me eſt editum, quo delector, nempe ut *aquila fiam in nubibus.*

CLEO. Jam ergo audi & huc advorte mentem. *Percipe, Erechthida, rationem oraculorum, quæ Apollo tibi profatus eſt e penetrali per tripodas venerandos: ſervare te juſſit ſacrum canem, ſerratos habentem dentes, qui prius latrans, & pro te acerrime vociferans, mercedem tibi acquiret; & niſi hoc fecerit, peribit: multi enim ex odio contra eum crocitant graculi.*

DEMUS. Pol ego haud intellego, quid hæc ſibi velint. Quid enim eſt Erechtheo cum graculis & cane?

CLEO. Ego quidem ſum canis ille: nam pro te latro. Tibi vero dixit Apollo, ut canem me ſerves.

ISICIARIUS. Non hoc dicit oraculum: verum canis hicce, ut fores tuas, ita etiam oracula arrodit: mihi enim unum eſt aliud, quod vere de hoc cane dicit.

DEMUS. Dic ergo: prius autem lapidem capiam, ne me illud de cane mordeat oraculum.

ISICIARIUS. *Animadverte, ô Erechthida, canem Cerberum plagiarium, qui adulans cauda & te cœnantem obſervans, exedet tuum cibum, ſiquando tu hietans aliorſum ſpectes. Clam autem noctu ingredietur in culinam, & canina voracitate patinas & inſulas delambet.*

DEMUS. Multo melius, ita me Neptunus amet, ô Glani dixiſti.

CLEO. Audi, ô bone, tum demum dijudica. *Eſt mulier, parietque leonem ſacris in Athenis, qui pro populo contra multos culices pugnabit, tanquam pro catulis ſuis ſtans; quem tu obſerva, muro exſtructo ligneo, & turribus ferreis.*

DEMUS. Scin' quid hæc ſignificent?

ISICIARIUS. Haud ego hercle.

CLEO. Perſpicue Deus tibi dixit, ut me ſerves. Ego enim tibi ſum pro leone.

DEMUS. Et quommodo me inſcio factus es *Proleo?*

ISICIARIUS. Unum de induſtria te non edocet ex hoc vaticinio, quod ſolum ferreus murus eſt & lignum, in quo te adſervare hunc juſſit. Loxias.

DEMUS. Quomodo ergo illud dixit Deus?

ISICIARIUS. Iſtum ut conſtringas jubet in ligno quinque foraminibus pertuſo.

DEMUS. Hæc vaticinia nunc impleri mihi videntur.

CLEO. Ne credas: invidæ enim cornices crocitant: at tu accipitrem amare memento, qui tibi adduxit vinctos Lacedæmoniorum coracinos.

ISICIARIUS. Hoc quidem periculum temere adiit ebrius Paphlago. Cur id, Cecropida imprudens, habes pro egregio facinore? Quippe mulier etiam facile ferat onus, si vir sublatum id ei imponat: non tamen pugnaverit; nam cacaverit, si pugnaverit.

CLEO. Sed istuc animadverte, Pylum, quam tibi dixit, ante Pylum. *Est Pylus ante Pylum* --

DEMUS. Quid istud *Ante Pylum* sibi volt?

ISICIARIUS. Ait se solia in balneo occupaturum.

DEMUS. Hodie igitur illotus ero.

ISICIARIUS. Ipse enim solia nobis præripuit. Sed istud de classe dicit meum oraculum, ad quod te animum advortere oportet omnino.

DEMUS. Advorto: tu vero lege, nautis meis quomodo stipendium primo dabitur.

ISICIARIUS. *Ægida, observa canivolpem, ne te decipiat, clam mordentem, dolosam, astutam, callidam.* Scin' quid hoc sit?

DEMUS. Philostratus est canivolpes.

ISICIARIUS. Non hoc dicit: sed quas naves identidem iste petit veloces ad colligendas ab insulanis pecunias, has vetat ei dare Loxias.

DEMUS. At quomodo triremis est *canivolpes?*

ISICIARIUS. Quomodo? nempe & triremis est & canis res velox.

DEMUS. Cur vero *cani* addita est *volpes?*

ISICIARIUS. Volpeculis adsimulavit milites, quoniam uvas comedunt ruri.

DEMUS. Esto: volpeculis autem illis stipendium quod detur ubi est?

ISICIARIUS. Id ego præbebo quoque in tres dies. Sed hoc adhuc audi oraculum, quo te vitare jussit Apollo Cyllenen, ne te illa decipiat.

DEMUS. Quamnam Cyllenen?

ISICIARIUS. Hujus manum finxit Cyllenen esse merito, quia dicere hicce solet, *Injice in cyllen.*

CLEO. Perperam autumas. Per Cyllenen enim Phœbus recte in-

nuit manum Diopithis. Sed eſt mihi de te oraculum alatum, ut *aquila fias & omni terræ imperes.*

ISICIARIUS. Mihi autem ut & terræ, & Erythræo mari, utque in Ecbatanis jus dicturus ſis lambens conditos cibos.

CLEO. At ego inſomnium vidi, & mihi videbatur ipſa Dea e cotyla in populum infundere opes & ſanitatem.

ISICIARIUS. Ego etiam, ita me Jupiter amet; quippe mihi videbatur ipſa Dea ex arce deſcendere, eique noctua inſidere, deinde majori e calice infundere utriusque in caput, tuum quidem, ambroſiam, hujus autem, muriam alliatam.

DEMUS. Iu, iu! nemo profecto erat Glanide ſapientior. Quin memet tibi committo, ut ſenem me cures, & quaſi puerum denuo edoceas.

CLEO. Nondum, obſecro te, ſed exſpecta: nam hordea tibs præbebo & victum quotidie.

DEMUS. Hordeorum mentionem ſufferre nequeo. Sæpe deceptus ſum a te & a Theophane.

CLEO. Immo farinam tibi dabo præparatam.

ISICIARIUS. Ego vero parvas mazas jam piſtas & piſces toſtos: nihil obſtabit, quin illico edas.

DEMUS. Properate igitur perficere, quod voltis. Uter enim voſtrûm mihi plus benefecerit, huic ego tradam habenas Pnycis.

CLEO. Curram itaque jam prior.

ISICIARIUS. Non tu hercle, ſed ego.

CHORUS. O Deme, præclarum utique habes imperium, quandoquidem omnes homines metuunt te, tanquam tyrannum: ſed mobilis es, & ſi quis tibi aduletur, teque decipiat, delectare: tum etiam oratorem ſemper ore hiante ſpectas: mens autem tua præſens eſt abſens.

DEMUS. Mens non ineſt comis voſtris, ſi me haud ſapere exiſtumatis. At ego ſic deſipio ultro. Nam ipſi mihi volup eſt potitare in dies; & unum alere volo furacem præſidem: hunc autem, quando oppletus eſt, ſublatum percutere ſoleo.

CHORUS. Recte quidem sic feceris, si tibi, ut dicis, prudentia inest in isto more tam multa: si hos data opera, tanquam publicas victimas, alis in Pnyce: deinde siquando tibi desit obsonium, horum aliquem qui pinguis sit, mactas & comedis.

DEMUS. Spectate, an callide istos circumveniam, qui se sapere putant, & me fallere. Quippe ipsos semper observo, eos, quum furantur, me videre dissimulans: deinde quæcunque de meis furati fuerint, cogo eos rursus evomere, camum eis pro specillo in guttur immittens.



CLEO, ISICIARIUS, DEMUS, CHORUS.

CLEO. Abi hinc in maxumam malam crucem.

ISICIARIUS. Tu quidem, ô perdite.

CLEO. O Deme. Ego quidem paratus terdudum ſedeo, cupiens tibi benefacere.

ISICIARIUS. Ego vero decies dudum, & duodecies dudum, & millies dudum, & antea dudum, dudum, dudum.

DEMUS. Ego vero exſpectans tricies millies dudum exſecror vos, & antea dudum, dudum, dudum.

ISICIARIUS. Scin' ergo quid facias?

DEMUS. Si neſciam, tu id mihi dices.

ISICIARIUS. Jube me ſimul & iſtum, tanquam a carceribus miſſos, ex æquo tibi benefacere.

DEMUS. Hoc agere me par eſt. Abſcedite.

ISICIARIUS. Ecce.

DEMUS. Currite jam.

CLEO. Subverti haud me ſinam.

DEMUS. Profecto beatus ero oppido hodie amatorum horum opera, niſi delicias faciam.

CLEO. Viden'? ego tibi prior extuli ſellam hanc.

ISICIARIUS. At non menſam tu: verum ego multo prior extuli.

CLEO. Ecce ego fero tibi hanc parvam mazam, ex farre illo piſtam, quod ex Pylo adtuli.

ISICIARIUS. Ego vero offas panis, quas excavavit ipſa Dea manu eburnea.

DEMUS. Quam magnum ergo digitum habes, ô veneranda!

CLEO. Ego vero e piſis pultem boni coloris & bonam, quam tudiculavit Pallas, cujus auſpiciis Pylum expugnavi.

ISICIARIUS. O Deme, manifeſto te reſpicit Dea: nunc etiam tenet ollam ſupra te juris plenam.

DEMUS. Putasne hanc urbem habitari potuiſſe tamdiu, niſi perſpicue ollam ſupra nos tenuiſſet?

CLEO. Hoc fruſtum piſcis dedit tibi Dea fugatrix exercituum.

ISICIARIUS. At Virgo patrima carnem in jure elixam, item inteſtini, & omaſi, & ventriculi fruſtum.

DEMUS. Pulchre gratiam retulit, pepli memor.

CLEO. Gorgonis capite & criſta inſignis Dea te comedere jubet de hac placenta in longum ducta, ut remos ducamus & navigemus commode.

ISICIARIUS. Hæc etiam cape.

DEMUS. Et quid iſtis faciam inteſtinis?

ISICIARIUS. Ea tibi conſulto miſit Dea, ad ſtatuminandas intrinſecus naves: quippe manifeſto reſpicit claſſem noſtram: cape & poculum duobus vini, tribus aquæ miſtum cyathis.

DEMUS. O Jupiter! quam ſuave vinum! ut facile fert ternas aquæ partes?

ISICIARIUS. Etenim Tritonia eum ternavit.

CLEO. Accipe nunc a me pinguis placentæ fruſtum.

ISICIARIUS. A me vero totam placentam hancce.

CLEO. Sed leporinam non habebis unde ei des: at ego.

ISICIARIUS. Hei mihi! undenam leporinæ mihi copia fiat! mi anime, nunc ſcurrile quidpiam inveni.

CLEO. Viden' hancce, ô perdite?

ISICIARIUS. Parum id curo. Sed enim iſti ad me veniunt.

CLEO. Quinam?

ISICIARIUS. Legati, qui crumenas habent refertas pecunia.

CLEO. Ubi, ubi ſunt?

ISICIARIUS. Quid hoc ad te? nonne omittes hoſpites? O Demule, viden' leporinam, quam tibi fero?

CLEO. Væ miſero mihi! nefarie meam ſurripuiſti.

ISICIARIUS. Etenim tu quoque hercle Laconas illos ex Pylo.

DEMUS. Dic, amabo, quo commento eam rapuiſti?

ISICIARIUS. Commentum quidem eſt Deæ: furtum vero meum.

CLEO. At ego periculo meo leporem venatus ſum.

ISICIARIUS. Ego vero eum aſſavi.

DEMUS. Abi: nam non niſi adponenti gratia eſt.

CLEO. Hei mihi! vincar impudentia, perditus.

ISICIARIUS. Cur non dijudicas, ô Deme, uter noſtrûm melior vir ſiet erga te & ventrem?

DEMUS. Quonam ergo documento uſus, inter vos ſapienter dijudicaſſe videri queam ſpectatoribus?

ISICIARIUS. Dicam tibi. Vade & ciſtam meam tacite comprehende, & explora ecquid inſit: hujus itidem Paphlagonis. Sic procul dubio recte judicabis.

DEMUS. Age videam, quid ergo ineſt?

ISICIARIUS. Sed vacuam vides, ô patercule; omnia enim tibi adtuli.

DEMUS. Hæc quidem ciſta populo favet.

ISICIARIUS. Accede igitur etiam huc ad ciſtam Paphlagonis. Jamne vides?

DEMUS. Hei mihi! quantis bonis repleta eſt! quam magnam in ea placentam recondidit: mihi autem tantillum præciſum dedit.

ISICIARIUS. Idem fecit antidhac etiam: ex illis quæ capiebat, pauxillum tibi dabat: ipſus autem ſibi majores partes anteponebat.

DEMUS. O impure, itane me decipiebas, furtum faciens? *Ego autem te coronis & donis ornavi.*

CLEO. At ego furabar reipublicæ bono.

DEMUS. Depone ocius coronam, ut iſti eam imponam.

ISICIARIUS. Depone ocius, verbero.

CLEO. Minume vero: nam mihi oraculum eſt Pythicum, declarans a quo ſolo vinci me neceſſe ſit.

ISICIARIUS. Nempe declarans meum nomen, idque perquam perſpicue.

CLEO. Atqui volo documento explorare an congruas cum oraculo: & ex te primum hoc tantum percontabor; quem ludum frequentaſti puer?

ISICIARIUS. In culinis concinnabar pugnis.

CLEO. Quid ais? ut oraculo percellitur animus meus! Eſto: quid vero apud palæſtræ magiſtrum didiciſti?

ISICIARIUS. Furari & furtum abjurare, teſtesque in oculos intueri.

CLEO. *O Phœbe Apollo Lycie, quid tandem me facies?* Quamnam vero artem exercuiſti jam adultior?

ISICIARIUS. Iſicia vendebam.

CLEO. Quid præterea?

ISICIARIUS. Futuebar.

CLEO. Væ mihi infortunato! Jam nullus ſum. *Tenuis quædam eſt ſpes, quæ nos ſuſtinet.* Et mihi hoc tantum dic, utrum in foro iſicia vendebas, an ad portas.

ISICIARIUS. Ad portas, ubi ſalſamenta venum exponuntur.

CLEO. Hei mihi! oraculum adimpletum eſt. Volutate intro huncce infelicem. O corona, vale: invitus equidem te amitto: habebit te alius, fur quidem non pejor, forte tamen fortunatior.

ISICIARIUS. Jupiter Græcanice, palma tua eſt.

CHORUS. O ſalve victor, & memor eſto, te virum evaſiſſe mea opera. Modicum autem hoc a te peto, ut fiam tibi ſcriba in judiciis, uti nunc Phanus eſt.

DEMUS. Mihi autem, quodnam ſit tuum nomen, eloquere.

ISICIARIUS. Agoracritus: nam in foro litigando paſtus ſum.

DEMUS. Agoracrito igitur memet committo, eique Paphlagonem hunc trado.

AGORACRITUS. Equidem te, ô Deme, curabo ſedulo, ut fatearis te hominem nullum vidiſſe meliorem me erga Oſcitantium urbem.

SEMICHORUS. Quid pulchrius incipienti opus aut finienti, quam velocium equorum agitatores cantare, nulloque convicio Lysistratum aut Thumantin domo carentem sponte lacessere ? Etenim iste, ô bone Apollo, esurit, & uberrimas lacrimas fundens supplex tuam Delphis tangit pharetram, quia summa laborat inopia.

CHORUS. Maledicere improbis neutiquam est invidiosum : quin id laudi bonis dabit, qui recte judicat. Quod si autem homo ille, quem par est ex me multa maledicta audire, esset vulgo notus, non facerem mentionem alius amici viri. Nunc itaque Arignotum homo qui ignoret, nemo est, nisi qui nesciat, quid sit album, aut qui sit orthius modus. Huic vero frater est, moribus ei haud germanus, Ariphrades improbus : sed enim sciens prudensque talis est. Est autem non tantum malus, nec enim hoc sensissem, neque pessumus tantum : verum etiam insuper excogitavit quiddam. Linguam enim suam polluit turpibus voluptatibus, in ganeis lambens despuendum illum rorem, & inquinans barbam, & conturbans labra pudendorum, Polymnestea carmina faciens, & consuescens cum Oeonicho. Quicunque igitur hominem istum non valde exsecratur, nunquam ex eodem poculo nobiscum bibet.

SEMICHORUS. Sæpe nocturnis cogitationibus occupatus fui, & quæsivi, qua de causa tam improbe comedat Cleonymus. Aiunt enim illum more pecudum vorantem bona divitum hominum vix abire a panario : at illos eum orare, ut sibi æque edendi veniam det : *Age, ô præclare, per genuâ te obsecro, exi & parce mensæ.*

CHORUS. Aiunt convenisse triremes ad colloquendum inter se, & unam aliquam earum, quæ maxuma erat natu, dixisse : *Nonne auditis, ô virgines, quæ in urbe fiunt ? aiunt quemdam petiisse nostrarum centum ad expeditionem in Chalcedonem, civem improbum, vappam Hyperbolum.* Triremibus autem aiunt id visum esse grave & intolerabile, & quamdam earum dixisse, quæ cum viris nondum consueverat : *Pro Averrunce ! meus certe navarchus ille nunquam erit ; sed si necesse est, a cossis corrosa & putrefacta hîc consenescam ; nec Nauphantæ Nausonis filiæ navarchus ille sit,*

ne ſit, inquam, ô Dii! ſi quidem ex picea & lignis ſum ego etiam compacta. Si autem Athenienſibus placet illa ſententia, videtur mihi optumum nobis eſſe, ſi in Theſei aut Eumenidum fanum navigemus, ibique ſupplices ſedeamus. Non enim nobis imperans irridebit urbem: ſed naviget ſeorſum ſolus in malam rem, ſi volt, alveos illos, in quibus lucernas vendebat, in mare deducens.

AGORACRITUS, CHORUS, DEMUS.

AGORACRITUS. Linguis favere oportet & os comprimere, & a teſtibus citandis abſtinere, & fora judicum occludere, quibus iſta urbs gaudet, & propter novas proſperitates oportet, ut theatrum Pæanem canat.

CHORUS. O qui auxiliator ſacris apparuiſti inſulis & lumen Athenis, quamnam ferens bonam famam veniſti, ob quam plateas repleamus nidore?

AGORACRITUS. Populum vobis decoxi, & pulchrum eum ex turpi feci.

CHORUS. Et ubi nunc eſt ille, ô admirandi auctor commenti?

AGORACRITUS. Antiquas incolit violis coronatas Athenas.

CHORUS. Quî videre eum poſſimus? quemnam habet ornatum? & qualis factus eſt?

AGORACRITUS. Qualis antehac fuit, quando cum Ariſtide & Miltiade cibum una capiebat: jam autem illum videbitis: crepant enim ab eo veſtibuli fores. Sed gratulamini Athenis ob antiquam receptam ſpeciem, Athenis, inquam, admirandis, decantatis, in quibus habitat inclytus ille Populus.

CHORUS. O nitidæ, violis coronatæ, præclaræ Athenæ, oſtendite nobis monarcham illum Græciæ & hujus ſoli.

AGORACRITUS. Hic ille eſt cicadas in capillis geſtans, ſplendens antiqua ſpecie, non calculos redolens, ſed pacem, myrrha delibutus.

CHORUS. Salve, ô Græcorum Rex: tibi gratulamur: nam bona tibi obtigerunt & civitate digna, & illo in Marathone tropæo.

DEMUS. O hominum cariſſume, huc accede, Agoracrite. Quantis me decoquendo bonis adfeciſti!

AGORACRITUS. Egone? ſed, ô bone, necdum ſcis, qualis antehac fueris, neque quid feceris: nam pro deo me haberes.

DEMUS. Quid ergo feci antehac? dic mihi, qualis eram?

AGORACRITUS. Principio quidem, ſi quando in concione diceret aliquis: *O populе, amator ſum tuus, teque colo, & curam tui gero, & conſultum tibi ſolus volo:* his ſi quis uteretur exordiis, ſubſiliebas, & jactabas caput ferociter.

DEMUS. Egone?

AGORACRITUS. Deinde ille, te decepto, abibat.

DEMUS. Quid ais? hæccine mihi fecerunt, nec ego id ſenſi?

AGORACRITUS. Nam aures tuæ hercle diducebantur inſtar umbellæ, & rurſus contrahebantur.

DEMUS. Adeone ineptus ego fui & præ ſenectute delirans?

AGORACRITUS. Quin etiam, quum duo oratores verba facerent, altero dicente *parandam eſſe claſſem*, altero autem, *ſolvendam eſſe judicibus mercedem*; tunc qui de mercede dicebat, ſuperato illo qui de claſſe rogationem tulerat, abibat. Heus tu, quid demittis caput? nonne loco manebis?

DEMUS. Pudet me profecto priorum peccatorum.

AGORACRITUS. At culpa non eſt tua, ne ſis ſollicitus, ſed eorum, qui te ſic decepere. Nunc autem, dic mihi; ſi quis advocatus ſcurra dicat: *Non eſt vobis judicibus panis, niſi hanc cauſam damnaveritis:* huic patrono quid facies? dic mihi.

DEMUS. Sublimem tollam & in Barathrum injiciam, e collo ei ſuſpendens Hyperbolum.

AGORACRITUS. Hiuc quidem recte & ſapienter jam dicis: ſed in ceteris quomodo rempublicam ordinabis? age, dic mihi.

DEMUS. Primo remigibus longarum navium, quum primum in portum appulerint, mercedem integram dabo.

AGORACRITUS. Multis adtritis natibus gratum feciſti.

DEMUS. Deinde catalogo militum inſcriptorum civium nullus in alium transcribetur ordinem ſtudiis fautorum: ſed ſicut initio erat, ita erit inſcriptus.

AGORACRITUS. Istuc momordit clypeum Cleonymi.

DEMUS. Nec imberbis ullus in foro concionabitur.

AGORACRITUS. Ubi ergo concionabuntur Clisthenes & Strato?

DEMUS. Adolescentulos illos dico in myropoliis versari solitos, qui sedentes hæc garriunt: *Dexter est Phæax, & solerter eruditus fuit: quippe auditorem oratione quasi constrictum tenet, & quodlibet adsequitur: sententias etiam cudit, & est perspicuus, facileque affectus movet, optume comprimens tumultuantes.*

AGORACRITUS. Nonne tu es pædico istorum locutuleiorum?

DEMUS. Non hercle; sed cogam istos omnes venatum ire, a faciendis decretis abstinentes.

AGORACRITUS. Accipe ergo hac conditione sellam hanc plicatilem, & puerum coleatum, qui eam tibi gestet, & , siquando videbitur, hunc tibi sellam face.

DEMUS. O me beatum, qui pristinum in statum reducor!

AGORACRITUS. Istuc dices demum, quum tricennales inducias tradidero tibi. Adeste ocius vos Induciæ.

DEMUS. O Jupiter supreme, quam venustæ sunt! obsecro per Deos, licetne cum illis rem habere? quomodo illas cepisti, amabo?

AGORACRITUS. Nonne eas Paphlago intus absconderat, ne tu eas caperes? nunc itaque tibi eas do, ut rus abeas, tecum eas abducens.

DEMUS. Paphlagonem autem, qui ista fecit, dic, quo malo mactabis?

AGORACRITUS. Non magno, nec alio ullo, nisi ut artem meam obtineat, & ad portas isicia vendat solus, caninas carnes miscens asininis, ebriusque scortis convicia dicat, & ex balneorum soliis hausiam aquam bibat.

DEMUS. Bene excogitasti id, quo dignus est, nimirum ut cum

ſcortis & balneatoribus digladietur maledictis. At te pro his beneficiis in Prytaneum invito, & in ſedem, quam obtinebat impuriſſimus ille: ſequere autem ſumta viridi hac veſte. Et illum educat aliquis ad exercendam ſuam artem, ut videant ipſum hoſpites, quos contumeliis ſolebat adficere.

CHORUS. *(Deeſt Chori cantiuncula.)*

FINIS EQUITUM.

ARISTOPHANIS
ACHARNENSES.

DRAMATIS PERSONÆ.

DICAEOPOLIS.
PRAECO.
AMPHITHEUS.
LEGATI Athenienſes.
PSEUDARTABAS.
THEORUS.
CHORUS Acharnenſium.
UXOR Dicæopolidis.
FILIA Dicæopolidis.
CEPHISOPHO.
EURIPIDES.
LAMACHUS.
MEGARENSIS.
PUELLAE Filiæ Megarenſis.
SYCOPHANTA.
BŒOTUS.
NICARCHUS.
FAMULUS Lamachi.
AGRICOLA.
PARANYMPHUS.
NUNTII.

DICÆOPOLIS, PRÆCO, AMPHITHEUS, LEGATI Athenienſes, PSEUDARTABAS, THEORUS, CHORUS.

DICÆOPOLIS. Quam multa ſunt, quæ mihi cor momorderunt! Quæ vero me delectarunt, pauca, perpauca, quatuor omnino. At quæ me cruciarunt, tot ſunt, quot litus arenas, & quot Gargara ſegetes habent. Age videam, quid me delectavit, ob quod merito gaviſus fuerim. Scio equidem, quanam re viſa cor meum maxume exhilaratum fuit, illis nimirum quinque talentis, quæ Cleo evomuit. Quanto ob hanc rem delibutus fui gaudio! & Equites deamo ob iſtuc factum, quo quidem Græcia juvatur omnis. Sed contra aliud me excruciavit animi, tragicum quiddam, quum, poſtquam dudum ore hiante exſpectaſſem Æſchylum, præco alta voce dixit: *Introduc, ô Theognis, tuum chorum.* Quam valde putas id meum cor concuſſiſſe? ſed ob aliud quiddam aliquando delectatus fui, quum Dexitheus ingreſſus eſt vitulo certaturus, fidibusque cantaturus Bœotium. At hoc anno tædio enectus fui, & mihi diſtorſi collum, quum prodiit Chæris, ut Orthium modum tibia caneret. Verum ex quo in balineis me ſordibus purgari curo, nunquam ſupercilia mea ſic momordit lixivium, ut nunc, quum tempore legitimæ concionis matutinæ, deſerta eſt Pnyx hæcce. At illi confabulantur in foro, & ſurſum deorſum fugitant rubrica tinctum funem. Nec Prytanes veniunt. Sed ubi tandem ſero advenerint, tum mirum in modum ſeſe invicem trudent, confeſtim ingruentes, concurrentes, certantesque de primo ſubſellio. Pax autem quo pacto fiat, nihil penſi habent: ô cives, cives! At ego ſemper primus in concionem veniens ſedeo: deinde quum hîc ſolus ſum, ingemiſco, hieto, pandiculor, pedo, dubius hæſito, baculo ſolum conſcribillo, pilos mihi evello,

computo, rus ſpectans, pacis cupidus, urbem exoſus, pagum autem meum deſiderans, qui mihi nunquam dixit, *Carbones eme*, nec *acetum*, nec *oleum*; nec norat illud *eme*. Sed ipſe omnia ferebat, & aberat iſtud, quod mihi cor diſſecat, *eme*. Nunc itaque adveni plane paratus clamare, obloqui, conviciari oratores, ſi quis aliud quam de pace dicat. Sed eccos jam Prytanes meridie advenientes. Nonne dicebam? hoc illud eſt, quod autumabam, in prima ſubſellia ſe quisque intrudit.

PRÆCO. Procedite ulterius, procedite, ut intra luſtratum ſitis locum.

AMPHITHEUS. Jamne aliquis dixit?

PRÆCO. Quis verba facere volt?

AMPHITHEUS. Ego.

PRÆCO. Quis tu es?

AMPHITHEUS. Amphitheus.

PRÆCO. Non homo?

AMPHITHEUS. Non: ſed immortalis. Nam Amphitheus erat Cereris & Triptolemi filius; ex illo Celeus naſcitur: Celeus autem uxorem duxit Phænaretam aviam meam, ex qua Lycinus natus eſt, qui me immortalem genuit. Mihi vero ſoli permiſerunt dii inducias paciſci cum Lacedæmoniis. At ego immortalis qui ſum, ô amici, viaticum non habeo: non enim mihi ſubminiſtrant Prytanes.

PRÆCO. Eho lictores—

AMPHITHEUS. O Triptoleme & Celee, mene abripi patiemini?

DICÆOPOLIS. O Prytanes, injuriam facitis congregato populo, quum hunc virum abduci jubetis, qui volebat nobis inducias facere, & ſuſpendere clypeos.

PRÆCO. Sede tacitus.

DICÆOPOLIS. Non faciam, ita me Apollo amet, niſi de pace conſultationem mihi proponatis.

PRÆCO. Prodeant legati, qui ad Regem miſſi fuerant.

DICÆOPOLIS. Quem regem? tædium enim me cepit legatorum, & pavonum illorum, ſtolidarumque jactantiarum.

PRÆCO. Sile.

DICÆOPOLIS. Papæ! ô Ecbatana! quis hic eſt habitus inſolens?

LEGATUS. Miſiſtis nos, Euthymene Archonte, ad Magnum Regem, attributa nobis in ſingulos dies duarum drachmarum mercede.

DICÆOPOLIS. Hei mihi drachmarum!

LEGATUS. Afflictati autem ſumus miſere, per Cayſtrios campos oberrando ſub tentoriis, in carpentis molliter cubantes, ærumnis confecti.

DICÆOPOLIS. Scilicet mecum bene agebatur, quum ad propugnaculum in paleis cubarem.

LEGATUS. Excepti autem hoſpitio cogebamur bibere e vitrei poculis & aureis phialis merum dulce.

DICÆOPOLIS. O Cranai civitas, num ſentis, ut te ludificentur legati?

LEGATUS. Barbari enim ſolos eos eſſe viros deputant, qui plurimum valent eſſe & bibere.

DICÆOPOLIS. At nos eoſdem ſcortatores & cinædos eſſe deputamus.

LEGATUS. Anno autem quarto ad regiam pervenimus: ſed Rex abierat ventris exonerandi gratia, abducto ſecum exercitu, menſesque perpetuos octo cacavit in aureis montibus.

DICÆOPOLIS. Quanto autem tempore contraxit podicem?

LEGATUS. Plenilunio: deinde abiit domum: tum nos hoſpitio excepit, nobisque antepoſuit integros e clibano boves.

DICÆOPOLIS. Et quis vidit unquam boves in clibano toſtos? ô jactantiam!

LEGATUS. Atque hercle avem triplo majorem Cleonymo adpoſuit nobis: nomen autem ei erat *Deriſor*.

DICÆOPOLIS. Propterea ergo tu nos derides, acceptis duabus drachmis.

LEGATUS. Et nunc venimus adducentes iſtum Pſeudartabam, qui eſt Regis oculus.

DICÆOPOLIS. Utinam, ô Legate, tuum ipſius oculum tundendo excutiat corvus!

PRÆCO. Prodeat Regis oculus.

DICÆOPOLIS. O magne Hercules! Per deos obſecro, mi homo, ſtationemne vides, aut circa promontorium flectens navale obſervas, adeo timide incedis & caute circumſpicis? ſuffultus mihi videtur oculus tuus loro, ut remus in navi.

LEGATUS. Agedum tu eloquere, quæ te Rex miſit nuntiaturum Athenienſibus, ô Pſeudartaba.

PSEUDARTABAS. Iartaman exarx' anapiſſonai ſatra.

LEGATUS. Intellexiſtisne quid dicat?

DICÆOPOLIS. Non equidem, ita me Apollo amet.

LEGATUS. Ait Regem vobis aurum miſſurum. Enuntia majore voce & clare aurum.

PSEUDARTABAS. Non accipies aurum, cinæde Iaona.

DICÆOPOLIS. Hei mihi miſero! quam clare!

PRÆCO. Quid jam dicit?

DICÆOPOLIS. Rogas? Cinædos eſſe dicit Iaonas, ſi exſpectant aurum a Barbaris.

LEGATUS. Nihil iſtius dicit; ſed auri medimnos commemorat iſte.

DICÆOPOLIS. Quosnam medimnos? tu quidem magnus es jactator. Sed abi: ego autem hunc ſolus examinabo. Agedum tu dic mihi clare, huic, inquam, homini, ne te tingam tinctura Sardianica; anne aurum nobis mittet Rex Magnus?

(renuit Pſeudartabas.)

Temere itaque decipimur a legatis.

(adnuit Pſeudartabas.)

Græco utique more iſti viri adnuunt. Nunquam quisquam faciet, quin indidem ſint ex hac urbe. Et eunuchorum alter iſte qui ſit, novi: Cliſthenes, inquam, eſt, Sibyrti filius. O qui culum invenisti calidi conſili! talemne, ô ſimie, habens barbam, eunuchi ornatu nobis huc veniſti? Iſte vero quis eſt? num forte Strato?

PRÆCO. Sile, ſede. Regis oculum Senatus vocat in Prytaneum.

DICÆOPOLIS. Nonne hæc ad ſuſpendium aliquem adigant? & tamen hîc diutius moror! Iſtis, ſi quos hoſpitio excipere velint, ſemper patent Prytanei fores. Sed perpetrabo facinus magnum & memorabile. Ubinam eſt mihi Amphitheus?

AMPHITHEUS. Eccum adeſt.

DICÆOPOLIS. Tu mihi, ſumtis his octo drachmis, inducias paciſcere cum Lacedæmoniis ſoli, & liberis & uxori: vos vero legatos mittite, & auras captate.

PRÆCO. Accedat Theorus, qui a Sitalce rediit.

THEORUS. Eccum.

DICÆOPOLIS. Alius jactator hicce prodire jubetur.

THEORUS. Non multo tempore morati fuiſſemus in Thracia —

DICÆOPOLIS. Non hercle, niſi multam mercedem acciperes.

THEORUS. Niſi contecta fuiſſet omnis Thracia nive, & fluvios conſtrinxiſſet gelu ſub idem tempus, quando hîc Theognis certavit tragœdiis. Interea potavi cum Sitalce; & ſane ſupra modum ſtudioſus erat Athenienſium, vereque amator veſter: itaque etiam in parietibus ſcripſit *Athenienſes belli.* Gnatus autem ejus, quem civem adſcivimus Athenienſem, cupiebat iſicium comedere ex Apaturiis, & patrem oravit, ut patriæ ſuccurreret: at ille juravit libans ſe opem laturum cum tanto exercitu, ut Athenienſes dicant: *Quanta multitudo locuſtarum advenit!*

DICÆOPOLIS. Male peream, ſi quicquam iſtorum, quæ tu hîc dixti, credo, præter locuſtas.

THEORUS. Et nunc illam gentem, quæ bellicoſiſſima habetur inter Thracas, nobis miſit.

DICÆOPOLIS. Iſtuc quidem jam perſpicuum fieri occipit.

PRÆCO. Vos Thraces adeſte, quos Theorus adduxit.

DICÆOPOLIS. Quid hoc mali eſt?

THEORUS. Odomantorum exercitus.

DICÆOPOLIS. Quorum Odomantorum? Dic mihi, hoc quid erat? quisnam Odomantis mutilavit penem? quis?

THEORUS. Isti, si quis eis mercedem dederit duas drachmas, incursionibus infestabunt omnem Bœotiam.

DICÆOPOLIS. Hisne recutitis duas drachmas? ingemiscat utique remigum universus populus, sospitator urbis. Hei mihi misero! pereo: ab Odomantis allia mihi populantur. Nonne projicietis allia?

THEORUS. O improbe, cave ne accedas ad istos, qui alliati sunt.

DICÆOPOLIS. Siccine me injuria affici sinitis, ô Prytanes, in patria, idque a barbaris hominibus. Sed interdico, ne concio habeatur Thracibus super mercede. Dico autem vobis ostentum factum esse, & me gutta pluviæ percussit.

PRÆCO. Thraces abeant, & adsint die tricesimo: nam Prytanes dimittunt concionem.

DICÆOPOLIS. Hei mihi misero! quantum alliati perdidi! Verumenimvero ex Lacedæmone adest iste Amphitheus. Salve Amphithee.

AMPHITHEUS. Nondum etiam, priusquam currere desiero. Nam fuga me effugere oportet Acharnenses.

DICÆOPOLIS. Quid rei est?

AMPHITHEUS. Tibi ferens inducias huc properabam: sed olfecerunt quidam Acharnenses vetuli, duri senes, iligni, immites, qui olim Marathone pugnarunt, acerni; mox autem uno ore exclamarunt: *O impurissume, inducias fers, quum vites excisæ sint ab hostibus?* simulque lapides colligebant in pallia. Ego autem in pedes me conjeci; illi vero me persecuti sunt vociferantes.

DICÆOPOLIS. Vociferentur sane illi. Tu vero fersne inducias?

AMPHITHEUS. Fero, inquam, tria hæcce specimina. Istæ quidem sunt quinquennales; cape & gusta.

DICÆOPOLIS. Phui!

AMPHITHEUS. Quid est?

DICÆOPOLIS. Non placent mihi, quia redolent picem & apparatum navium.

AMPHITHEUS. Decennales has ergo cape, easque gusta.

DICÆOPOLIS. Redolent iſtæ etiam perquam acerbe legatos in urbes abeuntes queſtum de ſociorum mora.

AMPHITHEUS. At iſtæ ſunt induciæ tricennales terra marique.

DICÆOPOLIS. O feſtivitas! redolent iſtæ quidem ambroſiam & nectar; nec jubent commeatum parare in tres dies; palamque & aperte dicunt, *I, quo lubet.* Has accipio & libo & bibo, Acharnenſibus multum valere juſſis: ego vero ſolutus bello & ærumnis, rus ibo, ibique agam Liberalia.

AMPHITHEUS. At ego fugere pergam, ne me corripiant Acharnenſes.

CHORUS. Hac omnis ſequere, perſequere, & ſciſcitare de homine ex viatoribus omnibus: nam ad rempublicam pertinet comprehendi hunc hominem. Sed mihi indicium facite, ſi quis novit quonam ſe gentium convertit iſte qui fert inducias.

SEMICHORUS. Effugit, abiit, evanuit.

CHORUS. Hei mihi miſero! O ætatem meam ſenectam! non ſane in mea juventute, quum onuſtus carbonibus Phayllum aſſequebar currendo, iſte ita facile induciarum gerulus a me tunc agitatus, effugiſſet, nec tam levi pede ſe abſtuliſſet. At nunc, quum jam rigent genua mea, & Lacratidæ ſeni prægravantur crura, effugit.

SEMICHORUS. At perſequi eum oportet. Ne etenim unquam nos irrideat, licet ſenes ſimus, gloriando ſe Acharnenſes effugiſſe, qui, ô Jupiter & dii, cum hoſtibus meis inducias pactus eſt, contra quos a me bellum infeſtum magis magisque augetur, ob vaſtata mea prædia: nec remittam, priusquam velut juncus ipſis infixus hæream acutus, moleſtus, infeſtans eos claſſe, ne unquam conculcent meas vites.

CHORUS. Sed conquirere oportet hominem & lapidibus eum obruere, & perſequi e loco in locum, donec inveniatur tandem. Nam ego lapidibus eum petendo ſatiari non poſſum.

DICÆOPOLIS, CHORUS, UXOR, FILIA, CEPHISOPHO, EURIPIDES, LAMACHUS.

DICÆOPOLIS. Ore favete, ore favete.

CHORUS. Silete omnes. Audiſtisne hunc faventiam imperare? hic ipſus eſt, quem quærimus. Sed huc omnes concedite: nam, ut videtur, iſte homo ſacruficaturus prodit.

DICÆOPOLIS. Ore favete, ore favete. Procede paulo ulterius, tu caniſtrifera: erectum autem phallum ſtatuat Xanthia.

UXOR. Depone caniſtrum, ô filia, ut ſacra auſpicemur.

FILIA. Mater, huc mihi porrige trullam, ut pulte perfundam placentam hancce.

DICÆOPOLIS. Iſta quidem apparaſtis bene. O magne Dionyſe, adnue, ut qui grato animo hanc pompam tibi duxi, & ſacruficavi cum familiaribus, proſpere agitem Dionyſia ruralia, militia defunctus, utque mihi bene cedant induciæ tricennales.

UXOR. Age, filia, da operam, ut caniſtrum bella belle portes, vultu auſtero, thymbramque tuens. O quam beatus erit, qui te inibit, facietque ut muſtelæ non minus videantur viſire, quam tu, ſub lucis exortum! Progredere, & in turba ſedulo cave, ne quis clam tuum arrodat aurum.

DICÆOPOLIS. Vos, ô Xanthia, erectum oportet tenere phallum pone caniſtriferam: ego vero ſubſequens Phallicum accinam: tu vero, mulier, ſpecta me de tecto. Procede. Phalle, Bacchi amice, comiſſationum ſocie, noctivage, adulter, puerorum amator, ſexto te demum adloquor anno, in pagum meum revorſus lubenti animo, poſtquam inducias mihimet pactus ſum, ærumnis & præliis & Lamachis defunctus. Multo enim eſt jucundius, ô Phalle, Phalle,

si quis inveniens lignatricem venustam, Strymodori ancillam, furantem ligna ex Phelleo, sublimem mediam arripiat, humique prosternat, & ibidem permolat, ô Phalle, Phalle. Si nobiscum potaveris, hesterno vino gravis, mane pacis catinum sorbebis: clypeus autem in fumo pendebit.

CHORUS. Iste ipse est, iste. Jace, jace, jace, jace: percute impurum istum. Annon jacies, nonne?

DICÆOPOLIS. O Hercules! quid hoc est? ollam mihi confringetis.

CHORUS. Quin te lapidibus obruemus, ô impurum caput.

DICÆOPOLIS. Quamobrem, ô maxume omnium Acharnensium senes?

CHORUS. Istuc rogas? impudens es & sceleratus, ô proditor patriæ, qui quum solus ex nobis inducias pépegeris, tamen audes adspicere me.

DICÆOPOLIS. Nescitis utique quamobrem pepigerim. Itaque audite.

CHORUS. Tene ut ego audiam? peribis. Obruemus te lapidibus.

DICÆOPOLIS. Nequaquam, priusquam audiatis. Sed reprimite vos, ô boni.

CHORUS Non me reprimam; neque tu jam verba feceris: nam odi te Cleone adhuc pejus, quem ego aliquando concidam Equitibus in soleas. Ex te autem longam orationem non audirem, qui amicus factus es Laconibus; sed pœnas de te sumam.

DICÆOPOLIS. O boni, Laconas missos facite, & audite an recte inducias pepigerim.

CHORUS. At quo modo possis id recte factum dicere, si modo semel pepigisti cum illis, quibus nec ara, nec fides, nec jusjurandum certum manet?

DICÆOPOLIS. At equidem scio Laconas, quos nimis premimus odio, non esse omnium malorum nobis causam.

CHORUS. Non omnium vero, ô nequissume? hæccine audes dicere palam coram nobis? & tamen ego tibi parcam?

DICÆOPOLIS. Non omnium, inquam, non omnium. Quin ego, quem videtis, ipse varie ostendere possim, eos etiam in nonnullis injuriam pati.

CHORUS. Istud jam verbum acerbum est, & cor meum perturbat, si tu audebis pro hostibus apud nos verba facere.

DICÆOPOLIS. Et, nisi dixero, quæ justa sunt, ac populo talia videbuntur, super trunco lanionio posita cervice volo verba facere.

CHORUS. Age, ô populares, cur parcimus lapidibus, quin hunc concerpamus ut lanam puniceæ vesti faciundæ.

DICÆOPOLIS. En qualis fuligo iracundiæ rursus in vobis exardescit! non audietis, non audietis me, quæso, ô Acharnidæ?

CHORUS. Non sane audiemus.

DICÆOPOLIS. Indigne ergo mecum agetur.

CHORUS. Dispeream, si audivero.

DICÆOPOLIS. Nequaquam, ô Acharnici.

CHORUS. Scito te jam moriturum.

DICÆOPOLIS. Faciam ergo quod vos mordeat. Contra enim occidam illos, qui amicorum vostrorum sunt vobis carissumi. Quippe a vobis habeo obsides, quos jugulabo.

CHORUS. Dicite mihi, viri populares, quid minatur hoc verbum Acharnicis? num cujuspiam nostrûm, qui adsumus, gnatum tener intus conclusum? aut quanam fiducia fretus tam audax est?

DICÆOPOLIS. Jacite, si voltis, lapides: at ego hunc perdam: mox autem cognoscam, ecquem vostrûm tangit carbonum cura.

CHORUS. Periimus! cophinus iste meus est popularis. Sed ne faxis, quod instituisti: nequaquam ô nequaquam.

DICÆOPOLIS. Utique hunc occidam: ejula quantumvis; etenim haud auscultabo.

CHORUS. Perdes ergo æqualem istum meum & amicum carbonarium.

DICÆOPOLIS. Nec vos, quæ dicerem, auscultabatis modo.

CHORUS. At nunc dic, si tibi videtur, vel de Lacedæmoniis

ipſis, quodcunque animo tuo collubitum eſt. Nam iſtum ego cophinulum haud deferam unquam.

DICÆOPOLIS. Jamprimum mihi lapides effundite humi.

CHORUS. En tibi humi jacent: tu etiam viciſſim depone gladium.

DICÆOPOLIS. Sed videndum ne in palliis forte ſuperſint abſconditi lapides.

CHORUS. Excuſſi ſunt humi. Nonne vides, ut excutitur pallium? ſed ne mihi cauſas finge; verum depone gladium: nam & ſinus excutitur hicce, dum ſaltans in alteram partem convertor.

DICÆOPOLIS. Debebatis ergo clamorem omnes tollere, ſimulque lapides excutere: parum autem abfuit quin peſſum irent carbones Parnaſii, idque propter imprudentiam ſuorum popularium: adeoque formidine preſſus fuit hic cophinus, ut atri pulveris, ad morem ſepiæ, multum mihi cacaverit. Enimvero viris periculoſum eſt tam immiti eſſe animo, ut ſtatim jaculentur & clamitent, nolintque auſcultare æquas conditiones, qualem ego offero, quum volo ſuper trunco lanionio dicere omnia, quæcunque pro Lacedæmoniis dixero: & tamen amo etiam vitam meam ego.

CHORUS. Cur itaque non dicis, foras prolato trunco lanionio, quodcunque tandem, ô perdite, dicendum habes tanti momenti? quid enim cogites, audire prorſus aveo. Sed, quemadmodum ipſe tibi pœnam decreviſti, huc truncum ſtatue, poſtque incipe dicere.

DICÆOPOLIS. En, videte. Iſte eſt truncus lanionius: vir autem qui verba faciet, hic, ego inquam, tantillus. Clypeo me non muniam hercle; ne id putetis. Dicam autem pro Lacedæmoniis, quæ mihi videantur, quamvis multa timeam. Nam & animi agricolarum ſcio quam valde geſtiant, ſi ipſos & civitatem laudet homo quispiam jactator, qua jure qua injuria. Atque hîc tum non advertunt animum ſe venundari. Senum item novi ingenium, ut nihil ſpectent, quam calculo ut mordeant. Ipſe quoque quid a Cleone ſim paſſus, ſcio, propter comœdiam præterito anno editam; nam me in Senatum protractum calumniatus eſt, & falſa in me effutiit crimina, & magno

verborum fragore obtudit, & maledictis perfudit, ut minimum abfuerit, quin perirem, fœdatus ejus conviciis. Nunc igitur primum, antequam verba faciam, sinite me amiciri in modum hominis miserrimi.

CHORUS. Quid tam versute & dolose moliris, atque moras nectis? sumas per me licet ab Hieronymo umbrosam aliquam & hirsutam Orci galeam: deinde expande machinationes Sisyphi: nam istud certamen nullam excusationem admittet.

DICÆOPOLIS. Tempus nunc est ut fortem animum adsumam, & mihi adeundus est Euripides. Puer, puer!

CEPHISOPHO. Quis iste?

DICÆOPOLIS. Estne intus Euripides?

CEPHISOPHO. Non intus est, intus est, si mentem habes.

DICÆOPOLIS. Quomodo intus, & rursum non intus?

CEPHISOPHO. Recte, ó senex. Animus quidem foris colligens versiculos non intus est: ipse autem intus in sublimi sedens facit tragœdiam.

DICÆOPOLIS. O terbeate Euripide, qui servum habes tam sapienter respondere doctum! evoca ipsum.

CEPHISOPHO. At fieri hoc nequit.

DICÆOPOLIS. Attamen. Non enim abierim: sed pultabo januam. Euripide, Euripidisce, ausculta mihi, si unquam auscultasti cuiquam. Dicæopolis vocat te Chollides, ego, inquam.

EURIPIDES. Sed non est otium.

DICÆOPOLIS. Sed te huc promoveri jube.

EURIPIDES. Sed id fieri non potest.

DICÆOPOLIS. Attamen.

EURIPIDES. Sed promovebor quidem: verum descendendi non est otium.

DICÆOPOLIS. Euripide --

EURIPIDES. Quid vociferaris?

DICÆOPOLIS. In sublime evectus tragœdias facis, quum idem liceat humi? non temere est, quod claudos fingis. Quid vero?

pannos ex tragœdia habes, veſtem miſerabilem. Non temere eſt, quod mendicos fingis. Sed per ego te genua obſecro, mi Euripide, da mihi panniculum aliquem veteris fabulæ; nam me oportet recitare Choro longam orationem, quæ quidem mortem mihi adfert, ſi dixero male.

EURIPIDES. Nam quos tibi dem pannos? num illos, in quibus Œneus iſte certavit, infelix ſenex?

DICÆOPOLIS. Non Œnei erant, ſed adhuc miſerioris.

EURIPIDES. Vin' cœci pannos Phœnicis.

DICÆOPOLIS. Non Phœnicis, non inquam. Sed alius quis erat Phœnice miſerior.

EURIPIDES. Quasnam homo iſte tandem laceras petit veſtes? num illas mendici Philoctetæ dicis?

DICÆOPOLIS. Non: ſed multo magis mendicioris iſto.

EURIPIDES. Numquid ſordidum vis amictum, quem habuit claudus Bellerophontes ille?

DICÆOPOLIS. Non Bellorophontes; ſed & ille quidem erat claudus, mendicus, garrulus, diſertus.

EURIPIDES. Novi hominem: Telephum Myſum dicis.

DICÆOPOLIS. Telephum inquam: hujus da mihi, obſecro, velamina.

EURIPIDES. Tu, puer, da ei laceras veſtes Telephi: jacent autem ſupra Thyeſteas, mediæ inter Inus pannos.

CEPHISOPHO. En accipe.

DICÆOPOLIS. O Jupiter, qui omnia perſpicis & ſpecularis, adnue ut miſerrumum exorner in modum. Euripide, quandoquidem iſta indulſiſti mihi, da mihi & alia, quæ ad pannos hoſce pertinent, Myſium capiti pileolum. Quippe oportet mendicum me adſimulare hodie, eſſe quidem, qui ſum, ſed eum non videri; ſpectatores quidem ſcire me, qui ſiem, chorum autem ſtolidum adſtare, ut eum verbulis ludificer.

EURIPIDES. Dabo: nam prudenti animo ſubtilia machinaris.

DICÆOPOLIS. Dii tibi bene faciant; Telepho autem, ut ego

cupio. Euge! ut jam plenus vocularum fio! ſed opus eſt mihi etiam baculo, qualem mendici gerunt.

EURIPIDES. Cape hunc, & abſcede a lapideis poſtibus.

DICÆOPOLIS. Vides, anime mi, ut repellar ab ædibus, licet adhuc mihi multa ſupellectile ſit opus: nunc igitur fac inſtes obnixe perendo, mendicando, & flagitando. Euripide, da mihi ſportellam lucerna peruſtam.

EURIPIDES. Quid tibi, ô miſer, uſus eſt opere illo plectili?

DICÆOPOLIS. Uſus quidem nullus: id tamen adſumere volo.

EURIPIDES. Moleſtum eſſe te mihi ſcias, & ab ædibus diſcede.

DICÆOPOLIS. Eheu! Dii te perinde, ut matrem tuam olim, felicitent!

EURIPIDES. Faceſſe hinc jam.

DICÆOPOLIS. Nondum, obſecro: ſed unum modo da mihi caliculum, præfractum cui labrum ſiet.

EURIPIDES. Accipe iſta & aufer. Scias vero te moleſtum eſſe ædibus.

DICÆOPOLIS. Nondum ſcis hercle, quantis me afflictas malis. At, ô ſuaviſſume Euripide, hoc tantum da mihi, ollulam ſpongia obturatam.

EURIPIDES. Tu homo, adimes mihi omnem tragœdiam; cape hanc & abi.

DICÆOPOLIS. Abeo. Sed quid agam? Etenim unum eſt adhuc, quo indigeo, quod niſi nactus fuero, perii. Audi, ô dulciſſume Euripide: iſtæc ſi accipiam, abibo, & non accedam amplius: in ſportellam da mihi tenuia olerum folia.

EURIPIDES. Perdes me: en tibi. In nihilum redactæ ſunt fabulæ meæ.

DICÆOPOLIS. Sed nihil amplius petam; verum abibo: etenim moleſtus ſum nimis, non reputans odioſum me fieri regibus. Hei mihi miſero! ut perii! oblitus id ſum, in quo res omnes meæ ſitæ ſunt. Euripidiſce dulciſſume, ô cariſſume, peſſumis exemplis peream,

ſi

ſi quid a te petiero amplius, præter unicum, hoc ſolum, hoc ſolum. Scandicem da mihi a matre acceptam tua.

EURIPIDES. Homo contumeliam dicit. Ædium compinge fores.

DICÆOPOLIS. O anime, ſine ſcandice erit eundum. Num ſcis quantum certamen mox certaturus ſis, dum ſuſtinebis pro Lacedæmoniis dicere? procede nunc, anime mi: iſti ſunt carceres. Reſtas? non ibis, licet Euripidem imbiberis? laudo te: age nunc, ærumnoſum cor meum, illuc abi; deinde caput illic præbe, & dic quæcunque tibi videbuntur, aude, i, procede, age, cor meum.

CHORUS. Quid facies? quid dices? Scito jam impudentem te eſſe & ferreum hominem, qui civitati præbens cervices ſolus omnibus vis contradicere.

SEMICHORUS. Homo iſte intrepidus rem aggreditur. Eia age, quandoquidem ipſemet cupis verba facere.

DICÆOPOLIS. Ne mihi ſuccenſeatis, ſpectatores, ſi mendicus apud Athenienſes dicturus ſum de republica in comœdia: nam & comœdia novit quod juſtum eſt. Ego autem dicam acerba quidem, ſed juſta. Non enim nunc me calumniabitur Cleo, quod peregrinis præſentibus civitati convicia dicam. Quippe ſoli ſumus, ludique fiunt in Lenæo: & nondum peregrini adſunt; nec enim tributa veniunt, neque ex urbibus ſocii: ſed ſoli ſumus nunc & perpurgati, omnique carentes gluma; nam civium glumam advenas vocare ſoleo.

Equidem Lacedæmonios impenſe odi: atque utinam ipſe Neptunus, qui in Tænaro colitur, terræ motu excitato, omnibus ſubvertat domos: nam & mihi ſunt ab illis vites exciſæ. Verumenimvero (dicam enim libere, quoniam amici ſunt, qui orationi huic interſunt) cur iſtorum cauſam in Lacedæmonios conferimus? Noſtrum enim quidam, ô viri, non civitatem univerſam dico; memineritis iſtud, quod non civitatem dico: ſed homunciones peſſumi & pravæ notæ, infames, adulterini, ſemicives calumniis vexarunt Megarenſes: & ſi quis melopeponem forte videret, aut lepuſculum, aut porcellum, aut allium, aut micam ſalis, *Megarica hæc ſunt*, aiebant, & corſepta vendebantur eodem die. Atque hæc quidem levia & vernacula.

Sed vero Simætham meretricem profecti Megara aduleſcentes quidam clam rapiunt ebrii: poſt illa Megarenſes dolore exacerbati duas contra ſurripiunt meretrices familiares Aſpaſiæ: & inde occepit bellum erumpere Græcis univerſis, ex tribus inquam ſcortis. Hinc Pericles ille Olympius præ iracundia fulminabat, tonabat, conturbabat Græciam, leges ferebat ſcoliorum ad exemplum ſcriptas, ut Megarenſibus nec in Attica regione, nec in foro, nec in inſulis, nec in continenti liceret manere. Tum vero Megarenſes, quum jam eſurirent ſenſim, Lacedæmonios orarunt, ut eorum ope decretum immutaretur illud propter ſcorta factum: at noluimus nos, illis ſæpe deprecantibus. Hinc jam ſtrepitus armorum exoriebatur. *Dicet aliquis: Non oportuit. Verum, quid oportuit, dicite.* Si quis Lacedæmoniorum profectus navi, per calumniam Seriphiis ademtum vendidiſſet catellum, ſediſſetisne domi, neglectis Seriphiis? multum certe abeſt: immo quam citiſſume deduxiſſetis naves trecentas, fuiſſetque urbs plena tumultu militum, clamoribus de triremium eligendis præfectis, ſtrepitu ſtipendia accipientium, Palladia deaurantium, trudentium ſe confertim in porticum, ubi admetiuntur frumenta: plena utribus, ſcalmorum loris, cados ementibus, alliis, olivis, cepis in reticulis, corollis, ſardinis, tibicinis, ſuggillis: navale vero annon plenum fuiſſet lignis ad fabricandos remos aptis, clavis ſonantibus, coriis foramina, per quæ remi exſeruntur, munientibus, tibiis, celeuſma canentibus, incitamentis & ſibilis? ſcio utique hæc vos facturos fuiſſe: *Telephum autem non idem putamus facere? vobis itaque mens non ineſt.*

SEMICHORUS. Siccine vero, ô perdite, & impuriſſume? hæc tu, qui mendicus es, audes in nos dicere, & exprobras, ſi quis inter nos fuit vitiligator?

SEMICHORUS. Ita me Neptunus amet, quæcunque dicit juſta ſunt & vera, nihilque mentitur.

SEMICHORUS. Ergone, ſi juſta erant, hunc ea dicere oportebat? ſed cum magno malo ſuo hæc auſus erit dicere.

SEMICHORUS. Eho tu, quo curris? non manebis? nam ſi percutis hunc virum, ipſe mox ſublimis rapiere.

SEMICHORUS. Io Lamache, io fulgur emittens oculis, fer opem, ades, ô terrificas criſtas celeri quatiens motu, io Lamache, ô amice, ô tribulis: tum ſi quis eſt manipuli ductor, aut dux exercitus, ſive oppugnator mœnium, propere ſuccurrat aliquis; nam medius teneor.

LAMACHUS. Unde clamorem audivi bellicum? ubi auxilio, ubi tumultu facto eſt opus? quis Gorgonem e theca excitavit meam?

SEMICHORUS. O Lamache heros, criſtarum & cohortium --

SEMICHORUS. O Lamache, nonne enim iſte homo dudum univerſæ urbi noſtræ maledicit?

DICÆOPOLIS. O Lamache heros, ignoſce, obſecro, ſi, mendicus quum ſim, aliquid dixi, & nugas blateravi.

LAMACHUS. Quid ergo in nos dixti? nonne eloquere?

DICÆOPOLIS. Haud memini amplius: nam præ metu armorum vertigine laboro. Sed obſecro te, aufer a me terriculamentum clypei tui.

LAMACHUS. En.

DICÆOPOLIS. Nunc eum huc colloca ſupinum.

LAMACHUS. Jacet.

DICÆOPOLIS. Cedo mihi nunc pennam de galea.

LAMACHUS. Eccam tibi pennam.

DICÆOPOLIS. Tene nunc meum caput, ut vomam. Nauſeam enim mihi movent criſtæ.

LAMACHUS. Heus tu, quid cogitas? vin' tibi hac penna vomitum ciere?

DICÆOPOLIS. Quippini? dic mihi ergo cujusnam ſit iſta penna.

LAMACHUS. Alitis eſt.

DICÆOPOLIS. Numquid glorioſi cujusdam?

LAMACHUS. Heu! quam mox peribis!

DICÆOPOLIS. Nequaquam, ô Lamache. Non enim vi res hæc

agitur. Si autem viribus polles, quin me verpum facis? nam bene vaſatus es.

LAMACHUS. Hæccine tu, mendice, in ducem exercitus dicis?

DICÆOPOLIS. Egone mendicus?

LAMACHUS. Quis ergo es?

DICÆOPOLIS. Quisnam? civis bonus, non ambitioſus; verum, ex quo bellum durat, militans: tu vero, ex quo bellum durat, mercenarius dux es.

LAMACHUS. Suffragiis enim me crearunt --

DICÆOPOLIS. Cuculi tres ſcilicet. Hæc itaque ego averſatus, inducias pepigi, quod viderem canos quidem viros in acie; juvenes autem, tui ſimiles, fugitantes laborem, quoſdam in Thracia, qui tres drachmas merebant, Tiſamenos, Phænippos, & Hipparchidas nequiſſumos: alios apud Charetem: alios in Chaonia, Geretes, Theodoros, glorioſosque Diomenſes: alios in Camarina, in Gela, & in Catagela.

LAMACHUS. Nam ſuffragiis erant creati duces.

DICÆOPOLIS. Quæ autem cauſa eſt, cur vos quidem mercedem accipiatis undecunque, iſtorum autem nemo? Quæſo, Marilade, an tu, qui jam canus es, legationem unquam obiiſti, nec ne? renuit: & tamen iſte modeſtus eſt & laboris amans. Quid vero Dracyllus, & Euphorides, aut Prinides? novitne aliquis veſtrûm Ecbatana, aut Chaonas? negant: ſed novit ille de Cœſyræ proſapia & Lamachus, quibus nuper, propter ſtipem non collatam & æs alienum, amici omnes, ut ſolent qui veſperi aquam per feneſtras effundunt qua pedes abluere, dicebant, *Abſcede.*

LAMACHUS. O plebis licentia! hæccine ergo ſunt toleranda?

DICÆOPOLIS. Non ſane, ſi Lamachus ſtipendia non mereat.

LAMACHUS. At ego advorſum Peloponneſios omnes bellum ſemper geram, eosque quavis ratione laceſſitos, navibus, terreſtribusque copiis, commotos reddam, quantum potero.

DICÆOPOLIS. Ego vero prædico Lacedæmoniis omnibus & Me-

garenſibus & Bœotiis, ut emant vendantque in foro meo: ſed Lamacho non.

CHORUS. Homo iſte vincit argumentis, & populum inducit, ut mutata ſententia probet inducias: ſed accingamus nos ad anapæſtos recitandos.

Ex quo poëta noſter comicis animum adpulit choris, nondum prodiit ſpectatoribus dicturus ſcitum lepidumque ſe eſſe. Quoniam autem falſo inſimulatur ab inimicis apud Athenienſes præcipites conſili, quaſi civitatem ludibrio ſibi habeat, populumque proſcindat conviciis, opus eſt ut reſpondeat illis apud Athenienſes mutare ſolitos conſilia. Ergo autumat poëta multorum ſe vobis bonorum auctorem eſſe, cujus opera factum, ut non amplius tam facile patiamini vobis a peregrinis verba dari, nec adulatoribus delectemini, nec remiſſe rempublicam adminiſtretis. Antehac autem legati ab urbibus miſſi, ſi vellent vos circumvenire, primo *violis coronatos* vos appellabant; quod ſimulac dixerat quiſpiam, ſtatim propter *coronas* in primoribus natibus ſedebatis. Tum ſi quis vobis ſubpalpans diceret, *O nitidæ & pingues Athenæ!* is quam vellet rem conficiebat, ob pinguedinem, qua vos, tanquam apuas, perunxerat. Hæc quia fecit poëta, multorum bonorum cauſa vobis exſtitit: tum etiam oſtendit ſociarum civitatum incolas, ut populari regantur imperio. Itaque jam ex urbibus tributum vobis adferentes venient, videre cupientes poëtam hunc præſtantiſſumum, qui periculum non refugit quominus diceret Athenienſibus quæ juſta ſunt. Tam late autem ejus audaciæ fama pervagata eſt, ut & Magnus Rex, legatos explorans Lacedæmoniorum, ſciſcitatus fuerit ex ipſis primum, utri claſſe prævalerent: deinde, utris poëta iſte multa convicia dicat: hos enim homines inquiebat meliores futuros, & bello longe ſuperaturos, qui ejus uterentur conſiliis. Propterea Lacedæmonii vos ad pacem invitant, & Æginam ſibi reddi flagitant, non quod inſulam illam tanti faciant, ſed ut poëtam hunc e prædiis ſuis ejiciant. Sed vos neutiquam timeatis, ne quando comœdias docens traducat, & in ludibrium vertat juſta conſilia: autumat vero ſe multa bona vos

docturum, ut beati fiatis, non ſuppalpando, non mercedem oſtentando fautoribus, non fraudibus aut verſutiis fallendo, nec laudibus demulcendo; ſed ea ipſa quæ optuma erunt docendo. Proinde Cleomachinetur, & quidlibet advorſum me ſtruat: nam a meis partibus honeſtum & juſtum ſtabit, nec unquam deprehendar erga rempublicam talis, qualis ille eſt, timidus & morboſiſſumus.

SEMICHORUS. Huc ades, Muſa, quæ flagrantem ignis habes vim, acuta Acharnica, qualiter e prunis ilignis favilla ſubſilit, quando torrendi impoſiti ſunt piſciculi, dum alii Thaſiam miſcent recentem muriam, alii pinſunt farinam; ſic veni rapidum carmen, intenſum, agreſte, tecum ferens, ad me popularem tuum.

CHORUS. Nos ſenes vetuſti civitatem incuſamus: non enim pro dignitate rerum a nobis in præliis navalibus geſtarum alimur in ſenectute; ſed acerba perpetimur a vobis: qui, quando nos ſenes litibus implicaveritis, ab oratoribus aduleſcentibus nos ſinitis haberi ludibrio, quum nihil ſimus amplius, ſed hebetes & detriti, quibus pro Neptuno Tutore eſt baculus. Stamus autem murmurantes ad lapideum tribunal, nihil videntes præter nebulam Juſtitiæ circumfuſam. At juvenis, qui ſecum meditatus eſt cauſas orare, cito reum ferit rotundis, quæ copulat, verbis; deinde protractum interrogat, tendiculas verborum ſtatuens, Tithonum lacerans, turbans, vexans: at iſte præ ſenectute labia contrahit; deinde multam debens abit: poſtea ſingultit & lacrimat, amicisque dicit: *Quo mihi ſandapila erat emunda, hoc multatus abeo.*

SEMICHORUS. Hoccine modo æquum eſt ſenem perdere, canum hominem, apud Clepſydram, qui multos labores cum ſodalibus pertulit, & calidum abſterſit virilem ſudorem, eumque uberem, qui fortem ſe præſtitit Marathone pro republica? Itane vero, quum vigebamus, hoſtem Marathone perſequendo premimus, & nunc ab hominibus improbis premimur criminibus, & condemnamur demum? Quis Marpſias contra hæc aliquid dicet?

CHORUS. Quomodo enim æquum eſt, hominem ſenio incurvum, qualis eſt Thucydides, perire, tanquam Scythicæ implica-

rum ſolitudini, negotium habentem cum hoc Cephiſodemo, loquaci cauſidico? Quippe miſeratus ſum, & lacrimas mihi deterſi, quum vidi a ſagittario vexari ſenem virum, Thucydidem illum, qui, ita me Ceres amet, quum integer eſſet ævi, ne Cererem quidem ipſam facile paſſus fuiſſet ſibi moleſtam eſſe: verum primum quidem luctando dejeciſſet Euathlos decem, clamando autem & vociferando ſuperaſſet ſagittariorum tria millia, tum ſagittis confixiſſet ſagittarii ipſius paternos cognatos. Sed quandoquidem nos ſenes ſomnum capere non ſinitis, decreto publico ſciſcite cauſarum cognitiones ſeorſum fieri, ut advorſum ſenem ſenex oret edentuluſque cauſidicus, junioribus autem obponatur cinædus & loquax, & Cliniæ filius. Et judicio quidem malos perſequi oportet deinceps: at ſi quis agatur reus, multam irroget ſenex ſeni, juvenis autem juveni.



DICÆOPOLIS, MEGARENSIS, PUELLÆ, SYCOPHANTA, CHORUS.

DICÆOPOLIS. Isti sunt limites fori mei. Hîc mercari Peloponnesiis licet & Megarensibus, & Bœotiis, ea lege ut mihi vendant, Lamacho autem non. Agoranomos autem, qui foro præsint, constituo tres sorte lectos, quibus lora sunto Lepreatica. Huc neque sycophanta ingreditor, nec alius quicunque Phasianus est homo. Ego autem columnam inscriptam formula, juxta quam inducias pepigi, arcessam, ut eam collocem conspicuam in foro.

MEGARENSIS. Salve forum Atticum, gratum Megarensibus! desiderabam te, ut matrem, ita me Jupiter amet præses amicitiæ. Sed ô ærumnosæ puellæ miseri patris, ascendite ad mazam, si modo eam alicubi inveniatis. Audite, quæso, & mihi advortite ventrem: utrumne vendi voltis, an esurire pessume?

PUELLÆ. Vendi, vendi.

MEGARENSIS. Ipse equidem optumum hoc censeo. Verum quis adeo ineptus sit, qui vos emat, damnum manifestarium? sed est mihi Megarica quædam fabrica. Porcellorum ad speciem vos adornabo, & porcellos me ferre dicam. Induite istas porcellorum ungulas, & date operam, ut videamini ex bona scrofa editæ. Nam, ita me Mercurius amet, si domum redieritis, extrema famis & pessuma mala experiemini. Age induite & hæc rostra; deinde in saccum sic irrepite: videte autem, ut grunniatis, & *coï* dicatis, & mittatis vocem porcellorum mysticorum. Ego vero vocabo Dicæopolin. Ubi est Dicæopolis? Vin' porcellos emere?

DICÆOPOLIS. Quid? homo Megaricus?

MEGARENSIS. Ad mercatum venimus.

DICÆOPOLIS. Quomodo vos habetis?

MEGARENSIS. Eſurimus aſſidue ſedentes ad ignem.

DICÆOPOLIS. Atqui hercle ſuave eſt ad ignem ſedere, ſi adſit tibicen: verum quid aliud agitis nunc?

MEGARENSIS. Rogas? ſane quum inde ad mercaturam proficiſcebar, Proviſores id dabant operam, ut quam citiſſume & peſſume periremus.

DICÆOPOLIS. Mox ergo liberabimini a malis.

MEGARENSIS. Quippini?

DICÆOPOLIS. Quid aliud vero Megaris agitur? quanti venit frumentum?

MEGARENSIS. Apud nos eodem honore & pretio eſt, quo Dii.

DICÆOPOLIS. An ergo ſalem affers?

MEGARENSIS. Annon vos ſalinas tenetis?

DICÆOPOLIS. Ne quidem allia?

MEGARENSIS. Quæ, malum, allia, quorum vos ſemper, quum irruptionem in agrum noſtrum facitis, tanquam ruſtici mures, capita paxillo effoditis?

DICÆOPOLIS. Quid ergo fers?

MEGARENSIS. Equidem porcos ſacres.

DICÆOPOLIS. Pulchre dicis. Oſtende.

MEGARENSIS. Utique pulchri ſunt. Suſtolle, ſi lubet: hem, quam pinguis iſte & pulcher!

DICÆOPOLIS. Quid hoc rei erat?

MEGARENSIS. Porcus mehercle.

DICÆOPOLIS. Quid ais tu? cujas eſt hic porcus?

MEGARENSIS. Megaricus. Annon porcus eſt?

DICÆOPOLIS. Mihi quidem non videtur.

MEGARENSIS. Nonne hoc abſurdum eſt? ſpectate hominis incredulitatem! negat hunc eſſe porcum. Atqui, ſi placet, mecum da pignus in ſalem cum thymo tritum, niſi ſit iſte porcus Græcorum more.

DICÆOPOLIS. Porcus eſt quidem, ſed hominis.

MEGARENSIS. Ita, per Dioclem juro, & quidem mei. Tu vero illos cujus esse putas? vin' grunnientes audire?

DICÆOPOLIS. Equidem, ita me dii ament.

MEGARENSIS. Mitte ocius vocem, porcelle. Non usus est tibi silentio, perditissume: Mercurium adjuro, domum reportaberis denuo.

PUELLA. Coï, coï.

MEGARENSIS. Estne hic porcus?

DICÆOPOLIS. Nunc quidem porcus videtur; sed si probe nutriatur quinque annos, cunnus fiet.

MEGARENSIS. Certo scias, matri exæquabitur.

DICÆOPOLIS. Sed ne quidem sacrificari hic potest.

MEGARENSIS. Quidum? Qua de causa sacrificari non potest?

DICÆOPOLIS. Caudam non habet.

MEGARENSIS. Juvenculus enim est: sed adultus habebit magnam & crassam & rubram. Sed si alere vis, hic tibi porcus bonus est.

DICÆOPOLIS. Quam germanus est hujus cunnus alteri!

MEGARENSIS. Est enim ex eadem matre & ex eodem patre. Si vero crassior factus fuerit, & pullulantibus obsitus pilis, aptissumus erit porcus, qui Veneri sacrificetur.

DICÆOPOLIS. Sed Veneri porcus sacrificari non solet.

MEGARENSIS. Non porcus Veneri? immo solæ deorum omnium: & fit porcorum istorum caro suavissuma, cum figitur veru.

DICÆOPOLIS. Jamne vero sine matre comederent?

MEGARENSIS. Ita sane, per Neptunum juro; quin etiam sine patre.

DICÆOPOLIS. Quid autem potissumum comedunt?

MEGARENSIS. Quidquid dederis. Ipsus ab illis quære.

DICÆOPOLIS. Porce, porce.

PUELLA I. Coï, coï.

DICÆOPOLIS. Comederesne cicer?

PUELLA I. Coï, coï, coï.

DICÆOPOLIS. Quid vero? caricasne?

PUELLA I. Coï, coï.

DICÆOPOLIS. Tu vero quid? comederesne eas etiam?

PUELLA II. Coï, coï.

DICÆOPOLIS. Quam acute ad caricas clamant! Efferat aliquis huc intus caricas porcellis. Anne etiam comedent? Papæ! quanto vorant cum ſtrepitu, ô venerande Hercules! Cujates ſunt iſti porcelli? nempe ex *Voracia* videntur eſſe. Sed fieri non poteſt, ut omnes caricas comederint.

MEGARENSIS. Niſi quia unam earum ſuſtuli hancce.

DICÆOPOLIS. Edepol lepidæ ſunt iſtæ pecudes. Quanti emerim a te hos porcellos? age.

MEGARENSIS. Alterum quidem alliorum manipulo: alterum vero, ſi tibi collubuerit, unico ſalis chœnice.

DICÆOPOLIS. Emam abs te. Opperire hic.

MEGARENSIS. Hæc quidem proſpere ceſſerunt. Mercuri, lucri dator, adnue, ut uxorem meam ſic vendam, meamque ipſius matrem.

SYCOPHANTA. Heus tu, cujas es?

MEGARENSIS. Porculator Megaricus.

SYCOPHANTA. Proinde porcellos iſtos, teque ipſum deferam, tanquam hoſtiles.

MEGARENSIS. Ecce iterum hoc ipſum redit, unde nobis exortum eſt principium malorum.

SYCOPHANTA. Cum magno tuo malo megariciſſabis: nonne dimittes ſaccum?

MEGARENSIS. Dicæopoli, Dicæopoli, deferor a neſcio quo.

DICÆOPOLIS. Quis eſt, qui te defert? vos vero, Agoranomi, nonne excludetis quadruplatores foras? Quid, malum, ô ſtolide, quadruplare ſine funali?

SYCOPHANTA. Annon deferam hoſtes?

DICÆOPOLIS. Cum magno tuo malo, niſi aliorſum abeas, ubi calumniam exerceas.

MEGARENSIS. Quale hoc Athenis ineſt malum!

DICÆOPOLIS. Bono animo es, Megarice. Age, quo porcellos vendidisti pretio, accipe allia ista & salem; multumque vale.

MEGARENSIS. Sed valere apud nos moris non est.

DICÆOPOLIS. In meum ergo caput vertat, quia minus opportune dixi.

MEGARENSIS. O porcelli, facite nunc periculum, an sine patre possitis edere mazam cum sale, si modo quis dederit.

CHORUS. Sane iste homo beatus est: nonne audivisti, quo evadat consilium illud? lucrum faciet ille in foro desidens; & si quis ingressus fuerit Ctesias, aut delator alius, ejulans sedebit: nec alius quisquam clam obsonans tibi damnum dabit, nec affricabit Prepis impudicitiam suam tibi, nec in turba truderis a Cleonymo; verum lænam habens nitidam transibis: nec obviam tibi factus Hyperbolus litibus te implebit: nec in foro ambulans congredietur te Cratinus, semper forficibus cinædice tonsus: nec improbissumus ille Artemo, nimis expeditus arte musica, cui graveolens hircus in alis cubat: neque etiam te ludibrio habebit in foro Pauson ille pessumus, nec Lysistratus, Cholargensium opprobrium, sceleribus, quasi purpura, tinctus, algens & esuriens assidue plus triginta diebus quot mensibus.

BŒOTUS, DICÆOPOLIS, NICARCHUS, CHORUS, FAMULUS Lamachi, PRÆCO, AGRICOLA, PARANYMPHUS, NUNTII, LAMACHUS.

BŒOTUS. Testis sit Hercules, ut mihi pessume dolet callus humeri. Depone placide pulegium, Ismenia: vos vero, quotquot adestis Thebani tibicines, osseis tibiis inflate canis culum.

DICÆOPOLIS. Desine; in malam rem. Non facessent a foribus crabrones? unde advolarunt perditissumi ad januam mihi rauciſoni tibicines, pulli Chæridis?

BŒOTUS. Me volente sane, hospes, abierint in malam rem, ita mihi faveat Iolaus: nam inde a Thebis pone me flantes, etiam flores pulegii depulerunt humi. Sed, si lubet, eme quidpiam istorum, quæ fero, gallos gallinaceos, aut cicadas.

DICÆOPOLIS. O salve Bœotule, collicum helluo, quid fers?

BŒOTUS. Quidquid omnino boni est apud Bœotos, origanum, pulegium, storeas, ellychnia, anates, graculos, attagenas, phalaridas, regulos, mergos--

DICÆOPOLIS. Ergo quasi tempestas, quæ aves sternit humi, venisti ad forum.

BŒOTUS. Quin etiam fero anseres, lepores, vulpes, talpas, erinaceos, feles, pyctidas, lutras, anguillas Copaicas.

DICÆOPOLIS. O qui suavissumum piscem fers hominibus, da mihi copiam illas salutandi, si fers anguillas.

BŒOTUS. Maxuma virginum quinquaginta Copaidum, exi, & huic hospiti gratificare.

DICÆOPOLIS. O dilectissuma & dudum expetita, venisti desiderabilis comicis choris, grata etiam Morycho. Vos famuli efferte

foculum mihi huc & flabellum. Spectate, pueri, pulcherrumam anguillam, quæ desiderata, vix demum sexto venit anno: salutate ipsam, ô filii: prunas autem vobis præbebo, hujus hospitæ gratia. Sed intro aufer ipsam; nunquam enim ego, ne mortuus quidem, sine te velim esse, si cum betis cocta sis.

BŒOTUS. Hujus autem pretium quo pacto mihi solvetur?

DICÆOPOLIS. Hanc dabis mihi tanquam vectigal fori. Sed siquid vendis ex ceteris istis, dic.

BŒOTUS. Equidem omnia.

DICÆOPOLIS. Cedo, quanti ea æstimas? aut alias hinc merces vis reportare domum?

BŒOTUS. Quidquid Athenis est, quod non sit apud Bœotos.

DICÆOPOLIS. Apuas itaque emes & asportabis, aut fictilia.

BŒOTUS. Apuas, inquis, aut fictilia? atqui hæc sunt illic; sed quod apud nos non est, hîc autem affatim.

DICÆOPOLIS. Equidem scio: asporta igitur quadruplatorem, sicut vas fictile ligatum.

BŒOTUS. Ita me Dioscuri ament, scilicet multum lucrifacerem, si abducerem, tanquam simium flagitiis multis plenum.

DICÆOPOLIS. Sed eccum commode huc venit Nicarchus iste quempiam delaturus.

BŒOTUS. Parvæ utique staturæ hic est.

DICÆOPOLIS. Sed nihil nisi nequitia.

NICARCHUS. Cujusnam sunt istæ merces?

BŒOTUS. Hujus hominis, mei, inquam, ex Thebis: testis sit Jupiter.

NICARCHUS. Itaque hicce ego ista defero, utpote hostilia.

BŒOTUS. Quid, malum, eo te impellit, ut cum avibus bellum pugnamque ineas?

NICARCHUS. Immo te quoque deferam insuper.

BŒOTUS. Quanam in re læsus?

NICARCHUS. Dicam equidem tibi, istorum gratia qui hîc adstant: ab hostibus importas ellychnia.

DICÆOPOLIS. Itane, quæso, propter ellychnia hominem defers?

NICARCHUS. Quippe unum eorum facile incenderet navale.

DICÆOPOLIS. Ellychnium incenderet navale?

NICARCHUS. Arbitror.

DICÆOPOLIS. Quo pacto?

NICARCHUS. Bœotius aliquis id infixum blattæ & incensum immitteret in navale per canalem, observato Boreæ flatu vehementiore, & si corriperet naves ignis semel, extemplo flammis collucerent cunctæ.

DICÆOPOLIS. O perditissume! itane vero collucerent flammis ob blattam & ellychnium?

NICARCHUS. Antestor.

DICÆOPOLIS. Comprime ei os: da mihi sarmenta, ut eum illigem, feratque Bœotus, tanquam vas fictile, ne frangatur inter ferundum.

CHORUS. Illiga bene, vir optume, hospiti mercem hanc, ut ne eam inter portandum frangat.

DICÆOPOLIS. Id mihi curæ erit, quandoquidem tinnitus ejus arguit garrulum quiddam, & igni ruptum, & diis invisum.

CHORUS. Quidnam vero faciet illo?

DICÆOPOLIS. Vas erit ad omnia utile: crater malorum, trapetum litium, candelabrum ad reddendæ rationi obnoxios patefaciendos, & calix, in quo negotia mista turbentur.

CHORUS. Sed quomodo quis secure utatur ejusmodi vase, cujus continuo strepitu tantopere personat domus?

DICÆOPOLIS. Firmum est, ô bone, ut non facile frangatur unquam, si pedibus suspendatur demisso capite.

CHORUS. Jam bene satis colligatus est.

BŒOTUS. Equidem constitui manipulos meos colligere.

CHORUS. Itaque, hospes optume, una sustolle hunc etiam prehensum, & ablatum jacito quocunque lubet, aptum ad omnia sycophantam.

DICÆOPOLIS. Vix colligavi tandem hominem male perditum. Accipe & ſuſtolle hoc fictile vas, ô Bœotie.

BŒOTUS. Agedum ſubmitte calloſum humerum, Ismeniche, & operam da, ut feras iſtum caute.

DICÆOPOLIS. Nihil utique boni feres, ſed tamen id ſaltem lucri feceris, hoc ferens onus: beatus eris quadruplatorum gratia.

FAMULUS LAMACHI. Dicæopoli.

DICÆOPOLIS. Quis eſt? quid me vocas?

FAMULUS. Quia poſtulat a te Lamachus, ut ſibi pro iſta drachma turdos impertias aliquot ad Choas: poſtulat etiam ut ſibi tribus drachmis vendas anguillam Copaicam.

DICÆOPOLIS. Qualis eſt ille Lamachus, qui anguillam petit?

FAMULUS. Ille terribilis, ille laborum patiens, qui clypeum Gorgone inſignitum concutit, motans tres umbroſas criſtas.

DICÆOPOLIS. Non ei mehercle venderem, etiamſi mihi daret illum ſuum clypeum: ſed ad ſalſamenta criſtas ſuas motans ſe conferat: ſi autem tumultuabitur, Agoranomos advocabo. Ego autem adſumtis his, quæ emi, intrabo *ſublatus alis turdorum & merularum.*

CHORUS. Vidiſtis, vidiſtis, ô cives omnes, virum prudentem & ſapientiſſumum, ut ei nunc, poſtquam inducias pepigit, omnia coëmere liceat, quæ ſolent a mercatoribus advehi, quorum alia domi ſunt utilia, alia comedentem juvant, tepida cœnæ adpoſita. Simul etiam magnos ſpiritus ſumit, hasque plumas ante oſtium projicit, documento futuras opipari victus: bona huic ſponte ſuggeruntur omnia. Martem ego nunquam excipiam domo, neque apud me unquam Harmodium cantabit mecum accumbens, quia vinolentus & contumelioſus homo eſt, qui ad nos omnibus abundantes bonis comiſſabundus irruens, omnia nobis intulit mala, evertens, effundens, & cædens etiam, tametſi eum ſæpe invitabamus comiter his verbis: *Bibe, accumbe, cape hoc amicitiæ poculum.* At ille multo magis flammam admovebat ridicis, effundebatque noſtrum vinum violenter e vitibus.

DICÆOPOLIS.

DICÆOPOLIS. O Veneris venuſtæ, & amicarum Gratiarum ſocia Pax, mene ignoraſſe, quam pulchra eſſes facie? Utinam me & te copulet Amor aliquis, coronatus roſis, ut iſte pictus! aut forte putas me nimis eſſe ſenem? ſed ſi te prehendam, videor mihi adhuc tria tibi applicaturus commoda: primo quidem ducam viticulæ longum ſulcum; deinde juxta hunc tenera germina ficuum, & tertio loco vitis palmitem plantabo ille ego ſenex, & circa prædium omne ſeram oleas, ut ambo ungamur oleo feſtis noviluniis.

PRÆCO. Audite populi. More patrio congiis potate ad tubæ clangorem: qui autem exhauſerit primus, utrem Cteſiphontis accipiet.

DICÆOPOLIS. O pueri, ô mulieres, nonne audiviſtis? quid agitis? non auſcultatis præconi? Elixas facite, torrete, verſate in igne, detrahite a verubus carnes leporinas: ocius corollas nectite: cedo vericula, ut figam turdos.

CHORUS. Laudo fortunas tuas, ob eam, qua polles, prudentiam, multoque magis, mi homo, ob præſentes epulas.

DICÆOPOLIS. Quid ergo dicetis, quando videbitis turdos, ut aſſabuntur?

CHORUS. Arbitror & hoc te recte dicere.

DICÆOPOLIS. Sarculo ſuſcita ignem.

CHORUS. Audiſtine, ut more coquino, ſciteque & cœnatorie ſibi omnia adminiſtrari jubeat?

AGRICOLA. Hei mihi miſero!

DICÆOPOLIS. Pro Hercules! quis iſte?

AGRICOLA. Homo infortunatus.

DICÆOPOLIS. Ergo quo occepiſti, perge tua via.

AGRICOLA. O cariſſume, quandoquidem induciæ tibi ſoli pactæ ſunt, admetire mihi aliquid pacis, ſaltem in quinquennium.

DICÆOPOLIS. Quid mali tibi accidit?

AGRICOLA. Interii amiſſo boum pari.

DICÆOPOLIS. Unde?

AGRICOLA. E Phyla ceperunt Bœotii.

DICÆOPOLIS. O termiſerum! nihilominus tamen læna amiciris candida?

AGRICOLA. Qui quidem, ita me Jupiter amet, alebant me fimo bovino, quaſi omni genere deliciarum.

DICÆOPOLIS. Quid igitur opus eſt tibi?

AGRICOLA. Oculos meos corrupi, boves illos deflendo. Sed, ſi tibi curæ eſt Dercetes Phylaſius, Pace unge mihi oculos ocius.

DICÆOPOLIS. At, ô miſer, medicinam publice non facio.

AGRICOLA. Age vero obſecro, unge, ſi forte boves meos recuperare poſſiem.

DICÆOPOLIS. Haud potis eſt: ſed abi ploratum ad Pittali diſcipulos.

AGRICOLA. Saltem unam guttam Pacis in iſtum calamum inſtilla.

DICÆOPOLIS. Ne tantillum quidem: ſed quo vis abi & ejula.

AGRICOLA. Heu me infelicem amiſſorum boum!

CHORUS. Homo iſte per ſuas inducias aliquid nactus eſt dulcedinis: nec videtur quemquam participem facturus.

DICÆOPOLIS. Perfunde has lactes melle: aſſa ſepias.

CHORUS. Audin' altam ejus vocem?

DICÆOPOLIS. Torrete anguillas.

CHORUS. Enecabis me vicinosque fame & nidore & clamore, talia vociferans.

DICÆOPOLIS. Torrete iſta, & facitote ut pulchre flaveſcant.

PARANYMPHUS. Dicæopolis.

DICÆOPOLIS. Quis iſte? quis iſte?

PARANYMPHUS. Miſit tibi carnes has ſponſus quis e nuptialibus epulis.

DICÆOPOLIS. Benigne fecit, quisquis eſt.

PARANYMPHUS. Orat autem, ut, carnium iſtarum gratia, infundas in hunc alabaſtrum cyathum Pacis unicum, ne militatum abire cogatur, ſed domi manens uſque futuat aſſiduo.

DICÆOPOLIS. Aufer, aufer iſtas carnes, & ne mihi dederis;

nam non infunderem, etſi mille drachmas dares. Sed mulier iſta quænam eſt?

PARANYMPHUS. Pronuba eſt, volt ſponſæ nomine aliquid tibi dicere ſoli.

DICÆOPOLIS. Agedum tu, quid dicis? — Quam ridicula, pro dii immortales, eſt petitio ſponſæ, enixe flagitantis a me, ut ſponſi penis domi manere queat. Fer huc mihi inducias ut dem ei ſoli, quoniam femina eſt, & indigna, quæ belli adficiatur incommodis. Huc age mulier, ampullam porrige. -- Sciſne quomodo utendum ſit iſto? Dic ſponſæ, quando militum fiet delectus, noctu hoc inungat ſponſi mentulam. -- Aufer inducias: cedo trullam, ut vinum infundam in congios.

CHORUS. Sed eccum huc feſtinat aliquis contracto ſupercilio, quaſi horrendum quiddam nuntiaturus.

NUNTIUS I. O labores, & prælia, & Lamachi!

LAMACHUS. Quis circum ædes æreis phaleris inſignes ſtrepit?

NUNTIUS I. Proficiſci te jubent Prætores hodie ſumtis celeriter cohortibus & criſtis, & aditus regionis cuſtodire, licet ningat. Nam ſub ipſum Choum Chytrorumque feſtum nuntiavit illis aliquis prædones Bœotios incurſionem feciſſe in agros.

LAMACHUS. O Prætores quanto plures tanto pejores!

DICÆOPOLIS. Nonne moleſta hæc res eſt, quum nec feſtum celebrare mihi licet? ô exercitum bellolamachaicum!

LAMACHUS. Væ miſero mihi! tune derides me jam?

DICÆOPOLIS. Visne pugnare cum Geryone quatuor pennis criſtato?

LAMACHUS. Ah ah! qualem mihi præco nuntium adtulit!

DICÆOPOLIS. Ah ah! mihi vero qualem adportabit iſte, qui huc adcurrit?

NUNTIUS. II. Dicæopolis.

DICÆOPOLIS. Quid eſt?

NUNTIUS II. Ad cœnam propere abi, & fer tecum ciſtam cum congio; namque te arceſſit Bacchi Sacerdos: ſed feſtina: convivas

moraris dudum. Cetera enim omnia parata ſunt, tori, menſæ, pulvinaria, ſtragula, coronæ, unguentum, bellaria; ſcorta adſunt, amyli, placentæ, liba ſeſamo ſparſa, cruſta, ſaltatrices pulchræ, Harmodi deliciæ. Sed quam citiſſume propera.

LAMACHUS. Me miſerum!

DICÆOPOLIS. Quippe tu magna Gorgone inſigniſti clypeum tuum. Occludat quis oſtium & cœnam paret.

LAMACHUS. Puer, puer, effer huc mihi ſportam.

DICÆOPOLIS. Puer, puer, effer huc mihi ciſtam.

LAMACHUS. Salem thymo intritum fer, puer, & cepas.

DICÆOPOLIS. Mihi autem piſces: nam cepas faſtidio.

LAMACHUS. Folio involutum fer huc mihi ſalſamentum vetus.

DICÆOPOLIS. Et tu mihi, puer, libum in folio: id autem illic aſſabo.

LAMACHUS. Fer huc mihi pennas illas de galea.

DICÆOPOLIS Mihi vero palumbos fer & turdos.

LAMACHUS. Pulchra eſt & candida ſtruthocameli penna.

DICÆOPOLIS. Pulchra eſt & flava palumbi caro.

LAMACHUS. Mi homo, deſine armaturam meam deridere.

DICÆOPOLIS. Mi homo, potin' es, ut ad turdos non reſpicias?

LAMACHUS. Thecam mihi effer, in qua triplex recondita eſt criſta.

DICÆOPOLIS. Et mihi da lancem carne refertam leporina.

LAMACHUS. Utique crinivoræ tineæ criſtas meas corroſerunt.

DICÆOPOLIS. Utique ante cœnam lactes leporinas comedam.

LAMACHUS. Mi homo, potin' es, quin me alloquaris?

DICÆOPOLIS. Non te alloquor: ſed ego & puer rixamur dudum. Vin' pignus mecum dare, Lamacho judice, utrum locuſtæ ſint ſuaviores, an turdi.

LAMACHUS. Vah! ut contumelioſus es!

DICÆOPOLIS. Locuſtas judicat multo ſuaviores.

LAMACHUS. Puer, puer, haſtam deprome & huc effer mihi.

DICÆOPOLIS. Puer, puer, fartum inteſtinum deprome & fer huc.

LAMACHUS. Age, vaginam haſtæ detraham; tene, puer, obnitere.

DICÆOPOLIS. Et tu, puer, iſtud tene, & obnitere.

LAMACHUS. Fer, puer, fulcra mei clypei.

DICÆOPOLIS. Mei etiam fulcra effer, panes e clibano.

LAMACHUS. Fer huc orbem clypei Gorgonem in tergo habentem.

DICÆOPOLIS. Et mihi orbem placentæ caſeum in tergo habentem.

LAMACHUS. Annon hic deriſus eſt hominibus multus?

DICÆOPOLIS. Annon hæc placenta eſt hominibus dulcis?

LAMACHUS. Perfunde tu, puer, æreum clypei umbonem oleo Video in clypeo imaginem ſenis, qui reus erit timiditatis.

DICÆOPOLIS. Tu melle placentam perfunde. Hic quoque perſpicua eſt ſenis imago, plorare jubentis Lamachum Gorgaſium.

LAMACHUS. Fer huc, puer, loricam bellicam.

DICÆOPOLIS. Loricam & mihi, puer, effer congium.

LAMACHUS. Hac ego advorſum hoſtes pectus muniam.

DICÆOPOLIS. Hoc ego advorſum compotores pectus muniam.

LAMACHUS. Stragulis, puer, alliga clypeum: ego autem hanc ſportam ſumam & ipſemet mihi geſtabo.

DICÆOPOLIS. Cœnam, puer, alliga ciſtæ: ego autem hanc veſtem ſumam & abibo.

LAMACHUS. Clypeum tolle, puer, & ambula. Ningit. Papæ! hiberna hæc negotia.

DICÆOPOLIS. Tolle cœnam. Convivalia hæc negotia.

CHORUS. Ite jam læti in militiam. Quam diſſimiles vias ingredimini! ille quidem bibet coronatus: tu autem algebis & excubias ages. Ille dormiet cum puella formoſiſſuma: tu vero penem tibi fricabis.

SEMICHORUS. Antimachum illum Pſacadis filium, hiſtoricum & poëtam, ut aperte dicam, male perdat Jupiter: qui me infelicem, feſto Lenæorum choragus dimiſit incœnatum. Quem utinam

aliquando videam ſepiæ comedendæ cupidum : & illa toſta, in ſartagine ſtridens, cum ſale in menſa jacens, in cœnaculum appellat; deinde quum voluerit ille eam prehendere, canis rapiat & aufugiat.

SEMICHORUS. Præter iſtud malum, aliud ei nocturnum eveniat : febricitans domum ex equitatione ſe recipiat : deinde ebrius quis Oreſtes furore percitus caput ei comminuat : ille autem lapidem in eum jacere volens in tenebris manu prehendat merdam recens cacatam, faciatque impetum tenens illiusmodi lapidem, tum aberrans ſcopo, feriat Cratinum.

FAMULUS LAMACHI, LAMACHUS, DICÆOPOLIS, CHORUS.

FAMULUS. O ſervuli, qui eſtis in ædibus Lamachi, aquam, aquam in ollula calefacite, linteola, ceratum parate, lanam ſuccidam, faſciam ligando malleolo pedis. Vir ille vulneratus eſt ſude, dum tranſiliret foſſam, & malleolus ipſi luxatus eſt, & caput fregit impingens lapidi; & Gorgonem e clypeo excitavit: quum autem terribilis illa pinna cecidiſſet ad petras, Lamachus horrendum edidit carmen: *O inclytum lumen, nunc extremum te videns linquo lucem meam.* Tantum elocutus, in canalem lapſus, ſurgit, & in fugitivos quoſdam incidit, prædones perſequens & haſta premens. Sed eccum adeſt ipſe: ocius aperi januam.

LAMACHUS. Attapattata! acerbos dolores & frigus, quibus crucior! Interii miſer, hoſtili percuſſus lancea. Illud ergo lamentabile & ejulabile mihi eſſe poſſit; namque ſi me videat Dicæopolis vulneratum, illudet mihi, ridebitque meum infortunium.

DICÆOPOLIS. Attalattata! Papillæ iſtæ quam duræ ſunt, & ſimiles cydoniis malis! date mihi ſavium, aureæ, & morſiunculas, & collabellate oſcula. Nam congium primus exhauſi.

LAMACHUS. O triſtis caſus meorum malorum! heu, heu, vulnera excruciantia!

DICÆOPOLIS. Io, io, ſalve Lamache eques!

LAMACHUS. Ah me miſerum!

DICÆOPOLIS. Ah me ærumnoſum!

LAMACHUS. Quid tu me blande compellas?

DICÆOPOLIS. Quid tu me mordes?

LAMACHUS. Miſer ego propter duram in prælio ſymbolam!

DICÆOPOLIS. Ergone hoc Choum feſto ſymbolas quis exigebat?

LAMACHUS. Io io, Pæan, Pæan!

DICÆOPOLIS. Sed non celebrantur hodie Pæonia.

LAMACHUS. Prehendite, prehendite meum crus. Papæ! tenete me, ô amici.

DICÆOPOLIS. Vos autem meum penem ambæ medium prehendite, ô amicæ.

LAMACHUS. Vertigine laboro caput percuſſus lapide, & tenebræ mihi offunduntur.

DICÆOPOLIS. At ego concumbere volo, quia tentigine rumpor, & in tenebris futuere geſtio.

LAMACHUS. Foras efferte me in domum Pittali pæoniis manibus.

DICÆOPOLIS. Ad judices me efferte. Ubi eſt Rex? date mihi utrem.

LAMACHUS. Infixa eſt meis oſſibus dolorifica lancea.

DICÆOPOLIS. Videte hunc congium vacuum. Io triumphe!

CHORUS. Io triumphe ergo, quandoquidem tu vocas, ô ſenex!

DICÆOPOLIS. Et inſuper, meraciore infuſo, uno ſpiritu exhauſi.

CHORUS. Io triumphe! ô generoſe, i, ſumto utre.

DICÆOPOLIS. Sequimini jam cantantes *Io triumphe.*

CHORUS. Age ſequemur tua cauſa, Io triumphe! cantantes te & utrem.

FINIS ACHARNENSIUM.

ARISTOPHANIS
PAX.

DRAMATIS PERSONÆ.

FAMULI DUO TRYGÆI.
TRYGÆUS.
PUELLÆ filiæ Trygæi.
MERCURIUS.
BELLUM.
TUMULTUS.
CHORUS.
HIEROCLES.
FALCARIUS.
CRISTARIUS.
LORICARIUS.
TUBICEN.
GALEARUM FABER.
HASTARIUS.
PUER LAMACHI.
PUER CLEONYMI.

FAMULI, TRYGÆUS, PUELLÆ, MERCURIUS, BELLUM, TUMULTUS, CHORUS.

FAMULUS I. Fer, fer turundam quam citiſſume ſcarabæo.

FAMULUS II. Ecce.

FAMULUS I. Da perditiſſumo illi.

FAMULUS II. Atque utinam tu ſuaviorem hac nunquam turundam comedas!

FAMULUS I. Da offam aliam ex aſinino formatam ſtercore.

FAMULUS II. Ecce autem rurſus.

FAMULUS I. Ubi vero eſt, quam modo ferebas? annon devoravit eam?

FAMULUS II. Sane hercle. Quin ereptam glomeravit pedibus totamque deglutivit.

FAMULUS I. Sed quam primum tere multas & ſpiſſas.

FAMULUS II. Viri ſterquilinilegi, ferte mihi opem, per deos obſecro, niſi voltis committere, ut præfocer.

FAMULUS I. Aliam, aliam da pueri cinædi: tritam enim cupere ſe autumat.

FAMULUS II. Ecce. Unam quidem, ô viri, ſuſpicionem a me ſegregaturus mihi videor. Nemo enim dixerit me inter pinſendum mazam comedere.

FAMULUS I. Phui! fer aliam, & aliam, & aliam; aliasque præterea tere.

FAMULUS II. Haud equidem hercle. Non enim amplius queo ſentinam hanc perpeti: ipſam itaque una cum ſcarabæo ſumam & intro auferam.

FAMULUS I. Ita edepol in malam rem, & te ipſum inſuper.

FAMULUS II. Voſtrûm autem, ſi quis novit, dicat mihi, unde emere poſſim naſum non perforatum. Nullum enim opus ærumnoſius eſt, quam ſcarabæo pinſentem cibum præbere. Nam ſus aut canis, ita ut cacaveris, facile & celeriter vorat: iſte autem præ ſuperbia faſtidit, & comedere non dignatur, niſi toto die teram, eique adponam, tanquam mulieri, turundam ſubactam. Sed an deſierit edere, ſpeculabor, forem pauxillum ſic aperiens, ne me videat. Incumbe, ne deſinas unquam edere, uſquedum imprudens diſrumparis. En, ut pronus vorat execrabilis ille, tanquam luctator, maxillas contorquens; caput interea manusque quodammodo circumducens, ut ii qui craſſos rudentes in naves onerarias convolvunt. Res immunda & fœtida & vorax eſt iſte ſcarabæus. Nec cujusnam deorum ſit hoc peculium ſcio: haud ſane Veneris mihi videtur eſſe nec Gratiarum.

FAMULUS I. Cujus ergo eſt?

FAMULUS II. Haud fieri poteſt, quin ſit hoc ſignum Jovis Fulgeratoris.

FAMULUS I. Jam igitur ſpectatorum aliquis dicat, juvenis forſan opinione ſua ſapiens: *Quid hoc rei eſt? Quorſum pertinet iſte ſcarabæus?* Deinde ipſi vir Ionicus aliquis adſidens dicat: *Ad Cleonem, ni fallor animi, pertinet hoc; nam ille impudenter merdam comedit.* Sed domum ingreſſus ſcarabæo dabo bibere.

FAMULUS II. At ego hujus rei rationem pueris, & aduleſcentibus, & viris, illiſque qui viros ætate ſuperant, ediſſeram, illisque etiam qui ultra communem virorum ſortem, longiorem vitæ capiunt uſuram. Herus meus novum inſanit in modum, non quo vos, ſed alio plane novo. Per totum enim diem cœlum ſuſpiciens hianti ore ſic increpat Jovem, aitque: O Jupiter, quid vis facere? depone ſcopas: ne verre Græciam —

TRYGÆUS. Eheu! eheu!

FAMULUS II. Silete: nam ejus vocem audire mihi videor.

TRYGÆUS. O Jupiter, quid demum facere noſtro populo cogitas? non animadvertis te urbes noſtras exhaurire?

FAMULUS II. Hoc nimirum illud malum eſt, quod dicebam: nam ſpecimen inſaniæ ejus auditis. Quæ autem ſtatim ab initio dixit, quando eum cœpit agitare bilis, audietis. Secum enim hoc in loco ita loquebatur: *Utinam poſſem recta via ad Jovem pergere!* Deinde tenuibus ſcalu'is fabricatis, eas conſcendebat, pedibusque & manibus nitens, in cœlum conabatur ſcandere, donec præcipiti caſu cervices defregit ſibi. Poſtea heri, quum ſe proruiſſet, neſcio quorſum, foras, domum revorſus eſt cum Ætneo maxumo ſcarabæo, & deinde me ejus equiſonem eſſe coëgit. Atque ipſe demulcens eum, tanquam pullum equinum, *O Pegaſule mi*, inquit, *generoſe ales, fac ut me vehens ad Jovem recta voles.* Sed quid agat, ſpectabo, ſic per clathros exſerens caput. Hei mihi miſero! adeſte huc, adeſte, ô vicini: herus enim meus ſublimis tollitur in aërem, ſcarabæo, tanquam equo, inſidens.

TRYGÆUS. Placidus, placidus, ſenſim, ô ſcarabæe, ne mihi ferociter nimis incede, ſtatim a principio robore fretus, priusquam ſudaveris, & ſolveris artuum nervos alarum motu vehementi; & ne ſpira mihi tetrum odorem, obſecro te: ſin iſtuc facturus es, hîc potius maneas noſtris in ædibus.

FAMULUS II. O here, mi domine, ut deliras!

TRYGÆUS. Sile, ſile.

FAMULUS II. Quorſum, quæſo, ſublimis volitas temere?

TRYGÆUS. Græcorum omnium cauſa volito, audax molitus inſolensque facinus.

FAMULUS II. Quid volitas? quid fruſtra inſanis?

TRYGÆUS. Ore favere decet, & nihil mali omnino mutire, ſed bona verba dicere: hominibusque dic ut ſileant, atque ut fimeta & cloacas novis lateribus inſtaurent, podicesque claudant.

FAMULUS II. Nullo pacto a me impetrabis ut ſileam, niſi mihi dixeris, quorſum volare cogitas.

TRYGÆUS. Quorſum, niſi ad Jovem in cœlum?

FAMULUS II. Qua mente?

TRYGÆUS. Interrogaturus eum, quid de Græcis univerſis facere conſtitutum habeat.

FAMULUS II. Si autem id tibi non declararit?

TRYGÆUS. Scribam ei dicam, ut qui prodat Græciam Perſis.

FAMULUS II. Nunquam, ita me Bacchus amet, hoc me vivo facies.

TRYGÆUS. Fieri aliter nequit.

FAMULUS II. Iu, iu, iu! O puellæ, deſerit vos ſolas pater, in cœlum proficiſcens clanculum. Sed orate patrem, ô miſeræ.

PUELLA. O pater, ô pater, ergone vera ædibus noſtris fama venit, te cum avibus, me deſerentem, ad corvos iturum evanidum? Eſtne aliquid horum revera? Dic, ô pater, ſi me amas.

TRYGÆUS. Arbitrari licet, ô filiæ; illud autem eſt certiſſumum, dolore me premi, quando vos panem petitis, *pappam* me vocitantes, domi autem ne gutta quidem argenti eſt omnino. Si autem re bene geſta rediero, habebitis mature ſemper collyram magnam, & cum ea pugnum obſoni loco.

PUELLA. Ecqua tibi erit itineris conficiendi ratio? navis enim te non vehet viam hanc.

TRYGÆUS. Alatus vehet me pullus: haud navigabo.

PUELLA. Quæ vero mens tua eſt, quî ſcarabæo juncto veharis ad deos, ô pater?

TRYGÆUS. In Æſopi fabulis invenitur, ut ſolus ille omnium volucrum ad deos pervenerit.

PUELLA. Incredibilem memoras fabulam, ô pater, pater, ut olens beſtia ad deos venerit.

TRYGÆUS. Venit propter inimicitias quas olim cum aquila gerebat, ut ejus ova in præceps devolveret, ſicque eam ulciſceretur.

PUELLA. Quidni ergo aligerum jungebas Pegaſum, ut diis videreris magis tragicus.

TRYGÆUS. At, ô miſella, duplici commeatu mihi opus fuiſſet: nunc autem quos ipſus comedero cibos, iisdem hunc alam.

PUELLA. Quid si in profundas ceciderit maris undas, quomodo emergere poterit, volucris quum siet?

TRYGÆUS. Data opera clavum habeo, quo utar: navis autem mihi erit Naxi fabricatus cantharus.

PUELLA. Quis autem te portus fluctu delatum excipiet?

TRYGÆUS. Nimirum in Piræeo est Canthari portus.

PUELLA. Illud provide ne impingas, & illinc delabaris; deinde claudus Euripidi argumentum præbeas, & tragœdia fias.

TRYGÆUS. Mihi quidem hæc curæ erunt: sed valete. Vos vero, quorum gratia istos labores tolero, ne visite, neu cacate cis tres dies. Nam si olfecerit in sublime elatus iste, præcipitem me dabit & spe dejiciet. Sed age, Pegase, lætus incede, aurato freno strepitum excita, micans auribus. Quid agis, quid agis? quo detorques nares ad cloacas? tolle te ipsum audacter a terra, & deinde pernices alas pandens, recta perge ad Jovis aulam, a merda nasum abstinens, & a quotidianis cibis omnibus. Heus tu homo, quid facis, tu, inquam, qui cacas in Piræeo ad lupanar? perdes me, perdes: nonne defodies, & super ingeres terræ quam plurimum, summoque in tumulo plantabis serpillum, & unguentum infundes? nam si hinc delapso gravius mihi quid acciderit, mortis meæ pœnas dabit Chiorum civitas, quinque talentis multata propter tuum culum. Hei mihi! ut paveo! nec amplius joco hoc dico. O machinarie, advorte animum ad me: jam torquet se mihi flatus aliquis circa umbilicum, &, nisi cautionem adhibeas, scarabæo saginam dabo. Sed prope a diis esse me puto, atque jam perspicio Jovis ædem. Ecquis tutelam Jovis januæ gerit? nonne aperietis?

MERCURIUS. Unde vocis humanæ ad me accidit sonus? O dive Hercules! quid hoc mali est?

TRYGÆUS. Hippocantharus.

MERCURIUS. O impure tu & audax & impudens, & impure, & nimium impure, & impurissume, quomodo huc ascendisti, ô impurorum impurissume? quodnam est nomen tibi? nonne dices?

TRYGÆUS. Impurissumus.

MERCURIUS. Cujas es? dic mihi.

TRYGÆUS. Impuriſſumus.

MERCURIUS. Pater tibi quis eſt;

TRYGÆUS. Mihine? impuriſſumus.

MERCURIUS. Haud cauſam dices, per Tellurem juro, quin moriaris illico, niſi profitearis mihi quid tandem ſit nominis tibi.

TRYGÆUS. Trygæus Athmonenſis, vinitor probus, non ſycophanta, nec litium amans.

MERCURIUS. Quamobrem vero veniſti?

TRYGÆUS. Ut carnes haſce tibi ferrem.

MERCURIUS. O miſelle, ſatin' ſalvus venis?

TRYGÆUS. O guloſe, viden' ut jam tibi non videor eſſe impuriſſumus? age nunc voca ſis mihi Jovem.

MERCURIUS. Eheu, eheu, eheu! quod ne tantam quidem emenſus viam prope ad deos acceſſurus es. Abſunt enim, ut qui heri emigrarint.

TRYGÆUS. Quo terrarum?

MERCURIUS. Perii! *terrarum* ais?

TRYGÆUS. Quorſum ergo?

MERCURIUS. Perquam procul, in penitiſſumum abditiſſumumque cœli receſſum.

TRYGÆUS. Quomodo ergo tu hîc ſolus es relictus?

MERCURIUS. Deorum adſervo reliqua vaſcula, ollulas, tabellas & amphorulas.

TRYGÆUS. Sed quapropter emigrarunt dii?

MERCURIUS. Quia Græcis irati ſunt: ideo quem ipſi antea obtinebant locum, eum Bello incolendum dederunt, eique permiſerunt, ut vos tractet plane arbitratu ſuo. Ipſi autem ſurſum quam longiſſume migrarunt, ut ne viderent vos amplius præliantes, nec ſupplicantes ſibi prorſus ſentirent.

TRYGÆUS. Sed cur nobiſcum ita agi voluerunt? dic mihi.

MERCURIUS. Quia belligerare malebatis, pacem illis ſæpe conciliantibus. Atque ſi quando Lacones eſſent ſuperiores, ipſorum

hæc

hæc fere erant verba: *Nunc, ita me Caſtores ament, Atticus pœnas dabit.* Contra ſi Athenienſes meliuſcule rem geſſiſſent, venirentque Lacones de pace agentes, vos illico ſolebatis dicere: *Offuciis nobis os ſublinitur, ita me ſervet Minerva: Per Jovem minume mos eis gerendus eſt: venient denuo, ſi Pylum habeamus.*

TRYGÆUS. Eſt illa quidem ſermonis noſtri genuina forma.

MERCURIUS. Quamobrem neſcio an Pacem unquam ſitis viſuri.

TRYGÆUS. Quorſum ergo abiit?

MERCURIUS. Bellum eam injecit in antrum profundum.

TRYGÆUS. In quodnam?

MERCURIUS. In iſtud infimum. Deinde viden' quam multos ſuperingeſſerit lapides, ut eam nunquam prehendatis?

TRYGÆUS. Dic mihi, quidnam ergo mali jam nobis parat?

MERCURIUS. Neſcio, niſi unum hoc, eum veſperi mortarium immanis magnitudinis intuliſſe.

TRYGÆUS. Quorſum, quæſo, iſto mortario utetur?

MERCURIUS. Contundere in eo urbes cogitat. Sed ibo; etenim, ut opinor, exiturus eſt: tumultuatur utique intus.

TRYGÆUS. Hei miſero mihi! age effugiam ipſum: namque ſenſi quaſi mortari bellici ſonitum ipſe etiam.

BELLUM. Io mortales, mortales, mortales ærumnoſi, quam valde actutum maxillas dolebitis!

TRYGÆUS. O dive Apollo, quanta mortari amplitudo! quantum autem malum eſt ſolus belli adſpectus! An iſte eſt ille quem fugimus, ille truculentus, ille durus, ille divaricatis cruribus firmans gradum?

BELLUM. Io Praſiæ termiſeræ, & quinquies, & decies iterum iterumque, ut peribitis hodie!

TRYGÆUS. Iſtud quidem, ô viri, nihil adhuc ad nos pertinet: malum enim hocce eſt Laconicæ.

BELLUM. Io Megara, Megara, ut actutum conteremini, univerſa in moretum intrita.

TRYGÆUS. Papæ, papæ! quam magnos & acerbos Megarenſibus injecit fletus!

BELLUM. Io Sicilia, ut peris tu etiam! Qualis civitas comminuetur miſera! age infundam & mel hocce Atticum.

TRYGÆUS. Heus tu, auctor ſum tibi, ut alio utaris melle. Quatuor obolis hoc venit: parce Attico.

BELLUM. Puer, puer Tumultus.

TUMULTUS. Quid me vocas?

BELLUM. Male plorabis. Stasne otioſus? neſcis enim pugnum iſtum, ut ſit acerbus.

TUMULTUS. Hei mihi miſero! mi here, num allia indidiſti in pugnum?

BELLUM. Afferesne piſtillum curriculo?

TUMULTUS. At, ô bone, non eſt nobis: heri huc commigravimus.

BELLUM. Nonne vero ad Athenienſes curres petitum curſim?

TUMULTUS. Curram equidem hercle; ſin minus, plorabo.

TRYGÆUS. Agite, quæſo, quid faciemus, ô miſeri homunciones? videte quam magno verſemur in periculo. Quippe ſi piſtillum ferens venerit, iſto contundet urbes otioſe. Sed, ô Bacche, pereat, nec revorſus ferat!

BELLUM. Eho tu.

TUMULTUS. Quid eſt?

BELLUM. Non affers?

TUMULTUS. Qui, malum, afferam? Periit Athenienſibus, vides, piſtillum, coriarius, inquam, ille, qui turbabat Græciam.

TRYGÆUS. Bene ſane, ô veneranda domina Minerva, factum eſt, quod periit ille, & quidem opportuno reipublicæ tempore, antequam moretum nobis infunderet.

BELLUM. Non igitur aliud ex Lacedæmone arceſſere properabis?

TUMULTUS. Hoc ago, here.

BELLUM. Cito ergo redi.

TRYGÆUS. O viri, quid nobis fiet? nunc in ſummo res eſt

diſcrimine. Sed ſi quis forte voſtrûm in Samothracia eſt initiatus, nunc precari decet, ut qui piſtillum arceſſit, illius diſtorqueantur pedes.

TUMULTUS. Hei mihi miſero, hei mihi iterum, iterumque hei mihi!

BELLUM. Quid eſt? num non fers nunc etiam?

TUMULTUS. Periit enim & Lacedæmoniis peſſumum illud piſtillum.

BELLUM. Quomodo, ſceleſte?

TUMULTUS. In Thraciam utendum aliis quum dediſſent illud, perdiderunt.

TRYGÆUS. Bene, bene factum, ô Dioſcuri! forte benè erit: habete bonum animum, mortales.

BELLUM. Cape rurſus hæc vaſa, eaque ablue: ego vero ingreſſus piſtillum faciam.

TRYGÆUS. Nunc hoc ipſum Datidis carmen iterare commodum eſt, quod ille cantabat aliquando maſturbans meridie: *Quam lætor, quam delector, quam gaudeor!* Nunc nobis, ô Græci, tempus ſe dat opportunum, ut ſoluti litibus & præliis extrahamus Pacem omnibus caram, antequam rurſus aliud quoddam piſtillum impedimento ſit. Sed, ô agricolæ, & mercatores, & fabri, & opifices, & inquilini, & hoſpites, & inſulani, huc adeſte omnes populi, ſumtis quamprimum ligonibus & vectibus & reſtibus. Nunc enim arripere licet Boni Geni poculum.

CHORUS. Huc accedat quisque ſtrenue ad ſalutem recta. O Græci, quotquot eſtis, ſuccurramus, ſi unquam alias, ſoluti bellicis aciebus & malis cruentificis. Dies enim illuxit hæc inimica Lamacho. Proinde, ſi quid eſt opus facto, dic nobis & impera, quaſi architectus aliquis. Non enim potis eſt ut defetiſci hodie mihi videar, priusquam vectibus & machinis in lucem protraxerim illam dearum omnium maxumam & vitium amantiſſumam.

TRYGÆUS. Nonne ſilebitis, ne nimium lætabundi hoc negotio Bellum excitetis intus voſtris clamoribus.

CHORUS. At nos lætamur, audito isto de extrahenda Pace edicto; longe enim diversum est ab illo, quo toties venire jussi fuimus trium dierum commeatum habentes.

TRYGÆUS. Cavete nunc formidantes Cerberum illum, ne ira æstuans & vociferans, ut modo, quum hîc erat, impedimento nobis sit, quo minus deam extrahamus.

CHORUS. Nemo est, qui eam mihi nunc quovis pacto eripiat, si semel in meas venerit manus.

TRYGÆUS. Heu! heu! occidetis me, ô viri, nisi clamorem remittatis. Foras enim se proripiens omnia hæc conturbabit pedibus.

CHORUS. Misceat sane, & conculcet omnia, & turbet: non enim facile gaudio moderabimur hodie.

TRYGÆUS. Quid hoc mali est? quid accidit vobis, ô viri? Neutiquam, per deos obsecro, corrumpatis saltando pulcherrumum negotium.

CHORUS. Equidem hercle saltare non cogito; verum præ voluptate, me non movente, ipsa crura saltitant.

TRYGÆUS. Ne amplius etiam: sed desine, desine saltare.

CHORUS. En jam desii.

TRYGÆUS. Dicis quidem: sed nondum desinis.

CHORUS. Unam hanc choream sine me ducere, & non amplius.

TRYGÆUS. Hanc unam ergo: at ne præterea saltetis quidquam.

CHORUS. Non saltaremus, si quid tibi prodesse mus.

TRYGÆUS. Sed videte, nondum desiistis.

CHORUS. Istuc modo crus dextrum si jactavero, jam tum mehercle desinam.

TRYGÆUS. Hoc equidem vobis ita concedo, ut amplius mihi molesti ne sitis.

CHORUS. Sed & siniſtrum etiam necesse est ut nonnihil jactem. Quippe lætus sum, & lætitia differor, & pedo, & rideo, magis quam si senectam exuissem, quia clypeum effugi.

TRYGÆUS. Ne gaudete, quæso, adhuc; nondum enim certo rem scitis. Sed quando prehenderimus ipsam, tunc gaudete, &

clamate, & ridete. Quippe tum demum licebit vobis navigare, manere, futuere, dormire, interesse ludis solemnibus, epulari, cottabo ludere, Sybariticis deliciis frui, *Iu! Iu!* exclamare.

CHORUS. Utinam mihi liceat videre hunc diem aliquando. Ærumnas enim toleravi multas, & stramenta, Phormionis peculium. Nec amplius me invenies judicem acerbum & difficilem, nec asperum duramque ingenio, sed mollem me videbis, multoque mitiorem, ubi solutus fuero belli molestiis. Etenim satis longo jam tempore perimus & atterimur, dum vagamur in Lyceum & ex Lyceo cum hasta & cum clypeo. Sed quo facto tibi maxume gratificemur age eloquere: te enim imperatorem legit nobis benigna quædam fortuna.

TRYGÆUS. Age jam dispiciam, quorsum istos lapides amoliemur.

MERCURIUS. O impure & temerarie, quid facere cogitas?

TRYGÆUS. Nihil mali; sed id quod Cillicon.

MERCURIUS. Periisti homo infelix.

TRYGÆUS. Siquidem sortitio fiat: tu enim, qui Mercurius es, sortibus dirigendis quid facturus sis scio.

MERCURIUS. Periisti, interiisti.

TRYGÆUS. In quem diem?

MERCURIUS. Jam statim.

TRYGÆUS. At nihil adhucdum emi, nec farinam, nec caseum, tanquam periturus.

MERCURIUS. Atqui jam contritus es.

TRYGÆUS. Quomodo ergo non sensi me tanta affici voluptate?

MERCURIUS. Num scis Jovem prædixisse mortem illi, qui hanc effodiens deprehensus fuerit?

TRYGÆUS. Ergone nunc me mori omnino necesse est?

MERCURIUS. Scias hoc ita esse.

TRYGÆUS. Da igitur mutuas mihi tres drachmas in porcellum; oportet enim initiari me, priusquam moriar.

MERCURIUS. O Jupiter fulminator —

TRYGÆUS. Per deos obſecro, domine, ne nos indices.

MERCURIUS. Nolim ſilere.

TRYGÆUS. Immo per carnes te rogó, quas tibi ultro adtuli.

MERCURIUS. At, ô miſelle, eradicabit me Jupiter, niſi alto clamore hæc palam fecero.

TRYGÆUS. Noli nunc clamare, obſecro te, Mercuriole. Vos vero dicite mihi, quid accidit vobis? ſic ſtatis attoniti? ô perditi, ne parcite precibus; ſin minus, conſilium noſtrum enuntiabitur.

CHORUS. Neutiquam, ô domine Mercuri, neutiquam hoc feceris, ſi quem gratum & acceptum tibi porcellum a me oblatum meminiſti te comedere, nec meritum illud parvipendas iſtoc in negotio.

TRYGÆUS. Non audis, ut adulentur tibi, ô Rex domine?

CHORUS. Ne fias iratus ex propitio ſupplicibus nobis, ut iſtam nanciſci nequeamus: ſed gratificare nobis, ô humaniſſume, & munificentiſſume deorum, ſi deteſtaris Piſandri criſtas & ſupercilia: ſic te victimis ſacris, & ſupplicationibus magnificis honorabimus, ô domine, ſemper.

TRYGÆUS. Age, obſecro, miſerere ſupplicis eorum vocis, quoniam majori etiam te quam antehac cultu dignantur.

MERCURIUS. Furaciores enim nunc ſunt quam antehac.

TRYGÆUS. Atque tibi indicabo rem atrocem & magni momenti, quæ contra deos omnes ſuſcipitur.

MERCURIUS. Age, ſodes, eloquere: forte enim permoveris me.

TRYGÆUS. Namque Luna & veterator ille Sol vobis inſidiantur a longo jam tempore: Barbaris produnt Græciam.

MERCURIUS. Curnam vero id faciunt?

TRYGÆUS. Quia hercle nos quidem vobis ſacruficamus: iſtis autem barbari ſacruficant. Quocirca, ut par eſt, vellent vos omnes perire, ut ſacra, quæ ceteris diis offerri ſolent, acciperent ipſi omnia.

MERCURIUS. Hæc ergo cauſa eſt, cur dudum dies imminuerunt clanculum, & orbem arroſerunt aurigatione ſubdola.

TRYGÆUS. Rem hercle loquere. Proinde, amice Mercuri, adjuva nos alacri animo, & illam una nobiscum extrahe. Atque tibi magna illa Panathenæa celebrabimus, ceterasque omnes deorum ferias, ita ut deinceps in honorem Mercuri agitentur Myſteria, Diipolia, Adonia: tum ceteræ urbes a malis liberatæ Averruncatori ſacruficabunt Mercurio ubique: aliaque præterea multa habebis bona. Primum autem dono tibi phialam hancce do, ut ea libare poſſis.

MERCURIUS. Hei, quam miſericors ſemper ſum vaſorum aureorum gratia! Voſtrum deinceps negotium eſt, ô viri: age cum ligonibus ingreſſi ocius lapides amovete.

CHORUS. Hoc agemus: tu vero nobis, ô deorum ſapientiſſume, adſta, &, ut fabrûm præfectus, quidquid facto opus ſit, impera: ceterum invenies nos ad miniſtrandum non ignavos.

TRYGÆUS. Agedum tu ocius porrige phialam, ut opus auſpicemur deos precati.

MERCURIUS. Libatio fit, libatio: ore favete, ore favete.

TRYGÆUS. Inter libandum precamur, ut præſens dies fiat multorum bonorum Græcis omnibus initium; quique promto animo funes nobiscum contigerit, ille vir ut nunquam ſumat clypeum.

CHORUS. Edepol ne clypeum ſumam: ſed in pace potius degam ætatem, habens amicam & fodicans carbones.

TRYGÆUS. Quisquis autem bellum præoptat, is nunquam deſinat, ô dive Bacche, e cubitis ſuis telorum cuſpides eximere.

CHORUS. Tum ſi quis cupiens ordines ducere, tibi lucis uſuram invidet, ô diva Pax, in præliis idem ei contingat, quod Cleonymo ſolet.

TRYGÆUS. Tum ſi quis haſtarum faber, aut inſtitor clypeorum, ut merces ſuas melius vendat, bellum cupit, is a prædonibus captus nihil niſi hordeum comedat.

CHORUS. Tum ſi quis imperator eſſe volens non adjuverit, aut ſervus aliquis transfugere ad hoſtes parans, in rota verſetur & flagris cædatur: nobis vero bona eveniant IH ΠΑΙΩΝ IH.

TRYGÆUS. Auſer iſtud ΠΑΙΕΙΝ & dic tantum IH.

CHORUS. IH, IH ergo, IH tantum dico.

TRYGÆUS. Mercurio, Gratiis, Horis, Veneri, Cupidini --

CHORUS. Et Marti.

TRYGÆUS. Non, non.

CHORUS. Nec ſaltem Enyalio?

TRYGÆUS. Non.

CHORUS. Subtendite quisque, & funibus deducite lapidem.

MERCURIUS. O eia.

CHORUS. Eia magis.

MERCURIUS. O eia.

CHORUS. Eia adhuc magis.

MERCURIUS. O eia, ô eia.

TRYGÆUS. Sed pari jugo non trahunt viri. Nonne ſimul incumbetis? ut turgentes ſimulato niſu operam fruſtramini! male plorabitis, vos Bœotii.

MERCURIUS. Eia ergo.

TRYGÆUS. Eia ô!

CHORUS. Agite vos etiam una trahite.

TRYGÆUS. Ergone non traho, & ex fune pendeo, & incumbo, & ſerio rem gero?

MERCURIUS. Quî fit ergo, ut non procedat opus?

CHORUS. O Lamache, injurius es, qui nobis obſtas hîc ſedens: nihil opus eſt nobis, ô bone, tua Gorgone.

MERCURIUS. Nec iſti traxerunt. Dudum eſt, quum Argivi nihil aliud curant, quam ut derideant eos, qui conflictantur ærumnis, præſertim quum bifariam mereant ſtipendia.

TRYGÆUS. Sed Lacones, ô bone, trahunt ſtrenue.

MERCURIUS. Scinne vero, ut trahant? quotquot eorum ligna tractant, ii ſoli enixe incumbunt; ſed non ſinit ærarius faber.

CHORUS. Nec Megarenſes quicquam agunt; trahunt tamen, perquam avide diducentes rictum, catulorum inſtar dum oſſa arrodunt, quippe qui fame mehercle pereant.

TRYGÆUS. Nihil promovemus, ô viri: ſed uno animo omnes nos denuo adniti oportet.

MERCURIUS. O eia.

TRYGÆUS. Eia magis.

MERCURIUS. O eia.

TRYGÆUS. Eia mehercle.

MERCURIUS. O eia, ô eia.

CHORUS. Parum ſane promovemus.

TRYGÆUS. Nonne indignum eſt alios quidem tendere & trahere, alios vero retrahere? Plagas accipietis vos Argivi.

MERCURIUS. Eia ergo.

TRYGÆUS. Eia ô!

CHORUS. Quam malevoli ſunt quidam inter nos!

TRYGÆUS. Vos ergo, qui pacis cupiditate flagratis, trahite fortiter.

CHORUS. Sed ſunt, qui impediunt.

TRYGÆUS. Viri Megarenſes, nonne malo cruciatu hinc faceſſetis? odit enim vos Dea, alliorum memor, quibus illam unxiſtis primi. Vobis etiam Athenienſibus edico, ut deſinatis iſti adhærere parti, unde nunc trahitis: non enim niſi judiciis exercendis occupati eſtis. Sed ſi cupitis illam extrahere, ad mare nonnihil recedite.

CHORUS. Agite, ô viri, capeſſamus jam opus nos ſoli agricolæ.

MERCURIUS. Procedit ſane negotium multo magis vobis, ô viri.

CHORUS. Ait procedere negotium: ſed enitere quisquis ades.

TRYGÆUS. Profecto ſoli agricolæ opus extrahendo peragunt, & nemo alius.

CHORUS. Age nunc, age quisque. Atqui jam prope eſt: ne ergo remittamus, ſed intendamus fortius: jamjam confectum eſt negotium. O eia nunc, ô eia omnes; ô eia eia, ô eia cia, ô eia eia, ô eia omnes.

TRYGÆUS. O Diva uvarum datrix, qua te compellem oratione? unde ſumam verbum decies mille amphorarum capax, quo te ſalutem? non enim habeo domo. O ſalve, Opora, & tu etiam ô Theoria.

O qualis eſt voltus tibi, ô Theoria! ô quale & quam ſuave ſpiras intimo corde, dulciſſumum, quaſi vacationem militiæ & unguentum! num ergo ſimilis eſt odor ſportæ militaris?

CHORUS. Abominor inimici hominis infeſtiſſumum vas textum vimine: illud enim olet ructum acidum cepæ; hæc autem olet poma, convivium, Dionyſia, tibias, tragœdos, Sophoclis carmina, turdos, verſiculos Euripidis —

TRYGÆUS. Plora tu quidem, qui eam falſo inſimulas: non enim delectatur forenſium oratiuncularum artifice.

CHORUS. Hederam, qualum quo muſtum percolatur, balantes oves, ſinum mulierum ad furnos curſitantium, ancillam temulentam, inverſum congium, aliaque multa & bona.

MERCURIUS. Age adſpice nunc, ut inter ſe confabulantur civitates reconciliatæ, & rident lubenti animo, tametſi ſunt omnes mirum in modum ſuggillatæ, & cucurbitulas cuti inhærentes habent.

TRYGÆUS. Et horum etiam ſpectatorum intuere voltus, ut cognoſcas ſingulorum artem.

MERCURIUS. Hei miſer! Iſtum enim criſtarum artificem nonne vides ſemet vellicantem? ille autem qui ligones factitat obpedit jam huic enſium fabro.

TRYGÆUS. At falcarius nonne vides ut gaudeat, & haſtarum fabrum ut digito infami notet?

MERCURIUS. Age nunc jube agricolas abire.

TRYGÆUS. Audite populi: agricolæ abeant, ſumtis ruſticis inſtrumentis, in agrum quam citiſſume, ſine haſta & ſine gladio, & ſine jaculo. Nam omnia jam plena hîc ſunt pacis antiquæ: ſed unusquiſque eat ad opus faciundum in agrum cantato Pæane.

CHORUS. O dies optata juſtis & agricolis, poſtquam te lubens adſpexi, convenire volo vites; atque etiam ficus, quas ego ſevi junior, ſalutare animus eſt nobis longo poſt tempore.

TRYGÆUS. Nunc igitur, ô viri, adoremus primo Deam, quæ nobis ademit criſtas & Gorgonas: poſt illa danda opera ut feſtino

gradu abeamus domum, quiſque ad ſuam villam, mercati nonnihil ſalſamenti melioris in agrum.

MERCURIUS. O Neptune, quam pulchra adſpectu eorum caterva! quam denſa & compacta, inſtar mazæ & cœnæ collatitiæ!

TRYGÆUS. Namque mehercle ſi ſplendens bene inſtructus ſit malleus, & tridentes raſtri refulgeant ad ſolem, eorum ope pulchre conſerantur ordines: atque adeo jam cupio ire in agrum, & longo poſt tempore vertere raſtro agellum. Sed, ô viri, revocate in memoriam priſtinam illam vivendi rationem, quam præſtabat iſta olim vobis, & caricas conſtipatas, & ficus, & myrtos, muſtumque illud dulce, pratumque violarum illud ad puteum, & olivas, quarum flagramus deſiderio, & pro iſtis hanc nunc Divam ſalutate.

CHORUS. Salve, ſalve, ô cariſſuma; quam cupidis adveniſti nobis tui! domiti enim & victi ſumus tui deſiderio, te Deam cupientes in agrum remeare. Quippe nobis eras maxumum emolumentum, ô expetita omnibus, quicunque ruſticam terebamus vitam: ſola enim nos juvabas. Nam multis fruebamur olim, te vigente, rebus dulcibus, quæ ſine ſumtu & gratæ accidebant. Quippe ruſticis eras recens hordeum freſum & ſalus. Itaque tibi & vites, & teneræ ficus, ceteræque omnes ſtirpes adridebunt, te cupide recipientes. Sed ubinam a nobis abfuit iſtæc multo iſto tempore? hoc nos edoce, ô deorum benevolentiſſume.

MERCURIUS. O ſapientiſſumi agricolæ, mea jam percipite verba, ſi voltis audire hanc, quomodo perierit. Prima quidem cauſa fuit Phidias adverſa fortuna uſus; deinde Pericles metuens ne in partem veniret ejuſdem infortuni, quia formidabat indolem voſtram, præfractumque ingenium, priuſquam aliquid mali pateretur, ipſe inflammavit rempublicam: quippe injecta parva ſcintilla decreti Megarici, excitavit tantum bellum, ut præ fumo omnes Græci lacrimarent, quique illic, quique hîc ſunt. Ut autem primum ſemel audivit vitis, crepuit, & cadus percuſſus iracunde recalcitravit cadum. Non amplius erat quiſquam, qui hæc ſedaret: ipſa autem Pax diſparuit.

TRYGÆUS. Hæc ſane, ita me Apollo amet, ex nemine reſciveram, nec quomodo cum ea conjunctus eſſet Phidias, audiveram.

CHORUS. Nec ego, niſi nunc: propterea ergo formoſa erat Pax, utpote genere illi conjuncta: multa ſane nobis latent.

MERCURIUS. Deinde poſtquam cognorunt civitates, quibus imperabatis, vos eſſe vobis invicem exaſperatos, dentesque reſtringere, omnia in vos machinabantur tributorum metu, & pecuniarum largitionibus in partes ſuas adducebant Lacedæmoniorum primores: iſti autem, utpote homines ſordidi appetentes lucri, exterosque decipere ſueti, hac turpiter abjecta, bellum arripuerunt: deinde illorum lucra agricolis erant intertrimento. Nam triremes hinc miſſæ ad ulciſcendas injurias, hominum etiam immerentium ficus comedebant.

CHORUS. Immo merito, quoniam ficum meam exciderunt illi, quam ego ſeveram & educaveram.

TRYGÆUS. Ita me Jupiter amet, ô bone, merito ſane: nam & meam, lapide injecto, ſex modiorum capacem ciſtam frumentariam perdiderunt.

MERCURIUS. Deinde, ut ex agris convenere in urbem agricolæ, eodem modo ſe etiam venales haberi, quo urbani, facile animadvertere; ſed quum eſſent ſine uvis, & deſiderarent ficus, ſpectabant oratores: qui quum ſatis noſſent pauperes infirmos eſſe, & laborare inopia victus, Divam iſtam ſæpius clamoribus ſuis, tanquam furcillis, abegerunt, quoties illa, regionis hujus amore, ſeſe conſpiciendam exhibuit. Ex ſociis autem illos quatiebant, qui eſſent pinguiores & opulentiores, affingentes hujuscemodi cauſas, *Braſidæ favet*. Tum vos iſtum falſo oppreſſum crimine, tanquam catuli, lacerabatis. Urbs enim pallida morbo & in metu deſidens, quæcunque quis per calumnias parta ei objiceret, lubentiſſume comedebat. At exteri, quum plagas viderent, quas iſti infligebant, auro iis qui hæc faciebant, os obturabant; ita ut illos quidem facerent divites, Græcia autem deſolaretur vobis non animadvertentibus. Caput autem iſtis rebus erat coriarius.

TRYGÆUS. Deſine, deſine, Mercuri domine, horum ne me-

mineris; sed sine istum hominem esse apud Inferos, ubi est: non enim noster est ille vir amplius, sed tuus. Quæcunque igitur dixeris in illum, licet nequam fuerit, dum vixit, & loquax, & sycophanta, & miscuerit omnia & turbaverit, hæc inquam omnia tuis dehinc exprobrabis. Sed cur sileas, ô Diva, dic mihi.

MERCURIUS. At hujus rei causam non facile animum inducet ut dicat spectatoribus: est enim iis valde irata, ob ea quæ perpessa est.

TRYGÆUS. Tibi saltem dicat ipsa paulum modo.

MERCURIUS. Dic mihi, ô carissima, quo erga istos sis animo; age ô mulierum clypeis inimicissima. -- Esto: audio. Hæccine expostulas? intellego. -- Audite vos, quamobrem de vobis conqueratur. Ait se ultro venisse post res in Pylo gestas, cistamque adtulisse plenam induciis, sed rejectam fuisse ter in concione.

TRYGÆUS. Peccavimus in hac re; sed ignosce: mens enim nostra tunc erat in coriis.

MERCURIUS. Audisis nunc, quod me modo interrogavit, quisnam malevolus ipsi maxume fuerit hîc, & quis amicus, qui prælia ne fierent studuerit?

TRYGÆUS. Benevolentissimus quidem multo erat Cleonymus.

MERCURIUS. Qualis ergo videtur esse in re bellica Cleonymus?

TRYGÆUS. Animi fortissimi, nisi quod non est filius cujus ipse ait patris. Nam si quando exeat militatum, statim, quum arma abjiciat, *subjectitius* esse arguitur.

MERCURIUS. Adhuc nunc audi, quod me modo interrogavit, quis nunc obtineat suggestum in Pnyce?

TRYGÆUS. Hyperbolus illum nunc locum tenet. Heus tu, quid facis? quonam caput tuum circumagis?

MERCURIUS. Aversatur populum, indigne ferens, quod malum præsidem sibi adscivit.

TRYGÆUS. At non amplius utemur eo; nunc autem quia populus indigebat tutore, nudusque erat, hoc viro interim, tanquam munimento, se præcinxit.

MERCURIUS. Quærit, qui tandem ista conductura sint reipublicæ.

TRYGÆUS. Prudentiores fiemus quodammodo, quia lucernarum artifex eſt. Antehac quidem palpabamus res gerendas in tenebris; at nunc de omnibus rebus ad lucernam conſultabimus.

MERCURIUS. O! ô! qualia juſſit me ex te ſciſcitari!

TRYGÆUS. Quænam?

MERCURIUS. Plurima, etiam vetuſta illa, quæ reliquit olim: & primo quidem quid rerum agat Sophocles, percontabatur.

TRYGÆUS. Bene ac beate eſt illi; & tamen evenit ei mirabile quiddam.

MERCURIUS. Quid?

TRYGÆUS. E Sophocle fit Simonides.

MERCURIUS. Simonides? quomodo?

TRYGÆUS. Quoniam ſenex & ſordidus lucri cauſa vel in crate naviget.

MERCURIUS. Quid vero? eſtne in vivis adhuc Cratinus ille ſapiens?

TRYGÆUS. Mortuus eſt, quando Lacones irruptionem fecerunt.

MERCURIUS. Quid ei accidit?

TRYGÆUS. Rogas? animi deliquium paſſus eſt: quippe dolori temperare non poterat, quum videret dolium vino plenum f[illegible]gi. Alia etiam quam multa cenſes contigiſſe urbi infortunia? quapropter, ô domina, nunquam a te divellemur.

MERCURIUS. Age ergo hac lege accipe Oporam hancce tibi uxorem, deindeque in agris cum illa habitans procrea tibi uvas.

TRYGÆUS. O cariſſuma, huc ades, & da mihi copiam tui oſculandi. Numquid detrimenti capturus tibi videor, ô domine Mercuri, ſi longo poſt tempore Oporam ſubagitavero?

MERCURIUS. Non, ſi re patrata miſturam pulegii biberis. Sed quamprimum hancce Theoriam ſuſcipe, & ad Senatum perduc, cujus quondam erat.

TRYGÆUS. O beate tu Senatus ob hanc Theoriam! quantum ſorbebis juſculi per triduum! quam multa comedes viſcera cocta & carnes! ſed, ô amice Mercuri, vale multum.

MERCURIUS. Tu quoque vale, mi homo; lætus abi, & memor eſto mei.

TRYGÆUS. O ſcarabæe, domum, domum avolemus.

MERCURIUS. Non eſt hîc, ô bone.

TRYGÆUS. Quorſum ergo abiit?

MERCURIUS. Currum Jovis ſubiit, & fulmen gerit.

TRYGÆUS. Unde ergo miſer ille iſtic habebit cibos?

MERCURIUS. Ganymedis ambroſiam comedet.

TRYGÆUS. Quomodo ergo deſcendam ego?

MERCURIUS. Bono animo es, recte: hac, juxta ipſam Deam.

TRYGÆUS. Adeſte, vos puellæ; ſequimini me ocius: nam plurimi vos exſpectant cupidi arrecto pene.

CHORUS. Sed abi lætus: nos autem interea hanc ſupellectilem comitibus ſervandam committamus: quippe ſolent præcipue circa ſcenas plurimi fures morari occulti, & mala patrare. Sed tu cuſtodi hæc ſtrenue: nos autem ſpectatoribus dicamus ex inſtituto noſtro quæcunque nobis ratio ſuadet atque animus.

Equidem oportebat ut, ſi quis comicus poëta in digreſſione ad ſpectatores per anapæſtos ſe ipſum laudaret, illum verberarent lictores: ſin, ô Jovis filia, æquum eſt, quempiam honore adfici, qui præſtantiſſumus hominum & celeberrimus evaſerit in arte comœdias docendi, poëta noſter magna ſe laude dignum eſſe ait. Primo enim ſolus omnium effecit, ut quos habet æmulos, ii deſierint pannos mendicorum irridere, & cum pediculis belligerare: deinde Hercules illos pinſentes, & famelicos, & fugitivos, & fraudulentos, & ſe conſulto verberibus offerèntes, collutulatos expulit primus: ſervos etiam faceſſere coëgit, quos ſemper producebant flentes, idque eapropter, ut conſervus ridens alterius plagas ſic eum interrogaret; *O miſer, quid accidit cuti tuæ? num hyſtrix invaſit tibi in latera cum magno exercitu, tergumque tuum exſcidit & vaſtavit?* Sublatis his ineptiis, odioſisque & ignobilibus nugis, magnam fecit artem vobis, quam ædificavit, & alte quaſi turribus eduxit verbis magnificis, & ſententiis, dicteriisque haud trivialibus; operam non abutens perſtringendis privatis homuncionibus, mulieribusve: ſed hercule

quodam impetu maxuma monſtra aggreditur, tranſcendens coriorum fœtores tetros & cœni commoti minas. Et primum quidem omnium oppugno ipſam illam ſerratis dentibus immanem beluam, cujus ab oculis terribiles micabant Cynnæ radii, caput autem ejus circumlambebant centum capita perditiſſumorum adulatorum; quæ vocem habebat torrentis ſtragem edentis, odorem phocæ, coleos Lamiæ illotos, culumque cameli. Hujuſcemodi viſo monſtro non extimui, ſed pro vobis pugnans & pro inſulis, obſtiti ei ſemper. Quapropter nunc vos æquum eſt reddere gratiam mihi, & memores eſſe. Etenim antehac, quum rem ex ſententia geſſiſſem, non obambulabam palæſtras, puerosque ſolicitabam; ſed ſumta ſupellectile ſtatim abibam, in paucis moleſtus, in pleriſque delectabilis, ſervato in omnibus officio. Proinde fautores me habere decet & viros & pueros: calvos etiam admonemus, ut ſuo ſtudio nos adjuvent in adipiſcenda victoria. Unus enim quiſque dicet, me victore, ad menſam & in conviviis: *Porrige calvo illi, da calvo illi de bellariis aliquid, & ne detrahe quicquam præſtantiſſumo poëtarum, viro qui frontem habet.*

SEMICHORUS. Muſa, tu, bello repudiato, mecum, cum amico tuo, choreas exerce, Deorum celebrans connubia, hominumque convivia, & beatorum epulas: tibi enim hæc in primis curæ ſunt. Si autem Carcinus venerit, & tecum oraverit, ut cum filiis ſuis choreas inſtituas, ne obtemperes, nec eas adjutrix illis: ſed puta omnes eſſe coturnices domeſticos, ſaltatores brevicervicos, ſtatura nanos, caprinorum ſtercorum ramenta, machinarum inventores. Etenim dixit eorum pater, illud, quod præter ſpem ſibi obtigerat argumentum fabulæ, a muſtela veſperi ſtrangulatum fuiſſe.

SEMICHORUS. Tales decet Gratiarum pulchricomarum hymnos celebres ſapientem poëtam cantare, quando vere novo hirundo feſſirans voce perſtrepit, & chorum non habet Morſimus, neque Melanthius: cujus acerbiſſumam vocem garrientis audivi, quum tragicum chorum haberent frater ejus & ipſe, ambo Gorgones guloſæ, batidiſpices, Harpyiæ, anuum fututores, impuri, olentes hircum, piſcium pernicies: quos deſpue ſcreatu magno & largo, diva Muſa, & mecum læta feſtivitatem celebra.

TRYGÆUS,

TRYGÆUS, FAMULUS, CHORUS, HIEROCLES.

TRYGÆUS. Quantæ molis erat pervenire uſque ad deos! mihi hercle feſſo dolent oppido crura. Parvi utique deſuper intuenti mihi videbamini. De cœlo quidem ſpectanti videmini ſane maligni, hinc autem multo maligniores.

FAMULUS. Veniſtin', ô here?

TRYGÆUS. Ut ego audivi ex quodam.

FAMULUS. Qualem expertus es fortunam?

TRYGÆUS. Dolent mihi crura, magnum iter emenſo.

FAMULUS. Age dic nunc mihi.

TRYGÆUS. Quidnam?

FAMULUS. Vidiſtin' alium quempiam hominem in aëre vagantem præter te ipſum?

TRYGÆUS. Non, niſi forte duas aut tres dithyrambicorum poëtarum animas.

FAMULUS. Quid autem faciebant?

TRYGÆUS. Volitantes colligebant procemia neſcio quæ, natantium in aëre virorum nugas.

FAMULUS. Non ergo illud eſſe verum in aëre deprehendiſti, quod volgo dicunt, nos ſtellas fieri, quando quis noſtrûm moritur?

TRYGÆUS. Maxume.

FAMULUS. Ecquænam eſt illic nunc ſtella?

TRYGÆUS. Ion Chius, qui olim hìc fecit canticum illud *Eoum*, tanta cum approbatione, ut eum ſtatim omnes *Eoum ſidus* appellarent.

FAMULUS. Quænam ergo ſunt illæ diſcurrentes ſtellæ, quæ ardentes curſitant?

TRYGÆUS. Sunt illæ quædam e ſtellis divitibus, quæ a cœna redeunt laternas habentes, & in laternis ignem. Sed adſume ocius iſtam & introduc eam, & ſolium elue, & aquam caleface, & ſterne mihi atque huic genialem lectum: hisque peractis redi huc. Ego autem alteram hancce reddam Senatui interea.

FAMULUS. Undenam vero has accepiſti?

TRYGÆUS. Unde? nempe ex cœlis.

FAMULUS. Haud ego jam deos faciam trioboli, ſi lenocinium faciunt, uti nos homines.

TRYGÆUS. Non quidem ita ſolent: ſunt tamen inter illos quidam, qui ex hoc quæſtu ſibi victum parant.

FAMULUS. Age ergo eamus. Dic mihi, aliquidne huic comedendum dabo?

TRYGÆUS. Nihil. Nam nolet comedere, nec panem, nec mazam, ſolita ſemper apud ſuperos ambroſiam lingere.

FAMULUS. Ain' *lingere?* Ergo ei pelvis etiam paranda eſt.

CHORUS. Sane feliciter ſenex iſte, quantum videre licet, nunc rem gerit.

TRYGÆUS. Quid ergo, quum ſpenſum me videbitis nitidum?

CHORUS. Dignus eris, quem omnes beatum prædicent, mi ſenex, rurſus juvenis factus, unguento delibutus.

TRYGÆUS. Opinor. Quid vero, quando cum illa concumbens papillas prehendam?

CHORUS. Fortunatior videberis, quam Carcini ſtrobili.

TRYGÆUS. Nonne vero merito? qui ſcarabæo invectus ſervavi Græcos, ita ut omnes in agris degentes tuto jam futuant & dormiant.

FAMULUS. Lavit puella, & recte ſe habent circa nates omnia? placenta cocta eſt; libum ſeſaminum conficitur; ceteraque parata ſunt omnia: ſed pene opus eſt.

TRYGÆUS. Age ergo reddamus Theoriam hancce Senatui propere.

FAMULUS. Quænam eſt hæc mulier? quid ais?

TRYGÆUS. Theoria illa eſt, quam nos aliquando madidi ſubagitavimus, Brauronem eam deducentes: hoc certo ſcias, & vix potuit capi.

FAMULUS. O here, quantam culus iſte quinto quoque anno voluptatem adfert!

TRYGÆUS. Eia, quis voſtrûm eſt juſtus? quisnam? quis hanc ad ſe receptam cuſtodiet Senatui? Heus tu, quamnam hîc delineationem facis?

FAMULUS. Quid, malum, rogas? ad Iſthmia tentorium peni meo deſigno.

TRYGÆUS. Nondum dicitis vos, quis ſit cuſtoditurus? Huc ades tu; deponam enim te in medium adductam.

FAMULUS. Iſte innuit.

TRYGÆUS. Quis?

FAMULUS. Rogas? Ariphrades, obſecrans ut ad ſe adducatur.

TRYGÆUS. Sed, ô ſtulte, ſuccum ejus lambendo hauriet irruens. Agedum tu depone prius hanc ſupellectilem humi. Senatus, vosque Prytanes, videte hanc Theoriam: ſpectate quanta bona vobis adferens tradam, ita ut ſtatim poſſitis ſuſtollentes crura hujus in ſublime patrare ſacra. Hancce culinam videte quam ſit pulchra: propterea etiam fuligine nigra eſt: iſtic enim, antequam bellum oriretur, Senatui ollæ ſtabant olim. Deinde cras ſtatim nobis hanc habentibus certamina licebit inſtituere pulcherrima, humi luctari, quadrupedum in morem ſtare, unctisque ritu pancratio certantium ſtrenue ferire, ſodicare, ſimul pugnis & pene. Poſt autem tertia die curſus equeſtres inſtituetis, ubi ſingulator ſingulatorem prævertet, currusque ſuper curribus everſi flantes & ſpirantes mutuis movebuntur ſuccuſſibus: alii autem jacebunt recutiti aurigæ lapſi circa metam. Sed, ô Prytanes, accipite Theoriam. Hem, quam lubenter adſumſit eam iſte Prytanis! at non faceres, ſi quid gratiis introducendum ad Senatum fuiſſet tibi, ſed vidiſſem te prætendentem vacationem ſimulque manum accipiendo muneri.

CHORUS. Certe de omnibus bene meretur civis ſimilis tui.

TRYGÆUS. Quum videmiabitis, multo magis ſcietis qualis ſim.

CHORUS. Nunc etiam id ſatis tu quidem oſtendis. Servator enim omnibus hominibus es factus.

TRYGÆUS. Quid ergo dices, quum ebibes musti poculum?

CHORUS. Immo secundum deos tibi semper primas deferemus.

TRYGÆUS. Multorum enim vobis auctor sum bonorum ille ego Trygæus Athmonensis, qui gravissumis ærumnis liberavi plebeiam turbam, populumque agrestem: quique Hyperbolum repressi.

CHORUS. Age vero, quid deinceps nobis faciundum est?

TRYGÆUS. Quid aliud, nisi hanc dedicemus adhibitis leguminum ollis?

CHORUS. Ollisne? tanquam querulum Hermulam?

TRYGÆUS. Quid ergo videtur? voltisne saginato bove?

CHORUS. Bove, inquis? nequaquam, ne suppetias aliquorsum currere oporteat.

TRYGÆUS. Num ergo porca pingui & magna?

CHORUS. Minume.

TRYGÆUS. Cur?

CHORUS. Ne fiat porcina Theagenis spurcitia.

TRYGÆUS. Quanam ergo sodes ex ceteris victimis censes?

CHORUS. Ove.

TRYGÆUS. Ove?

CHORUS. Ita hercle.

TRYGÆUS. Sed est Ionicum hoc vocabulum.

CHORUS. De industria, ut, si in concione quis dixerit bellum esse gerendum, tum qui illic sedebunt, præ metu dicant Ionice, *Ovæ!*

TRYGÆUS. Recte utique dicis.

CHORUS. Et sint cetera lenes: atque ita alii erga alios erimus animo agnino, erga socios autem multo mitiores.

TRYGÆUS. Age ergo adduc quam citissume ovem: ego interea aram parabo, in qua sacrificabimus.

CHORUS. En ut omnia quæ Deus volt, fortunaque secundat, procedunt ex sententia, aliaque aliis istorum opportuno tempore sese offerunt!

TRYGÆUS. Hoc utique satis apparet: nam ara, ecce, jam foris est.

CHORUS. Feſtinate ergo, dum divino juſſu impetum cohibet converſa belli aura. Nunc enim Deus palam res in melius refert.

TRYGÆUS. Caniſtrum adeſt, cui mola ſalſa ineſt, & corona, & culter: ecce etiam ignem, nec, præter ovem, nobis quicquam moræ eſt.

CHORUS. Nonne ergo omni ſtudio feſtinabitis? Nam ſi Chæris vos viderit, invocatus accedet, ut canat tibiis, & certo ſcio vos ei flanti ſeque ipſum fatiganti daturos tandem aliquid.

TRYGÆUS. Agedum tu ſume caniſtrum & gutturnium, atque circumi aram ocius dextrorſum.

FAMULUS. Ecce circumivi: aliud jam impera.

TRYGÆUS. Agedum torrem hunc in aquam immergam: tu concute ocius: tu autem porrige ſalſæ partem molæ; ipſeque fac luſtreris, tradita mihi hac face: projice ſpectatoribus etiam aliquantum frugum.

FAMULUS. En.

TRYGÆUS. Jamne dediſti?

FAMULUS. Ita mehercle: nec iſtorum quotquot ſunt ſpectatorum ullus eſt, quin habeat hordeum.

TRYGÆUS. Nonne etiam mulieres acceperunt?

FAMULUS. Sed ad veſperam dabunt eis viri.

TRYGÆUS. Quin precamur? Quis hîc adeſt? ubinam ſunt multi & boni?

FAMULUS. Age dem iſtis: multi enim ſunt & boni.

TRYGÆUS. Iſtosne putaſti bonos eſſe?

FAMULUS. Quippini? qui nimirum, quum eos tanta aqua perfuderimus, in eundem iſtum veniunt & conſiſtunt locum.

TRYGÆUS. Sed quam primum precemur; precemur jam. O veneranda regina, Dea honoranda, Pax, domina chororum, domina nuptiarum, accipe ſacruficium noſtrum.

CHORUS. Accipe, obſecro, ô cariſſuma; nec fac itidem, ut ſolent mulieres adulteræ. Quippe illæ ſemiadapertis foribus proſpe-

ctant ; & ſiquis advortat ipſis animum, recedunt ; deinde, ſi abeat, proſpectant rurſus. Tu nihil horum fac itidem nobis.

TRYGÆUS. Ne hercle feceris, ſed oſtende totam te ipſam, ut ingenuam decet, amatoribus nobis, qui tui deſiderio tertium jam & decimum maceramur annum. Diſſolve pugnas & tumultus, ut Lyſimacham te vocemus. Compeſce feſtivas illas noſtras ſuſpiciones, quibus adducti nugas garrientes alii alios calumniamur : & tempera nos Græcos denuo amicitiæ ſucco, & ignoſcendi voluntatem mitiorem admiſce mentibus noſtris. Effice, ut forum noſtrum bonis rebus abundet, grandibus alliis, cucumeribus præcocibus, pomis, malis punicis, lænis parvis in uſum ſervorum : & ex Bœotia ut videamus multos, qui ferant anſeres, anates, palumbes, trochilos : & Copaïdum anguillarum ut ſportæ veniant, utque circa eas conferti nos opſonantes in turba luctemur cum Morycho, Telea, Glaucetа, aliisque helluonibus multis ; deinde Melanthius ut veniat poſterior ad forum, illæ autem venditæ jam ſint, & iſte ejulet, deinde ex Medea ſic lamentetur : *Perii, perii, poſtquam e manibus exciderunt mihi* anguillæ in betis deliteſcentes : & homines ut ejus malis gaudeant. Hæc, ô veneranda, precantibus nobis da.

FAMULUS. Cape cultrum, & ſcite, ut coquum decet, fac mactes ovem.

TRYGÆUS. Sed fas non eſt.

FAMULUS. Quamobrem ?

TRYGÆUS. Nimirum Pax non gaudet cæde, nec cruentatur ejus ara ; ſed intro ablatam victimam macta, femoraque exemta huc effer : & ſic ovis præbitori ſervatur.

CHORUS. Te ergo foris nunc manentem oportet aſſulas huc reponere ocius, ceteraque inſuper quæ ad rem ſacram pertinent.

TRYGÆUS. Nonne tibi aruſpicum ritu videor cremium ponere ?

CHORUS. Quippini ? Quid enim te fugit, quod requiri poſſit in ſapiente viro ? aut quid non pervides mente, quod pervidere oporteat illum, cujus probata eſt ſolertia, expeditaque animi audacia ?

TRYGÆUS. Aſſula incenſa Stilbidem fumo premit. Menſam etiam adferam; nec opus erit famulo.

CHORUS. Quis non laudaret hujuscemodi virum, qui multa perpeſſus, ſervavit ſacram urbem? quare nunquam non habebitur admirandus omnibus.

FAMULUS. Peracta ſunt quæ imperaſti. Cape femora hæc & in ignem impone: ego vero ad exta & liba ibo.

TRYGÆUS. Mihi erunt iſta curæ. Sed jam veniſſe te oportebat.

FAMULUS. Ecce adſum: num ceſſaſſe tibi videor?

TRYGÆUS. Aſſato nunc iſta probe: namque eccum accedit aliquis lauro coronatus. Quis homo eſt tandem?

FAMULUS. Quam arrogans videtur! Vates eſt aliquis.

TRYGÆUS. Non hercle, ſed Hierocles.

FAMULUS. Ille ipſe nimirum eſt ex Oreo ſortilegus. Quidnam porro dicturus eſt?

TRYGÆUS. Satis apparet illum adverſaturum paci.

FAMULUS. Minume: ſed ad nidorem ingreſſus eſt.

TRYGÆUS. Adſimulemus, quaſi non videamus eum.

FAMULUS. Recte dicis.

HIEROCLES. Quodnam hoc eſt ſacruficium, & cuinam fit deæ?

TRYGÆUS. Aſſato tu tacite, & cave ne lumbum adtigas.

HIEROCLES. Nonne dicetis cuinam deorum ſacruficatis?

TRYGÆUS. Num cauda bene habet?

FAMULUS. Bene ſane, ô diva Pax amica.

HIEROCLES. Age proſeca nunc, & proficias da.

TRYGÆUS. Præſtat prius aſſare.

HIEROCLES. Atqui hæc jam ſunt aſſata.

TRYGÆUS. Nimis curioſus es, quisquis es. Diſſeca: ubi menſa? libamentum cedo.

HIEROCLES. Lingua ſeorſum præciditur.

TRYGÆUS. Meminimus. Sed ſcin' quid facias?

HIEROCLES. Si dixeris.

TRYGÆUS. Ne loquere nobiscum quicquam. Nam ſanctæ Paci ſacra facimus.

HIEROCLES. O miſeri mortales & inſipientes —

TRYGÆUS. In caput tuum vortat.

HIEROCLES. Qui præ ſtoliditate Deûm voluntatem non intellegentes fœdus iniiſtis viri cum truculentis ſimiis —

FAMULUS. Ha ha he.

TRYGÆUS. Quid rides?

FAMULUS. Faceti mihi videntur truculenti ſimii.

HIEROCLES. Et ſtupidæ columbæ vulpeculis creditis, quarum doloſa mens, doloſum ingenium.

TRYGÆUS. Utinam fiat tuus pulmo tam calidus, ô jactator, quam ſunt hæc exta!

HIEROCLES. Niſi enim Nymphæ deæ Bacin deceperunt, nec Bacis mortales, nec rurſus Nymphæ Bacin ipſum —

TRYGÆUS. Dii te eradicent, ni baciſſare deſinis.

HIEROCLES. Non erat in fatis, ut jam diſſolverentur vincula Pacis, ſed tunc primum —

TRYGÆUS. Sale conſpergenda hæc ſunt.

HIEROCLES. Nondum enim placet beatis diis, ut a bello deſiſtamus, antequam lupus ovem ineat. Dum blatta fugiendo viſiens teterrimum emittet fœtorem, & clamoſa canis partus concitata ſtimulis cœcos gignet, tamdiu nondum oportebat pacem fieri.

TRYGÆUS. Quid ergo facere nos oportebat? num a bello non deſiſtere? aut ſortiri utri ploraturi eſſemus magis, quum liceret nobis, inito fœdere, Græciæ communiter imperare?

HIEROCLES. Nunquam efficies, ut cancer incedat recte.

TRYGÆUS. Nunquam cœnabis poſthac in Prytaneo; neque, poſtquam res peracta eſt, vaticinia facies deinceps.

HIEROCLES. Aſperum erinaceum nunquam reddideris levem.

TRYGÆUS. Num Athenienſibus verba dare aliquando deſines?

HIEROCLES. Quo enim oraculo juſſi victimæ femora adoleviſtis diis?

TRYGÆUS. Iſto nimirum, quod pulcherrimum fecit Homerus: *Sic illi quidem inimica belli nube depulſa, Pacem amplexi ſunt, & eam dedicarunt mactata victima. Sed poſtquam femora combuſta fuere, viſceribus paſti libarunt poculis: ego autem dux eram viæ: at ſortilego nemo dabat calicem fulgentem.*

HIEROCLES. Hæc non ad me pertinent: non enim hoc dixit Sibylla.

TRYGÆUS. At ſapiens ille mehercle Homerus perquam ſcite dixit: *Nec tribules, nec legem, nec Larem habet ille, qui bellum amat inteſtinum horrendum.*

HIEROCLES. Vide ne dolo aliquo mentem tuam decipiens miluus exta corripiat.

TRYGÆUS *(ad famulum)*. Iſtuc tu cave: nam hoc metuendum eſt extis oraculum. Infunde vero libamen, & extorum partem huc cedo.

HIEROCLES. Sed ſi vobis ita faciundum videtur, ipſemet etiam ego mihi miniſtrabo.

TRYGÆUS. Libamen, libamen.

HIEROCLES. Infunde mihi etiam & extorum partem porrige.

TRYGÆUS. At nondum hoc placet beatis diis: ſed iſtud potius, ut nos libemus, tu autem abeas. O veneranda Pax, permane nobiscum omni vitæ tempore.

HIEROCLES. Affer huc mihi linguam.

TRYGÆUS. Tu vero tuam hinc aufer.

HIEROCLES. Libamen.

TRYGÆUS *(ad famulum)*. Hæc etiam cum libamine ſume ocius.

HIEROCLES. Nemone dabit mihi de extis aliquid?

TRYGÆUS. Non enim poſſumus nos prius dare, antequam lupus ovem ineat.

HIEROCLES. Immo per genua te obſecro.

TRYGÆUS. Fruſtra, ô bone, ſupplicas: non enim levem reddes aſperum erinaceum. Agite, ſpectatores, adeſte, comedite exta nobiscum.

HIEROCLES. Ego vero quid?

TRYGÆUS. Sibyllam comede.

HIEROCLES. Haud ſane, per Tellurem adjuro, vos hæc comedetis ſoli; ſed abripiam ea vobis: ſunt enim in medio poſita.

TRYGÆUS. Percute, percute, percute iſtum Bacin.

HIEROCLES. Anteſtor.

TRYGÆUS. Et ego, te nempe eſſe helluonem & arrogantem hominem; percute ipſum, & baculo cohibe jactatorem illum.

FAMULUS. Tu quidem id cura: ego vero victimarum pelles, quas hicce per fraudem accepit, ei detraham. Nonne depones pelles, ſacrificule? audiſtin'? qualis iſte corvus ex Oreo venit! nonne avolabis ocius in Elymnium?

SEMICHORUS. Lætor, lætor, quod carere licet caſſide, & caſeo, & cepis. Non enim ex præliis voluptatem capio; ſed ſi apud ignem perpotem cum caris ſodalibus, comburens ligna, quæcunque fuerint aridiſſima, æſtivo calore exſiccata, & in carbonibus torrens cicer, fagumque in ignem immittens, & ſimul Thrattam ſubagitans, dum uxor lavat. Nihil enim jucundius eſt, quam ſi, facta jam ſemente, deoque eam irrigante, ſic fabuletur vicinus aliquis: *Dic mihi ſodes, quid facimus interea, ô Comarchida? mihi quidem potare placet, dum deus juvat ſata. Age, mulier, frige phaſelorum tres chœnices, triticique nonnihil eis admiſce, atque ficus deprome. Vocet Syra Manen ex agro, quandoquidem non licet pampinare hodie, neque glebas frangere, quum ager ſit uvidus: & a me ferat aliquis turdum & fringillas duas. Erat etiam recondita domi coloſtra, & quatuor fruſta carnis leporinæ, niſi quid illorum abripuit muſtela veſperi: ſane ſtrepebat intus neſcio quid & tumultuabatur. Ex illis, inquam, fruſtis fer nobis tria, puer, & unum da patri: myrtos fructiferos pete ab Æſchinada; ſimulque, eadem eſt enim via, Charinadem aliquis vocet, ut potet nobiscum, dum bene facit, & incrementum dat deus frugibus.*

SEMICHORUS. Quando cicada cantat ſuavem ſuam cantilenam, lætor diſpiciens Lemnias vites, an jam matureſcant: nam fructum

præcocem producunt: lætor etiam intuens groſſum tumeſcentem; deinde quum eſt maturus, comedo, ſuavitatemque exploro, ſimulque dico: *Amicæ tempeſtates!* & nonnihil thymi terens miſturam bibo: deinde fio pinguis eo æſtatis tempore: his, inquam, lætor magis, quam ſi intuear diis odioſum centurionem tres criſtas habentem, purpureumque ſagum vividi admodum coloris, quod ille tincturæ eſſe ait Sardianicæ: ſin forte pugnandum ſit ei iſto amicto ſago, tunc ipſe tingitur tinctura *Merdianica:* deinde fugit primus, tanquam celer equigallus, criſtas concutiens; ego autem ſto retia ſervans. Quando autem domi ſunt, intolerabilia faciunt, dum alios inſcribunt in catalogum, alios temere delent bis aut ter. Cras quidem profectio eſt: huic vero cibus non eſt emtus: neſciebat enim quum domo egrederetur ſe militiæ adſcriptum eſſe: deinde ad ſimulacrum Pandionis conſiſtens, nomen ſuum in catalogo videt, inopsque conſili currit flens amare. Iſta nobis faciunt agricolis; urbanis vero ſecus, illi diis hominibusque inviſi armorum abjectores: pro quibus pœnas adhuc dabunt mihi, ſi deus volet: multis enim me læſerunt injuriis, qui domi quidem ſunt leones, in acie autem vulpes.

TRYGÆUS, FALCARIUS, CRISTARIUS, LORICARIUS, TUBICEN, GALEARUM FABER, HASTARIUS, PUER LAMACHI, PUER CLEONYMI, CHORUS.

TRYGÆUS. Io! io! Quanta multitudo venit ad nuptiales epulas! Cape hanc galeam, & cristis mensas deterge, siquidem illius nullus est usus amplius: deinde infer placentas & turdos, plurimamque leporinam & panes.

FALCARIUS. Ubi Trygæus est, ubi?

TRYGÆUS. Turdos coquo.

FALCARIUS. O carissume Trygæe, quanta bona in nos contulisti, quum pacem fecisti! nam antidhac nemo emisset falcem vel reruncio: nunc vero eas quinquagenis drachmis vendo: iste autem ternis drachmis cados vendit in agros. Sed, ô Trygæe, cum ex falcibus sume, tum ex istis, quidquid voles, gratiis: & istæc accipe. Ex iis enim quæ vendidimus, & unde lucrum fecimus, dona hæcce tibi ferimus ad nuptias.

TRYGÆUS. Agite ergo, depositis istis apud me, ingredimini ad cœnam ocius: etenim iste armorum institor accedit æger animi.

CRISTARIUS. Hei mihi! Trygæe, quam me funditus perdidisti!

TRYGÆUS. Quid vero est, infortunate? num tibi forte dolet caput cristis erumpentibus?

CRISTARIUS. Pessum dedisti meum opificium & victum, hujusque, & istius hastarum fabri.

TRYGÆUS. Quid preti, amabo, solvam tibi pro istis duabus cristis?

CRISTARIUS. Tu ipse quid das?

TRYGÆUS. Quid dem rogas? pudet dicere. Tamen quia multo labore implicitæ & adſtrictæ ſunt, facile pro iis darem tres caricarum chœnices, menſam ut detergam hacce.

CRISTARIUS. Fer igitur intus huc caricas: quippe ſatius eſt, ô bone, quam nihil accipere.

TRYGÆUS. Aufer, aufer eas hinc in malam rem: pili eis defluunt, nihili ſunt. Criſtas has non emerem, ne una quidem carica.

LORICARIUS. Hac autem lorica decem minis æſtimata, commiſſa fabre, quid faciam miſer?

TRYGÆUS. Hæc quidem nequaquam tibi damno erit: ſed da eam mihi eodem pretio, quo tibi conſtitit: nam ad id apta eſt, ut quis in eam exoneret alvum --

LORICARIUS. Deſine conviciorum in me & merces meas.

TRYGÆUS. Hoc modo adpoſitis tribus lapillis. Annon commode?

LORICARIUS. Qua vero parte terges nates, homo ineptiſſume?

TRYGÆUS. Hac, immiſa manu per foramen, quo brachium exſeritur, & illac --

LORICARIUS. Ergo utraque manu?

TRYGÆUS. Ita hercle, ne furtum feciſſe deprehendar obturando navis foramine.

LORICARIUS. Ergone ſuper vaſe decem minarum ſedens cacabis?

TRYGÆUS. Equidem hercle, ô perdite. Anne vero putas me podicem meum venditurum vel mille drachmis?

LORICARIUS. Agedum effer argentum.

TRYGÆUS. Sed, ô bone, podicem mihi premit tua lorica; aufer, non emam.

TUBICEN. Quid vero ego tandem hac tuba faciam, quam emi olim ſexaginta drachmis?

TRYGÆUS. Plumbum ſi infundas in hanc cavitatem, deinde ſi ſuperne virgam infigas longiuſculam, fiet tibi penſilis cottabus.

TUBICEN. Hei mihi! derides me.

TRYGÆUS. Sed aliud conſilium dabo. Plumbum quidem, ut dixi,

infunde: ex hac autem parte funiculis ſuſpenſam lancem adde, & plane tibi fiet illud, quo poſſis ficus in agro ſervis tuis appendere.

GALEARUM FABER. O implacate dæmon, ut me perdidiſti, quando pro his galeis minam olim dedi! & quid jam faciam? quis enim eas emet?

TRYGÆUS. Abi & vende eas Ægyptiis, ſunt enim aptæ ad metiendam ſyrmæam.

HASTARIUS. Hei mihi! ô galearum faber, quam miſera eſt noſtra conditio!

TRYGÆUS. Huic quidem nihil evenit mali.

GALEARUM FABER. Sed quid eſt adhuc, ad quod galeis utatur quiſpiam?

TRYGÆUS. Si hujusmodi anſas diſcat quis facere, multo pluris eas vendet, quam nunc.

GALEARUM FABER. Abeamus, ô haſtarum faber.

TRYGÆUS. Nequaquam; quia ab hoc ego haſtas iſtas emam.

HASTARIUS. Quantum ergo das?

TRYGÆUS. Si bifariam diffindantur ſingulæ, ſumam eas pro ridicis, centenas drachma.

HASTARIUS. Contumelia hæc eſt: diſcedamus hinc, ô bone.

TRYGÆUS. Ita hercle: nam pueri jam exeunt huc invitatorum, micturi, ut quæ cantaturi ſunt præmeditentur, ni fallor. Sed, ô puer, ſi quid cantare cogitas, hîc propter me adſtans prius præludium cantus face.

PUER I. Nunc rurſus a bellicoſis viris exordiamur —

TRYGÆUS. Deſine bellicoſos cantare, præſertim, ô perditiſſume, facta jam pace. Male doctus es & execrabilis.

PUER I. Illi autem quum jam prope eſſent concurrentes inter ſeſe, ſcuta & clypeos conſerebant umbonibus munitos.

TRYGÆUS. *Clypeos?* nonne deſines clypeos memorare nobis?

PUER I. Hic virûm ejulatus exoriebatur ſimul & ſupplicatio.

TRYGÆUS. *Virûm ejulatus*, inquis? plorabis, ita me Bacchus amet, ejulatus canens, eosque umbonibus munitos.

PUER I. Sed quid canam tandem? tu enim dic mihi, quibus delecteris.

TRYGÆUS. Cane, *Sic illi quidem comedebant boum carnes*, & quæ sunt ejusmodi: *Prandium adponebant & quæcunque sunt esu suavissima.*

PUER I. Sic illi quidem comedebant boum carnes, sudantumque equorum cervices solvebant jugo, satiati jam bello.

TRYGÆUS. Esto: bello satiati sunt; deinde comederunt. Ista cane, ista, ut comederint satiati.

PUER I. Deinde postquam desiere, pectora munierunt.

TRYGÆUS. Cupide & lubenter, ut credo.

PUER I. E turribus vero sese effuderunt; clamor autem ingens exortus est.

TRYGÆUS. Pessumis exemplis pereas, ô puerule, cum tuis præliis: nihil enim nisi bella canis. Cujusnam vero filius es?

PUER I. Egone?

TRYGÆUS. Tu ergo hercle.

PUER I. Filius Lamachi.

TRYGÆUS. Hui! mirabar profecto, dum te audiebam, ni tu esses *Bulomachi* hominis & *Clausimachi* alicujus filius. I in malam rem, & hastiferos adiens, iis canta. Ubi mihi Cleonymi est filius? cane, priusquam ingrediaris, aliquid: nam sat scio te pugnas non cantaturum: modesto enim es patre natus.

PUER II. Clypeo quidem meo Satus aliquis superbit, quem ad fruticem reliqui invitus, instrumentum belli labe carens—

TRYGÆUS. Dic mihi, ô puer, hæccine in parentem tuum canis?

PUER II. Vitam autem meam servavi.

TRYGÆUS. At parentum vitam dedecorasti. Sed ingrediamur: quippe sat certo scio, quæ modo cecinisti de clypeo, horum te nunquam oblaturum, qui tali sis patre natus. Vobis autem hic manentibus id jam relinquitur negoti, ut hæc strenue comedatis & consumatis, nec frustra maxillas moveatis. Sed gnaviter incumbite, & raptim mandite utrique maxillis. Nullus enim, ô ruminosi, arborum dentium usus est, nisi etiam aliquid mandant.

CHORUS. Nobis hæc erunt curæ: bene enim facis & tu, quum nos mones.

TRYGÆUS. Sed ô qui antehac esuriebatis, ingurgitate vos leporinis: non enim quotidie licet incidere in placentas sine custode vagantes: quamobrem vorate, aut mox vos pœnitebit. Ore favere oportet, & sponsam huc foras adducere, tedasque ferre, & gratulari omnem populum, ac fauste acclamare, & omnem supellectilem nunc rursus in agrum portare, postquam saltaverimus, & libaverimus, & Hyperbolum expulerimus; deosque precati fuerimus, ut dent Græcis divitias, & ut magnus hordei proventus nobis sit omnibus pariter, vinique, utque ficus comedamus; & uxores ut nobis pariant, bonaque omnia, quæcunque amisimus, de integro collecta recuperemus, & coruscantis ferri ut cesset usus. Veni, ô mulier, in agrum, daque operam, ut mecum bella belle cubes. Hymen ô Hymenæe, Hymen ô Hymenæe!

CHORUS. O terbeate, quam merito hæc bona nunc habes! Hymen ô Hymenæe, Hymen ô Hymenæe! Quid ei faciemus? quid ei faciemus? fruemur ea, fruemur ea. Sed nos, ô viri, quibus id mandatum est, sustollamus & feramus sponsum. Hymen ô Hymenæe, Hymen ô Hymenæe!

(Desunt complures versus.)

CHORUS. Proinde bene habitabitis, nec molestias sustinebitis, sed ficus colligetis. Hymen ô Hymenæe, Hymen ô Hymenæe! Ille habet magnam & crassam, hæc vero dulcem ficum. Dices ergo quum comederis, vinumque biberis multum, *Hymen ô Hymenæe, Hymen ô Hymenæe!*

(Desunt versus aliquot.)

CHORUS. Placentas comedetis.

FINIS PACIS.

D.R. 2818/47

7276

LGr
A716Br

Aristophanes
Comoediae; [Greek and Latin]; ed.
by Brunck. Vol.4.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED